DEMOSTHENIS ET AESCHINIS MUTUAE ACCUSATIONES DE EMENTITA LEGATIONE, & DE CORONA, AC...

Demosthenes, Aeschines

[illegible]

Vita [illegible]

Argumentum

Demosthenis Orationum

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DEMOSTHENIS ET AESCHINIS

mutuæ Accuſationes de ementita Legatione, & de Corona, ac contra Timarchum Quinque numero,

CVM EARVM ARGVMENTIS, IPSORVM ORATORVM VITA, Et Aeſchinis Epiſtola ad Athenienſes, ac Indice copioſo,

Nuper à bene docto uiro traductæ.

Dictorum ſeries verſa pagina continetur.

CVM PRIVILEGIO VENETO.



Venetijs apud Hieronymum Scotum.

M D XLV.

INTERPRES LECTORI S. P. D.

CVM superiori ætate candide lector Orationes illas Demosthenis & Aeschinis de emẽtita legatione & de Corona, quæ mutuã cõtinent ipsorum Oratorũ accusationẽ, ac illam contra Timarchum è græco transtulissem, diu anceps fui, num illas emitterem, sed cum hunc laborem non ingratum studiósis fore putassem, quòd Latini homines græcæ eloquentiæ amplitudinem uisuri essent antea forsan ab his, qui græca non legerant, neq; cognitam neq; perspectam, nam omnium consensu uel hac una Oratorum contentione tota ars dicendi & uis orandi continetur, usq; adeo tantorum uirorum ingenia elaborarunt, ne alter ab altero uinceretur: propterea illas mihi edendas proposui et in unũ eundemq; codicem ac seorsum ab reliquis Demosthenis Orationibus coaugmẽtandas, quòd adeo inter se sint connexæ, ac ita cognatam materiam contineant, ut una ab altera (si quis rem totam perspicere uoluerit) diuelli non possit. Has igitur ipsas Orationes cum præ cæteris à doctissimis hominibus semper fuisse celebratas uideam, si eas mihi laudandas sumerem, fateor planè me desipere, cum eloquentiorem linguam expetant, quàm à mea commendari pro modo possint. ad id igitur confugio, ut explicem ipsarum ordinem, quo facilius rei totius argumentum intelligatur. Priori itaq; loco illam contra Timarchum collocaui, quòd inde Demosthenis & Aeschinis inimicitiæ exordium habuerint, quoniam Demosthenes cum Timarchi opera Senatoris inter Athenienses alioqui egregij aduersus Aeschinem in exigenda legationis ratione se usurum speraret: hunc ipsum Timarchum, eo co

lore quæsito, quòd infamis esset, primum opprimere Aeschi nes constituit. quod cum perfecisset; concitatus Demosthenes in Timarchi uindictam, & ut Aeschinem ipsum insectaretur, cum is quasi æmulus gloriæ Demosthenis uideretur, ipsum ementitæ legationis accusauit: contra quam delationem Aeschines non tantum se defendere sed & par crimen in Demosthenem contorquere non destitit, proptereaq; utriusq; Oratio ementitæ legationis inscripta fuit, quas quidem ambas nonnulli aiunt actas non fuisse; pleriq; uero asserunt eas & habitas fuisse,& Aeschinem Eubuli patrocinio euasisse, non immerito igitur eis secundus locus datus fuit. Huius autem iudicij exitum cum ægre tulisset Aeschines, & ut quoquo pacto posset, Demosthenis splendori detraheret,Ctesiphontis decretum,quo tulerat Demosthenem uirtutis ergò, & quia bene esset de Republica meritus, corona donandum & in theatro prædicandum, reprehendere instituit, ut reprehensionis & maledicentiæ ansam in Demosthenem haberet. ad quam rem conficiendam omnia probra, quæ potuit, congessit. quibus non deterritus Demosthenes, & ut calumniã huiusmodi depelleret,et inimicum suum in calamitatem concluderet,mutua criminum & uitæ accusatione ita est insequutus, ut quanquam uel in primis decretum Ctesiphontis de corona defendere uideatur, quem falso uelamine redarguere uelle proposuerat Aeschines, ob eamq; rem eius Oratio contra Ctesiphontem, at ista Demosthenis de Corona iustis alioquin titulis inscriptæ uidebantur, cum ad accusandum Aeschinem Demosthenes admissus non fuisset, defensioni tamen suæ eiusmodi uenena commiscuit, ut eum Athe-

nis exegerit: quamuis plurimi, inter quos Cicero, Aeſchinem non damnatum iudicum ſententia ſed ſponte ſua Athenis cesſiſſe aſſerant, ut ignominiam iudicij uitaret, cum ad illud audiendum è tota Græcia concurſus factus fuiſſe dicatur; negari tamen non poteſt, quin Demoſthenis eloquentia Aeſchinem compreſſerit, ac propterea Aeſchines uerba Demoſthenis præſtigia appellare ſolet. Cum itaq; poſt hoc iudicium Aeſchines Athenas Demoſtheni liberas reliquerit, ideo poſtremo loco Orationes de Corona erant diſponendæ, quibus etiam poſtremis transferendis eo præſertim incitatus operam dederam, quòd nouiſſem quenquam eas nunquam conuertiſſe præter unum M. T. Ciceronem, qui illas aliquando latinitate donauerat, ut ſe Atticum dicendi genus redolere Latium doceret, cum ipſe potius quòd Aſiaticus quàm Atticus eſſet, damnaretur: at illa conuerſio cum temporum iniuria concidiſſet; Leonardus Aretinus, licet longe, impari curſu eaſdem transferre uoluit Orationes de Corona, cum tamen hæ ipſæ uel impreſſorum incuria, aut quòd ille bonis exemplaribus careret, mendoſæ eſſent, & quamplurimis in locis ab Oratorum ſenſu maxime abhorrerent. ac cum tam ſententiarum quàm uerborum ſchemata eius translatione obſcurarentur, Epichiremataq; ſpeciem ſuam amiſiſſent, Tropiq; ac reliqui oratorij colores neglecti fuiſſent, tantorum uirorum oratio mortua & elinguis ac omni prorſus eloquentiæ lumine orbata uidebatur, adde quòd manca mutilaq; erat, quoniam leges, epiſtolas, multorumq; ſcita, Decreta, Senatuſconſulta, Epigrammata, alioſq; Poetarum uerſus, & plurimorum teſtimonia ille traducere omiſerat.

quarum rerum adiectio non parum claritatis affert ad ipsos Oratores intelligendos; propterea ne tam præstantium uirorum monimenta coinquinata tamq́; misere affecta circunferrentur, quòd quasi calamitas quædam uiros tam celsos inuaserat, cum eis legendis quilibet fastidiret, eas quoq; binas de corona denuo mihi uertendas sumpsi, adiunctis tam Libanij quàm aliorum Argumentis ad eas ipsas Orationes priori tempore ꝙ sciam nunquam tralatis. Epistolam præterea adieci Aeschinis, q̃q̃ ab eodem Aretino latinam factam, à me tamen nuperrime pariter traductam, cum simili modo Aretini translatio multis in locis peccaret, quam ad S. P. Q. Atheniensem ille perscripserat, dum Rhodi esset, ut sui & filiorum suorum misererentur. Oratorum item eorũdem uitam nunquam aliàs latinis uerbis à quoquam explicitam, quamuis Plutarchi parallela iandiu ad nostros fuissent delata, aspernatus non fui, quoniam Libanius, Apollonius, & Philostratus in ea enarranda pleraq; inseruerant, quæ Oratorum lectionem illustrabant: quod opus si non, ut expectabatur, feliciter peregi, mihi tamen aliquis conatus adfuit, ob quem uituperari non debeam, cum multos is meus labor sit inflammaturus ad eiuscemodi Oratorum monumenta conuertenda maiori cum eruditione et eloquentia. qd' si euenerit, ob id ipsum studiosos mihi gratias habituros scio. Te uero candide lector si quid inconditum in hoc meo libello inueneris, qd' teretes & religiosas aures tuas offendat, rogatum uelim, ut id æquo animo feras, dum illud perpendas ꝙ ex arboribus poma, si cruda sunt, ui auelluntur, si matura & cocta, decidunt, ita, ut hoc operis maiori laude cumulatum foret, maiorem ætatem maioraq́; studia exposcebat. Vale.

VITA DEMOSTHENIS EX LIBANIO SOPHISTE.

Vita Demosthenis oratoris

DEmosthenì igitur Oratori pater fuit Demosthenes non uili alioquin (ut uidetur) genere natus, ut et Aeschines eius inimicus testatur: his enim uerbis in ea re utitur: Huic pater fuit Demosthenes Pæanieus uir ingenuus, neq; enim mentiri oportet. Officinam autem seruorum, qui gladios conficerent, habebat: indeq; gladiorum opificis cognomentum habuit. Maternum tamen genus Oratoris non omnino Atticum fuit, Gylo enim auus Demosthenis cum ab Athenis ob crimen perduellionis exularet, propè Pontum incoluit: ibiq; mulierem genere Scythen uxorem duxit, ex qua Cleobule Demosthenis mater fuit. ob eam igitur rem cum alij tum Aeschines conuitio eum insectabantur, cum diceret, quòd Scythes atq; ita barbarus esset, qui lingua tamen græca uteretur. de illius igitur genere ista sufficiant. Pupillus ergo cum à patre in tenera admodum ætate relictus esset, imbecillo (ut aiunt) corpore erat, & tenui ualetudine, ita ut palæstram frequentare non posset, ueluti reliqui pueri Athenienses consueuerant, sic ut uir effectus mollitie ab inimicis notaretur, ac propter ea Battali nomine fuerit appellatus; fertur enim quendam fuisse Battalum Ephesium tibicinem, qui primus calceis muliebribus in scena usus fuisset, & mollioribus cantilenis, ac qui in summa artem effœminauit. ab hoc quidem molles et fractos Battalos appellabant. Inde autem aiunt magna uehementiq; incitatione ad eloquētiam inflammatum fuisse Demosthenem. Callistratus Atheniensis orator erat honoratus.

is publicam quandam causam cum esset dicturus arbitror eā, quæ de Oropo habita fuit, Demosthenes cum puer esset, familiarem, qui eius tutelam gerebat, rogauit, ut ipsum sineret ei iudicio interesse. quod cum permissum ipsi esset, Demosthenes Oratorem audiuit, atq; ita affectus fuit, ut ab ea hora omnia eloquentiæ sibi postponēda esse censeret, præceptore quidem usus Isæo oratore certe ualde graui. Vt uirilem togam assumpsit, quamprimum diem tutoribus suis dixit, qui eius patrimonium dissipauerant, eosq; euicit; non tamen omnia, quæcunq; amiserat, recuperare potuit. Orationes aduersus tutores scriptas sunt qui dicant Isæi non Demosthenis esse: cum id sibi persuadere non possint ob ætatem oratoris: duos enim de XX natus erat annos, cum hos in iudicium uocauit, ac quòd hæ Orationes Isæi stylum præ se ferre uideantur. alij uerò putant, eas à Demosthene fuisse conscriptas, ab Isæo uerò correctas. Nil quidem mirum si in tam tenera ætate istiusmodi Orationes conscribere potuerit: excellentia certe qua postea uiguit, id ab eo fieri potuisse suadet; à recenti enim adhuc exercitatione, quam sub præceptore ceperat, sæpenumero illius characterem est imitatus. Post has causas ætate paululum procedente, ut artem doceret, operam dedit: deinde cum ista omisisset, in foro defendendis causis uacauit: & cum his uelut exercitationibus quibusdam uteretur, ad populi gubernationem, & gerendam Rempublicam accessit. eius quoq; rei mentio est habenda, quòd cum natura balbus esset, & lingua impeditus, ac spiritu tenuiori, ob hæc duo accidebat, ut maxime contemnendam haberet actionem; ac propterea à principio in orando nullam glo-

riam consequeretur : ideoq; cum à quodam rogaretur, quid esset Rhetorice, quòd actio esset, respondit moleste ferens, q; ob hanc unam deterioribus oratoribus inferior esse uideretur : uerum & hæc declamatione coercuit, ac quæcunq; alia ipsi uitia inerant, quæ concionibus ad populum habendis impedimento essent : ac primum quidem cum populi tumultum refugeret, & eo perterreretur, sic ut statim obstupesceret, & mente alienaretur, propterea ipsum aiunt uentum uehementem obseruasse, cum flaret, & mare cum maxime agitaretur, ac ita ad littora profectum declamasse, ut maris strepitu clamores populares ferre assuesceret. De ipso enim ferunt, quòd & loca habuerit subterranea, ubi habitabat, & raso capite indecore uteretur; ne præ dedecore ex domus cubiculo sibi exire liceret, ac quòd noctu somnum non caperet, sed ad lucernam in componendis orationibus laboraret. unde & Pytheas, dum cauillaretur, aiebat Demosthenis Orationes lychnos redolere, ad quem Demosthenes urbane simul & acerbe, scio, inquit, me tibi molestiam exhibere, quòd lucernam accensam habeam; calumniabatur enim, quòd Pytheas crassator esset, & noctu uiatores uestibus spoliaret. Atq; quòd aquam bibere instituerat, ut magis erectam mentem haberet, omnes consentiunt. Et illud traditum fuisse accepimus, quod & ensem è tecto suspensum haberet, sub illumq; cum staret, declamasset, & id quidem eam ob causam faceret, quia in dicendo humerum indecenter mouere consueuerat. pendentem igitur ensem in humeri cutem habebat, ac eo pacto ictus timore intra decentem gestum se continere ualuit. Necesse quidem est commemora-

re, & quomodo Græcorum res & Atheniensium se habebant, cum Demosthenes ad administrandum populum ascen dit. Thebani Lacedæmonios, qui Græciæ principatum & maximam potentiam habebant, in Leuctris Bœotiæ loco pugna cum superassent, uires redintegrarunt, & paulopost bellum aduersus Phocenses intulerunt: erant enim Phocenses gens Eubœæ finitima, quæ duas & XX ciuitates in suam ditionem redegerat. hi cum fanum Pythij, quod sibi uicinum erat, comprehendissent, illud depeculati fuere: pro qua re Thebani bellum in eos admouerunt. gerebant & Athenienses sociale bellum appellatum; Chij enim & Rhodij ac Byzantij cum iam diu sub imperio Atheniensium fuissent, tuncq; inter se coniurassent, & societatem iniuissent, aduersus Athenienses pugnabant: itaq; Græcia multas in partes fuerat diuisa, Atheniensibus cum his, qui dicti sunt, & Thebanis cum Phocensibus, Lacedæmonijsq; cum Pelopõnẽsibus bellum gerentibus. Per hæc quidem tempora Philippus Amyntæ filius in Macedoniæ regnum successerat: Amyntæ enim Macedoniæ Regi tres filij fuere ex Euridice Illyrica Alexander, Perdiccas, & Philippus; horum maior natu Alexander dolo interfectus de medio sublatus fuit. Perdiccas uero obijt cum pugnaret cum Illyricis; contigit autem ut Philippus minimus natu apud Thebanos obses esset: is ut mortem Perdiccæ resciuit, clàm aufugiens cum in Macedoniam celeriter peruenisset, principatum obtinuit; Athenienses autem quendam alium ab Regio genere ortum ex Macedonia exulem in Regnum reducebant cum multis militum copijs, quos Philippus aggressus bello superauit.

ac quot ex Atheniensibus captiuos comprehenderat, absque eo, quòd redimerentur, dimisit non pro beneuolentia, quam erga ciuitatem haberet, neque pro morum mansuetudine.

Rhetorices tres sunt partes, demōstratiua, deliberatiua, & iudicialis; in his igitur duabus supremus athleta euasit Demosthenes iudiciali scilicet & deliberatiua: demonstratiui quidem generis ab eo Orationes editæ non habentur. quæ enim feruntur, eas esse Demosthenis minime credendum est, Epitaphium inquam & Eroticum. multum quidem decidunt ab illius ui & amplitudine: neque hanc asserimus nostram esse sententiam, sed & Dionysio Alicarnasseo hoc ipsum uidetur; quòd autem Epitaphium Orationem habuerit Demosthenes, non inficiatur, non tamen hanc ab eo dictam fuisse ait, siue conscriptam, & merito, cum abiecta sit & uiribus careat: ex Orationibus autem in deliberatiuo genere conscriptis aliquæ quidem eodem nomine deliberatiuæ scilicet inscribuntur, aliæ uero nihilominus deliberatiuæ cum sint, Philippicæ tamen nominantur cognomen à rerum tractatione sortitæ; ac ipsarum Philippicarum unaquæque propriam quandam inscriptionem habet iuxta cuiusq; negotij proprietatem atque naturam.

VITA AESCHINIS EX INCERTO AVTHORE.

AEschines filius fuit Atrometi grammatici & Glaucotheæ, quæ eos initiabat, qui sacris Eleusinæ Cereris interesse cupiebant. ipsum aiunt, dum puer adhuc esset, in ludo, cuius pater magister erat, ei sub-

ministrasse, & libros matri legere consueuisse, & hanc, quia ex locis tenebricosis pueris & mulieribus incitata prodibat, Empusam fuisse appellatam; quoniam nocturnum spectrum Empusa est. cum adolescentulus esset, Tragœdiam recitauit, ita ut tertias partes egerit. beneuocalis cum esset, scriba fuit Aristophonti, ac post hunc Eubulo. & cum in prædicandis decretis simul & legibus expertus euasisset, dicunt illum suggestum inuasisse; & cum aptus natura esset, coæuos suos antecelluisse. post mortem quidem Philippi detectum fuisse hostem esse populi Atheniensis, ablegasseq; Antipatro aduersus ciuitatem; ac propterea Thebis prædia acquisiuisse. Cum accusauit Ctesiphontem, quòd rogationem de Demosthene tulisset rationibus reddendis obnoxio corona donato in theatro prædicando, aiunt quintam suffragiorum partem eum non exegisse, honoribusq; priuatum in Asiam discessisse, & Ephesum peruenisse, cum putasset Alexandrum eum Athenas reducturum: ut uero resciuit Regem decessisse, & inter successores seditionem & discordiam ortam esse, se Rhodum contulit: ubi Rhodij cum eum rogassent, ut artem Rhetoricam doceret, id negasse aiunt, cum diceret, se eam nescire, rursusq; postularent ipsi ut causas ageret, & id ipsum respuisse, cum conijceret se, cum in patria fuisset deuictus, in alieno solo admodum necatum iri: cum igitur finem sibi delegit, ut ad artem patris exercendam descenderet, pueros scilicet ut grammaticam doceret. Demochares nepos ex sorore Demosthenis (si quidem ipsi de Aeschine loquenti fides danda est) ait Aeschinem tertiarum partium actorem fuisse sub Ischandro Tragœdo, &

cum personam gereret Oenomai, qui Pelopen insequebatur. eum turpiter excidisse inquit, & ab Sanione chori magistro expulsum fuisse. inde igitur Demosthenes apud eos, qui rem nouerant, ut cauillaretur, ipsum Oenomaum appellat, ac unà cum Socrate et Simylo malis alioquin actoribus ait eum per rura errasse; unde & rusticanus dici potuit. Curia autem Cothocide fuit Aeschines.

APOLLONII IN AESCHINEM EXPOSITIO.

AESCHINES Orator genere Atheniensis fuit ex tribu Cothocide, filius Atrometi, quem prius Trometem dicunt appellatum, deinde adiectione syllabæ pro Tromete Atrometum dictum, à primaq; ætate seruum fuisse, et talem, quòd ei pueros grammaticam docuisse opus fuit apud templum Thesei & monumentum medici, postea ad Rempublicam fuisse assumptum propter eius calliditatem. Matre autem fuit Aeschines Glaucothea, uel, ut quidam dicunt, Glaucide, quam aiunt iuuenilem ætatem suam meretricio quæstui subiecisse, sedendo in tabernaculo prope monumentum Calamitæ: deinde, cum ab hac opera recessisset, declinauit ad initiandum & expurgandum eos, qui sacris Eleusinæ Cereris interesse uellent. His parentibus ortus Aeschines duos fratres habuit, Aphobetum & Philocarem, qui thecas uasorum unguentariorum & tympana pingebat: puer enim cum esset, patri in ludo literario docenti subministrauit. in uirum autem ut euasit, primum pro inferiore scriba unà cum fratre Aphobeto per certum temporis spatium magi-

ſtratibus inſeruiuit: hoc autem munus cum alioquin infame eſſet, illud poſthabendum putauit, atq; in Colytea curia tertiarum partium Tragœdum egit, Oenomaumq́; aliquando cum repreſentaſſet, excidit; deinde procedente ætate ad Rempublicam & res ciuitatis tractandas ſe tranſtulit. ac uidetur quòd ad commodum Philippi & Alexandri Rempublicam gerendam ſuſceperit, res ciuitatis cum Philocrate communicando; & ad illorum gratiam et aſſentationem ad eam ſe cõtulerit aduerſus Demoſthenem, qui ita in Republica adminiſtranda ſe geſſerat, ut rebus Philippi & Alexandri aduerſaretur, eorumq́; aduerſarius cenſeretur; quòd uero in gratiam Regum Aeſchines Rempublicam adminiſtrauerit, cum plura adſint teſtimonia, tum illud omnium maxime eſt expreſſum: ipſum enim cum populus in patronum cauſæ Delphici templi elegiſſet, in qua Athenienſes Delijs iudicium dictaturi erant, Concilium in Areopago eum, ne cauſam populi diceret, uetuit, ipſumq́; ueluti populo Athenienſi parum fidum repulit, Hyperidi autem, orationem ut haberet, mandauit. Aiunt quidam ipſum Platonis & Socratis auditorem fuiſſe: qua in re falluntur. Fuit & alter Orator Aeſchines Eleuſinus, qui dicitur & artes rhetoricas ſcripſiſſe: fertur autem & Aeſchines puerorum amator fuiſſe. ipſe de ſuo genere in Oratione de ementita legatione ait, quòd pater ſuus fuiſſet ex ea tribu eorumq́; genere, qui Heteobutadæ dicebantur, ex quibus uirgo ſacerdos Palladis Poliadæ conſtituebatur; quod'q́; in iuuenili ætate & pulchritudine conſtitutus cum eſſet, & poſtea patrimonium in bello conſumpſiſſet, eiectus fuerit à XXX. tyrannis, & cum militaſſet, & be

neuolentia & præmijs dignus fuerit habitus: in Corinthóq; cum uersaretur, post exilium simul populum restituerit, uixeritq; cũ nullius iniuria: ad ætatemq; quatuor et LXX. annorum peruenisse ait: maternos cognatos suos liberos homines fuisse: fratrem quidem suum Philocharem in gymnasijs uersari consueuisse, ac cum Iphicrate militasse, & sæpius Prætorem fuisse. Aphobetum eorum fratrem iuniorem pro urbis dignitate legationem obiuisse ad Regem, & cum Reipublicæ negotia administrasset, publicorum prouentuum optime curam habuisse. de ipso aiunt, quòd è pueris cum excessisset, excubias Atticæ regionis, pubes cum esset, annos duos fecisse: hi enim, sicuti lege mandabatur, cum armis regionem circuibant. Militauit primum ea militia, quæ singularis appellabatur: & cum pompam in Phliuntem unà cum Alcibiade, & exercitu peregrino comitaretur, periculoq; sibi creato circum locum Nemeaden fissionis terræ dictum, laudate depugnauit: ac cæteras expeditiones, quæ postea successere, omnes obijt: in Mantineaq; strenue dimicauit: et in Tamynis inter extraordinarios milites cũ decertasset, deinde coronæ munere honestatus fuit. Mortem obijt Aeschines ab Antipatro interfectus, cum Respublica corruisset: quo tempore ij quoq;, qui cum Demosthene erant, dediti in eius sunt potestatem, quatuor & LXX. natus annos. Cum tres sint Orationes, quæ ab eo conscriptæ fuere, & hæ publicæ. Deliaca enim Oratio est adulterina: quæ est cõtra Ctesiphontem, inuenimus eam postremo loco conscriptam fuisse, Alexandri scilicet temporibus: reliquæ autem circum hæc ipsa tempora compositæ ab eo fuere. prior cer-

te ordine est illa contra Timarchum: in ea enim, quæ de ementita legatione ab eo post illam, scripta fuit, huius Orationis mentionem facit Aeschines.

VITA AESCHINIS EX FLAVIO PHILOSTRATO.

De AESCHINE Atrometi filio, quem asserimus fuisse Principem secundæ Rhetorum sectæ, ea oportet animaduertere. Athenis populi administratores duas in partes distinguebantur: quidam Regi erant amici, alij uero Macedonibus. eorum, qui Regi gratificabantur Pæanieus Demosthenes. illorum uero, qui ad Philippum prospiciebant, Cothocides Aeschines Princeps erat: & pecunia ab ambobus ipsis obueniebat. à Rege, quia solicitus erat, ne Atheniensium opera Philippus in Asiam equitaret. à Philippo, quia tentabat Atheniensium potentiam euertere: utpote qui ei impedimento erant, ne transmitteret: dissidij origo tributa fuit Aeschini & Demostheni. cum ob id ipsum Rempublicam tractarent, ut alter quisque alteri Regi faueret: ut uero mihi uidetur, eo quia contrarijs moribus essent: à moribus enim inter se pugnantibus odium concitatur causam non continens, quod ob hæc in alterum ferri quis debeat: Aeschines enim perpotationi deditus uidebatur, & iucundus esse ac lenis: & quicquid enunciabat, gratiam continebat, quia Bacchi particeps esset: & grauiter suspirantibus Tragœdis actoribus, cum adolescentulus esset, inferiori loco in Tragœdijs inseruiuit: ille contra & sobrius fuisse uidebatur, & graui supercilio: utpote qui aquam bibebat. un

de describebatur

de describebatur inter difficiles & morosos. Postea cum essent in legatione cum cæteris legatis apud Philippum, & in eodem contubernio manerent, is animo solutus & iucundus reliquis collegis uidebatur: ille quidem macie torridus, & semper animo solicitus, eorum dissidium auxit Oratio habita pro Amphiboli apud Philippum: quando Demosthenes orando defecit. At Aeschines neq; ex illis fuit, qui scutum unq̃ abiecerint. sed pulcherrimi facti in Tamynis recordatus, ubi Athenienses Bœotios superarunt, in gratiam eius fortitudinis corona publice donatus fuit, cum inopinata ad hæc celeritate uictoriam ciuitati nunciasset. Cum autem Demosthenes eum criminaretur, q̃ Phocensium calamitatis author fuisset, eius accusationem reprobarunt Athenienses: sed Aristophonte condemnato conuictus extitit: & uetuerunt Areopagitæ, ne causam pro eis diceret pro Delphico templo. His adde q̃ Pyalgoras cum esset, & quæstio de eo habita fuisset, minime effugere potuit, quin apud populum ipse Philippum in Elatiam induxisse uideretur, & Pylæam conturbasse uerbis suis speciosis & fabulis. Athenis autem excessit non in exilium à ciuitate missus sed præ infamia, cum ab ea se abalienasset, cui à Demosthene et Ctesiphone fuerat subactus, cum suffragijs inferior fuisset: profectionis autem suæ cursus ad Alexandrum dirigebatur: quippe qui in Babyloniam & Susa iturus esset. in Ephesum autem cum nauigasset, intellexissetq; mortem Alexandri, & Asiæ negotia sibi fore interclusa, Rhodum appulit, quæ insula ei uisa est apta studijs. ac Rhodum effecit, ut gymnasium esset, ac Rethorum officina. ibi uitam traduxit, otium et Musas colendo, doricisq;

moribus Atticos coniūxit: orationeq́; ex tempore, ut bene & diuinitus flueret, edocuit. atq; laudem hanc inde ipse primus accepit. nam diuinitus dicere nondum Rhetorum studijs erat usitatum: sed ab Aeschine initium sumpsit impetus ille de improuiso dicendi, quasi ex diuini numinis concitatione. quemadmodum hi faciunt, qui diuino afflatu atque anhelitu oracula spirant. fuit autem auditor Platonis atque Isocratis, multa alioqui commoda à sua ipsius natura sortitus, lucem scilicet claritatis in orando, delicatamq́; grauitatem orationis, gratiam quoque uehementiæ commistam. forma autem eius orationis & species melior fuit, quàm quòd imitationi subijci possit. Orationes Aeschinis tres sunt, ut nonnulli sentiunt, est & quarta Deliaca eius stylum ementita: nunquam enim uerba, quæ de Amphissa habuit, propter quæ Cyrrhæa regio fuit consecrata, hilare studioseq́; expoliuisset: cum infesto esset animo Atheniensibus, ut ait Demosthenes. ad has uero Deliacas Orationes, in quibus & Theologia, & Deorum genealogia, & antiquitatis repetitio desiderabantur, usque adeo leuiter accessisset, & præsertim cum pro Atheniensibus decertaret, qui non parum esse existimabant, ne à templo Delphico eijcerentur: tribus autem Orationibus Aeschinis eloquentia concluditur. ea, quæ est contra Timarchum, defensioneq́; ementitæ legationis, & Accusatione contra Ctesiphontem. est & quarta ipsius Commentatio, Epistolæ scilicet nonnullæ, quamuis non multæ, plenæ tamen morum & eruditionis. Pulcherrimum etenim exemplum Rhodijs moralis præbuit disciplinæ cum enim publice recitaret Orationem contra Ctesiphon-

tem: hi uero admirarentur, ut eiuſmodi Oratione *inferior fuiſſet, &* Athenienſes *momordiſſent, quòd id non ex lege feciſſent. is reſpondit. quid? non admiraremini, ſi* Demoſthe*nem ad iſta reſponſum reddentem audiuiſſetis? quo dicto non ſolum in mici laudem extulit, ſed et iudices à culpa liberauit.*

DE AESCHINE EX INNOMINATO.

QVÒD *Aeſchines cauſam uincere potuerit,* Eu*bulo patrocinium præſtante aduerſus* Demoſthe*nem, patet. dum,* Demoſthene *adhuc dicente, effecerit, ut iudices conſurgerent: idq́; ſcire poſſumus ex* Demo*ſthenis* Orationibus. *euenit autem ipſi, ut poſtea patria cederet: quia decretum pro* Demoſthene *latum, ueluti contra leges eſſet, accuſauit: cum mulctam definiuiſſet, niſi legibus repugnare oſtenderet, ſuperatusq́; eſſet* Aeſchines, *& mulctam ſoluendo non eſſet, quam ipſe præſcripſerat, quòd in exilium iturus eſſet: ut id colligi poteſt ex* Oratione *de* Corona. *ideo à patria exul ſeceſſit, cumq́; uellet* Alexan*drum petere, eius morte, ipſiusq́; ſucceſſorum tumultu intellecto,* Rhodum *enauigauit: ubi* Rhodiam *ſcholam aperuit. ibiq́; cum* Rhodios *pueros erudiret, & grandioribus natu* Orationem *cōtra* Cteſiphontem, *quam dixerat aduerſus* De*moſthenem, recitaret, & ob eam unam illum uel ſumme admirarentur, ab eiſq́; rogaretur, cur ob talem* Orationem *cauſa cecidiſſet, reſpondit:* Admiramini, *quare inferior fuerim: quoniam beſtiam illam non audiuiſtis? beſtiam nanque illum appellabat, quia moribus ferus & implacabilis eſſet. fertur, quòd & eas, quæ* Declamationes *dicuntur, & illas*

controuersias, quibus Sophistæ utuntur, ipse primus ibidem exercitationis gratia inuenerit. Quòd discipulus fuerit Socratis philosophi, deinde posteriori loco Platonis, tradit Demetrius Phalereus: sed, ut scripsere Cæcilius & Idomeneus ac Hermippus, hos uiros audiuit, non causa disciplinæ: inquiunt enim, quòd characteris Platonici nihil retinet, neque diligentiam, neque puritatem illam, neque castitatem, neque numerum. sed quasi hians est eius Orationis forma, & inartificiosa, ac præceps, pronaq; ad conuitia turpiter inferenda, & præterquam Rhetori conueniat, enunciata. habet uero nescio quid ingeniosi, & docilis, ac cuiusmodi à natura & subobscura præmeditatione alicui id inesse contingat.

EPISTOLA AESCHINIS,

Aeschines Senatui populoq; Atheniensi. S. D.

EGO ad Rempublicam accessi XXXIII. *ætatis anno: non p Iouem ex Scena, ut aiebat Demosthenes: sed et libere scribere edoctus, & studijs bonarum artium mediocriter eruditus, atq; ita in dicendo uersatus, ut me Athenis loqui deceret. neq; hāc dicendi facultatem ad alicuius calumniam meditatus fuisse: aut, ut alicui ex ciuibus negotium facesserem, deprehendar pecunia corruptus, seu contumeliam remisisse, prosus'ue contumeliose tractatus fuisse: neque causam præstiti, ut contemptui haberer: nec ciuium quenquam in iudicium traxi, præter unum Timarchum: minusq; id prædico in conspectu uestro, quòd, cum grandem admodum pecuniarum summam capere potuissem, eas accipere noluerim. sed quoad per leges*

licuit, pœnas sumpserim. Præterea Ctesiphontem rursus, cum multa ab eo, multa ab Demosthene passus essem, illicitæ rogationis detuli: æquissima alioquin per Deos accusatione. sed ne admirandum quidem est: si superior quàm leges uestræ & Orationes meæ fuerit eloquentia Demosthenis. Visum autem forte est ex his, de quibus antea à Demosthene delatus fui, longe quippe his maioribus, propter quæ in præsentia succubui, illud nõ paruum apud uos argumentum bene per me administratæ Reipublicæ, quòd Demosthene accusante condemnatus non fuerim. post hanc uero calamitatem id uel summe apparuit uniuersæ Græciæ, nedum uobis, quinam, ut reor, ipse fuerim. quis enim non nouit, quòd homines defuncti sicut & exules ab eorum patria eo uel maxime tempore, mortis scilicet & exilij, quibus fuerint moribus apparent, & quæ ipsi prius celauerant, illis è medio sublatis, palàm conspici: multo enim magis ab eorum inimicis uellicantur, dum illis resistere nequeunt: qui uero ob eiusmodi causam exulant, quòd hostibus semper adhæserint, manifestos prorsus faciunt & suos mores, & quas aperto sententias in Republica administranda secuti fuerint: nam & qua de re calamitatem acceperint, & quo sint animo erga suam patriam non dissimulanter disquiruntur: nunquid, quòd Philippo patriam meam tradiderim, & ita legationem fuerim ementitus aduersus Rempublicam, ut Macedonibus obsequerer, posteaquam à uobis è uestigio exul recessi, ad Alexandrum me contuli, eorum, quæ illi præstiteram gratiam reportaturus, & consultationis præmium ab eo accepturus? Neque enim fieri potest, ut non uideam Demadem

in Bœotia *diuersoria habentem,* & XX. *iugera terræ arantem, aureasq; phialas tenentem :* Hegemonen *uero* & Callimedonten, *hunc quidem in palla, illum uero in berrhæa* & *muneribus pariter condonatos,* & *honestissimis nuptijs condecoratos : attamen neque ad* Thebanos,*neque in* Thessaliam *à uobis profectus fui, neq; ad alium quenquam, apud quos me oporteret patriã maledictis uiolare, aut eam ab alijs uiolari audire. uerum* Rhodum *appuli, ad hominum sanè urbem neque uobis per* Iouem *infensorum, neque qui alioquin odio habeant : qui enim propè suam patriam remanent, his potius mihi similes esse uidentur, qui pœnam illudunt, quàm quòd ciuitatem reuereantur. quapropter mihi necesse fuit, uel quamlongissime ab ea proficisci, ne quicquid eiusmodi cogitationis ob oculos uersaretur, quod mentem meam turbare posset : atque ne hic quidem* Rhodi *scilicet mansisse uiderer : paruum quoddam oppidum* Ammum Stereæ *delegi: ubi cum iugera duobus talentis emissem, tot quippe, quot eum, qui pecunia corruptus ad* Philippum *primum, deinde posteriori loco ad* Alexandrum *defecerat, decebat, quiq;* Phocenses *ac* Græciæ *libertatem* Macedonibus *tradiderat.* Hic *uitam dego cum famulis* VII. & *duobus uel solis domesticis, ac matre, quæ iam tertium ac* LXX. *annum cum attingat, mecum nauigauit. ut ærumnæ mihi à uobis inflictæ particeps esset, unà quoque cum uxore, quæ mecum profecta fuit, quamuis pater eam probibuisset, ac leges forte cogerent manere. dum mores potius quàm ciuitatis leges edocta esset, tribus insuper cum filijs, qui suam nondum miseriam persentiunt, nec quam eis, cum geniti sunt, patriam* Deus *de-*

derit, Athenarum quippe ciuitatem, qua'ue rursus, ubi nati fuere, ab urbe eiecti sunt: alij etenim (ut uidere licet) eorum liberos siue in Bœotia, aut in Aetolia genitos ad uos mittunt, ut ibi erudiantur: quibus uero datum est, ut natura ista sint comparata, quiq; non è nouo patre nati existant, turpi'ue de causa damnato, exulant adhuc infantes, & tenuiter aluntur in solitudine, exilioq; paterno. Demosthenes enim uobis literas scripsit de filijs Lycurgi: uosq; humaniter est deprecatus, illud petendo, ut paternam culpam illis condonaretis, uos nihil aliud, quàm quòd moris est Atheniensium, agendo, eorum miserti estis, ipsisq; rem gratam fecistis: etenim facile irasci consueuistis, rursusq; mitigari. ego pro filijs meis non adducar, ut uos rogem, ne mihi solum in orbitate alantur, sed ne orbi simul & exules sint, cum neque cuiquam iniuriam intulerint, uel aliqua alia de re damnati fuerint, quæ tamen damnati luunt, omnia fuerint perpessi. deinde me tandem ad memoriam uestram reuocetis: & his precibus meis gratificari uelitis, mutata rursus uoluntate uestra. Verum enim Athenienses agite, & amplectamini quod apud uos ipsos in more positum est, & in modestia uestra perseuerate: neque enim à moribus uestris recedetis: ciuitatis'ue existimationem contemnetis, qua probe & humaniter agendo, multo magis floruit, quàm reliquæ aliæ ciuitates: neque Melanopus plus potuerit uos prohibendo, ne probitate et urbanitate uestra utamini, quàm adhortando, non quidem Aeschines (nequaquam enim ad eam rem per Deos idoneus est, neque certe aptus ego sum, ut patriæ meæ hoc persuadeam, præsertim, cum id in gra-

tiam meam agere uiderer) sed ciuitatis consuetudo, antiquumq; nomen uestrum, ac mos maiorum uestrorum, cui æquius sanè est, quàm Melanopo, qui aduersus uos deprecatur, ut animum adhibeatis.

ARGVMENTVM IN ORATIONEM AESCHINIS CONTRA TIMARCHVM EX INNOMINATO.

ATHENIENSES *cum confecissent bellum Olynthiacum aduersus* Philippum, *postea eis uisum est pacem facere cum* Philippo, *& societatem cum eo habere, ac ad posteros id porrigi decreuerunt. misere ad eos legatos* X. *qui ab ipso iuramenta acciperent, inter quos erant* Demosthenes *&* Aeschines. Legatione *autem* Athenas *reuertente, deferunt* Aeschinem *male gestæ legationis* Demosthenes Orator *&* Timarchus *Arizeli filius* Sphettius *in* Republica *insignis.qui cũ concionari soleret,ac plus centum decreta tulisset, euenit,ut nouissime cũ* Senator *esset,decretum scripserit, quo cauerat. ad* Philippum *arma deferentem ultimo supplicio plectendum fore. intermissa itaq; ea delatione,antequã ad examen iudicij deueniretur, accusauit* Aeschines Timarchum,*q, conciones præter leges haberet:quoniam ei cõcionari non liceret, q̃a muliebria passus esset. q̃dam igitur aiunt, quòd* Timarchus, *non expectato iudicio, laqueo adhæserit: alij, quòd damnatus notatus fuerit infamia, ut inquit* Demosthenes *in* Oratione *de ementita legatione. res uero ita insignis effecta est, ut inde ab hoc indicio* Catamytos Timar

chos postea uocarent. Procemium huius Orationis est potius tragicum. in eo enim cum se modeste gereret Aeschines, ut beneuolentiam captaret, & Timarchum in odium traheret, ac cum de administratione Reipublicæ dixisset, transit ad locos non proprios suppositæ materiæ, sed communes aduersus omnes eos, qui, quòd se prostituant, in iudicium uocantur. hi autem sunt eiusmodi. Num ueteres recte & diligenter leges tulerint de puerorum honesta disciplina, adulescentulorumq;, & reliquarum ætatum? Nunquid recte interdixerint, qui muliebria passi fuissent, ne in publicis concionibus audirentur? Ac deinde, num Timarchus, quòd se prostituisset, præter leges conciones habeat? sub quo loco continetur an Timarchus accusatione teneatur, cum se prostituerit, in quo etiam dicitur, quòd apud Misgolam quæstu se locauerit, hominem in ea re notatum, & quòd apud Anticlen, dum in aleæ ludo uersaretur, ac luderet, apprehensus est à Pittalaco publico ciuitatis ministro, & quòd cum eo moratus honori suo non pepercerit, et quòd apud Hegesandrum Timomachi propinatorem aliquandiu permansit, ei suo corpore deseruiens.

ALIVD ARGVMENTVM EX INNOMINATO IN EANDEM AESCHINIS ORATIONEM.

HANC Orationem inscripsit Aeschines inquisitionem aduersus Timarchum. erat Timarchus unus ex his, qui suggestum ascendebant, & qui ipsum Aeschinem fuerat

insectatus. Latæ autem erant leges Athenis de Oratoribus, quos scilicet à dicendo arceri oporteret: quippe qui paterna bona consumpsissent: qui se prostituissent, quòd si his legibus non paruissent, popularem fore aduersus eos actionem, ut iudicarentur, an idonei essent ad concionem habendam. Duo autem obijcit Aeschines Timarcho: & quòd se prostituerit: & quòd paternam substantiam dissiparit. Oratio autem inscribitur ab eo, q; esset muliebria passus: quia accusatio potissimum circa idipsum uersatur. uidetur autem Aeschines, uictoriam (ut aiunt antiqui scriptores) reportasse. mihi autem placet has Orationes post latas sententias conscriptas fuisse.

AESCHINIS ORATORIS CONTRA TIMARCHVM ORATIO.

CVM NEMINEM unquam ex ciuibus uiri Athenienses detulerim, aut repetundarum iudicio damnarim, sed modeste (ut existimo) in horum utroque me gesserim, uideam autem ciuitatem nimium uiolari ab hoc uno Timarcho, dum lege uetante conciones habet, & ipse priuatim calumniose ab eo exagiter, quònam uero pacto, procedente oratione ostendam, quid unum profecto turpissimum fore censerem, nisi & uniuersæ ciuitati, & legibus, & uobis, ac mihi ipsi opitularer. cum enim nossem ipsum his esse obnoxium, quæ modo audiuistis, scriba legente, hoc iudicium illi denunciaui. Etenim (ut credi par est) uiri Athen. uerba quæ in publicis iudicijs haberi solent, non sunt ementientia, priuatæ enim simultates plurimum admodum Reipublicæ conferunt. Totius igitur controuersiæ neq; ciuitas in causa Timarcho fuisse uidebitur, neq; leges, neque uos, neque ego, uerum hic ipse sibijpsi, nam leges ei ante dixere, si inhoneste uixerit, quòd concionari non licebit. præceptum (ut ego quidem iudico) haud difficile, uerum perquam facile statuendo, me quidem (si prudenter egisset) haud decebat, ut calumniaretur. atque de his satis (ut credo) à me di

ctum sit. illud non ignoro uiri Athe. q, quæ uobis in primis dicturus sum, antea ab alijs audiuisse uideamini, sed & mihi opportunum esse crediderim, si in præsentia hoc eodem genere dicendi usus fuero. Apud omnes homines in cõfesso est, treis esse administrandæ Reipublicæ rationes, tyrannidem & paucorum, ac popularem statum. moribus enim eorum, qui præsunt, tyrannis & paucorum status confirmantur: at quæ populari ratione ciuitates reguntur, legibus positis conseruantur. Probe nostis Athe. q, uitam & Rempublicam eorum, qui in populari statu uiuunt, leges defendunt, tyrannidem uero & paucorum statum diffidentia & in armis præsidium positum sustinenti. At quibus ex paucis dominatus constat, quiq; inæquabili in Republica regnant, obseruandum est, ut eos apud se habeant, qui uirium lege Respublicas subuertere student. Vobis certe, qui æquam & legibus consonam Rempublicam habetis, ut eos, qui conciones habent, uiuuntq; præter leges, coerceatis. inde quippe uigebitis, si legum uestigijs institeritis neq; ab his, qui legibus repugnant, & petulanter uiuunt, perturbabimini, illud etenim è re esse existimo, cum legem ferre uoluerimus, ut cogitemus, quemadmodum honestas & Reipublicæ utiles leges sanciamus, postea uero q̃ promulgatæ fuerint, illis ita latis ut pareatur, quiq; eas contempserint ut castigentur, si Rempublicam honeste recteq; agere uelimus, cogitate quæso Athenienses q̃ prouide ad temperãtiam Solon ille uetustus legislator & Draco respexerint, quiq; per ea tempora leges tulere, inprimis enim de puerorum nostrorum honesta institutione leges sanxerunt, palamq; edixerunt ea, in q̃bus puerum

ingenuum uersari oporteret,utq́; is educari deberet,secundo autem loco de adolescentulis, postremo uero & sequenti, de reliquis alijs ætatibus caruerunt, acnon solum quòd plebeios, sed & Oratores hasce leges cum perscripserint, eas apud uos deposuerunt,uosq́; ipsos earum custodes præfecerunt. Placet igitur & mihi eundem modum in dicendo seruare, quo in legibus ferendis usus est legislator. Primum enim percurram uobis eas leges, quæ de puerorum uestrorum honesta disciplina latæ fuere, deinde & secundo,quæ de adolescentulis, ultimo autem & sequenti,quæ de reliquis alijs ætatibus,neq; solum quo ad plebeios sed & Oratores quæ fuerint sancitæ, ita enim mihi uerba uel maxime facilia futura arbitror, pariterq́; uobis explicare in animo est Athenienses in primis,ut leges se habent, quæ de Republica latæ existunt, rursusq́; & sequenti loco disquirere,quibus sit præditus moribus Timarchus,ipsum enim aduersus omnes leges uixisse reperietis. Nã legislator doctoribus, quibus necessario pueros nostros commendamus, quorum uictus à temperantia pendet, inopia uero ab his,quæ illæ sunt aduersa , nihilominus subdiffidere uidetur, palamq́; dicit,qua hora primum puerum ingenuum literarium ludum adire oporteat, deinde quot cum pueris ei sit ingrediendum, ac quando illi sit abeũdum, præceptoresq́; prohibet, ne prius scholas aperiant, palæstritæq́; gymnasiũ, q̃ sol oriatur,mandatq́;,ut illa claudantur, anteq̃ occidat,usq; adeo solitudinem et tenebras suspectas habet, adolescentesq́; ludum frequentantes,qui, cuius ue ætatis esse deberent, quiq; magistratus futurus sit,qui earum rerũ curam est habiturus, cauet quoq; lex de pædagogorum institutione, deq́; sessioni-

bus in scholis & gymnasiis, ac postremo de puerorum ludi frequentatione, chorisq́;, qui per circulos haberi solent. praescribit enim Choragum, qui rem ꝓpriam pro uobis insumat, cũ annos XL. excesserit, ita demum admittẽdum esse, ut uidelicet in temperatissima aetate constitutus liberis uestris occurrat, leget itaq; has leges scriba, ut cernatis legislatorem putasse, puerum probe educatum in eum uirum euadere posse, qui in usus Reipublicae dispensari posit, at cum hominis natura prauam in initio institutionem acceperit, quoniam, pueri cum essent, perperam educati fuissent, ciues Timarcho huic persimiles futuros lex censuit, recitauero has leges, LEGES. Puerorum doctores scholam ne aperiant, priusq̃ sol effulserit, neq; illam claudant, anteq̃ occidat, hisq́;, qui puerilem aetatem superauerint, dum pueri in ludo sunt, ne liceat ingredi, nisi praeceptoris, aut eius fratris filius, filiae'ue uir sit. ꝗ siquis aduersus eam ꝓhibitionem ingressus fuerit, morte puniatur: Gymnasiarchae quoq; ex his quenquam, qui maiores natu sint, aliquo pacto pueris commixtum in sedendo ne permittant. ꝗ si admiserint, & à gymnasio nõ repulerint, legi de ingenuorum corruptela Gymnasiarcha subditus esto. Choragi uero, qui à populo fuerint destinati, quadragesimũ annum excedant. Post haec igitur Athenien. legem profert de grauibus alioquin criminibus, quae puto in ciuitate fiant, ex eo enim ꝗ quis id agat, qđ non liceat, leges à ueteribus latae sunt. aperte itaq; lex ait, si quẽ quaestu locauerit, ut se prostituat, pater uel frater, patruus, uel tutor, aut quiuis alius, qui alterum in potestate habet, aduersus puerum quidem ipsum, ꝗ se prostituisset, iudicium non esse, q̃uis contra loca-

torem itidemq; conductorem esse promittat: illum enim q, ob quæstum locasset, hunc q, pecunia conduxisset, atq; parem pœnam utriq; statuit, q,q; puero pubescenti patrem alere necesse non sit, neq; ei habitationem præbere teneatur si eũ mercede prostituerit, mortuum tamen q, sepeliat, iubet, ac iusta faciat. Aduertite quæso Athenienses q̃ pulchre id habet, ab ipso quidem uiuente lex commodum aufert, q, ex filij procreatione sibi debebatur, sicut & ille libertatē loquendi à filio abstulerat, ipsum uero mortuũ, (quando si quod commodum ei præstetur, illud non sentit qui beneficio afficitur, lex uero & numen ipsum hominem cõsequitur) sepeliendum esse, ac reliqua de more parentalia pagenda ei iubet. Aliã quandam insuper legem tulit, quæ liberos nostros à stupro defendit, grauibus alioquin pœnis præscriptis, si alicuius pueri ingenui uel mulieris quis perductor esset. & quám nam aliam legem sanxit? nempe illam, quæ est de contumelijs, quæ uno capite omnia huiusmodi comprehēdit, qua manifeste cauetur, siquis puerum contumelia affecerit, contumelia proculdubio afficit, qui ob quæstum locat, uirum, aut mulierem, liberum, liberam'ue, seruum, seruam'ue, aut siquid aduersus leges admiserit, in eos dat lex contumeliæ actionem, pœnamq; definiuit, quid pati, quid'ue mulctæ soluere teneatur. recita legem, siquis Atheniensis puerum ingenũũ contumelia affecerit, qui eum puerum in potestate habet, reum deferat ad præfectos prætorio, talioniq; se subscribat, q, si fuerit iudicio damnatus undecimuiris traditus eaipsa die ultimo supplicio afficiatur, sinautem pecuniaria pœna fuerit irrogata XI. dierũ spatio post iudicium acceptum, illam inferat, uerum si quam-

primum illã persoluere nequiuerit, quousq; eam deponat, carceribus includatur, obnoxijq́; sint huiusmodi iudicijs & qui in seruile corpus peccarint, sed forte quis admiretur cum repente audierit, cur legi de contumelijs adiectum sit uerbum illud seruorum. id uero si consideraueritis inuenietis uiri Athe. q̃ optime legi adscriptum fuisse, non q. seruorum nimium diligens esse uoluerit legislator, uerum dum uellet nos multo magis assuescere, ut ab ingenuorum contumelijs cõpesceremur, addidit, ne in seruos quidem contumeliam committi debere. in summa putauit legislator in populari statu eum, qui in quempiam contumeliosus sit, idoneum non esse, ut Reipublicæ administrandæ intersit. illud quoq; pariter mecũ ad memoriam reuocate uiri Atheniẽ. q. hactenus legislator de pueri capite aliquid nondum disseruit, uerum de his, qui puerum circunstant, patre, fratre, tutore, magistris, ac breuibus de his, qui illum in potestate habent. postq̃ uero in librum eorum, qui in suam tutelam uenerint, est relatus legesq́; is scit Athenienses & intelligit ipsius ciuitatis, honestaq́; à turpibus dignoscere potest, lex nõ amplius cuiq̃ edisserit, sed Timarcho ipsi, & quid dicit, siquis ex Atheniensibus inquit, se prostituerit, ei ne liceat ex nouem magistratibus esse, quoniam opinor magistratus is corona insignitus esse solet, neq; sacerdotio augurari, utpote qui impuro corpore uerba faceret, aitq́; neq; pro populo causam dicat, magistratum'ue aliquem nunquam gerat siue urbanum siue externum, sorte'ue eductum, aut populi suffragio creatum, neq; caduceator fiat, aut legationem obire possit, eos'ue qui legationem obierint ne dijudicet, neq; aliquem accusare possit etiam mercede conductus, sententiam

quoq;

quoq; ne dicat siue in populo siue in Senatu, etiam si Athenien sium esset eloquentissimus. q, si quis ista transgressus fuerit, stupri iudicio subiaceat, maximasq́; pœnas rependat. recita his & hanc ipsam legem, ut uideatis, quas inter leges à uobis latas, quamq; pulchras & honestas Timarchus cōciones habere fuerit ausus, eiusmodi moribus cum sit, qualem uos nouistis. Si quis Atheniensis muliebria passus fuerit, ei ne liceat ex nouem magistratibus esse, sacerdotio augurari, neq; pro populo causam dicere, sed & alium quemuis magistratum agere non possit siue urbanum seu externum, sorté ue eductum, aut populi suffragio declaratum, neq; ad legationem aliquam emittatur, sententiamq́; non dicat, publica quoq; sacra non ingrediatur, in pubilcis ue coronationibus coronam ne gestet, neq; intra cancellos in forum eat. q, siqs ea fecerit, is stupri damnatus gladio ultore puniatur. Hanc quippe legem tulit scriptor legis de adolescentibus, qui passim eorum corpora prostituunt, quas uero paulo ante uobis recitaui, erant de pueris, at quas modo lecturus sum, reliquos comprehendent Athenienses. sepositis itaq; legibus istis cōsiderabat legislator, quemadmodum uos unà coactos ex causa concionis de rebus serijs consultare oporteat, atq; unde exorsus est? leges inquit de decoro, à modestia primum incepit, quoniam ubi plurimum modestia uiget, eam ciuitatem & optimos incolas habere necesse est, & quomodo mandat præsidibus Senatus cum populo agant? postea q̃ piaculum fuerit circum latum, et præco patrias preces emiserit, lex præcipit præsides proponere consultationem debere patriorum sacrorum, præconum legatorum, sanctarumq́; rerum. post hæc interrogat

præco, qui ætatem quinquaginta annorum excedat, qui cõcio-
nem habere uelit? postea q̃ hi omnes dixerunt, tunc demum
lex statuit reliquos Athenienses, qui uoluerint, quibusq; id li-
ceat, dicere posse. Cogitate q̃ recte uiri Athenienses non
ignorauit (ut existimo) legislator, q̧ seniores prudentes sunt
ob multarum rerum peritiam, audaciaq́; eos deficere incipit
ob usum rerum plurimarum. cum igitur eos assuefacere uel-
let, ut necessario de rebus publicis uerba facerent, qui multi
essent consilij, quoniam eorum unumquemq; nominatim ap-
pellare uerebatur, communi totius ætatis nomine eos uoca-
tos ad suggestum prouocat, & , ut concionentur, suadet, pa-
riter & iuuenes docet seniores uenerari, omniaq́; posthabe-
re, ac senectutẽ colere, ad quã omnes simus puenturi, si uitam
produxerimus. atq; ita modesti erant ueteres illi oratores Pe
ricles & Themistocles, ac Aristides, qui dissimile huic Ti-
marcho cognomentum habuit, cum iustus appellaretur, ut
quod nunc in consuetudine apud uos positum est, in dicendo
scilicet, manus extra pallium tenere, tunc illud temerarium
esse censerent, idq́; ne agerent, uitabant. euidens autem admo-
dum de eo argumẽtum uobis me ostensurum re ipsa arbitror.
probe noui, q̧ omnes in Salamina nauigastis, Solonisq́; statuã
aspexistis, ipsiq́; testimonium laturi estis, q̧ in Salaminiorum
foro Solon collocatus est, manus intra pallium tenens. istud
est uiri Athenienses monumẽtum & exemplum imaginis So-
lonis, quo gestu esset, cum ad populum Atheniẽsem loquere-
tur. Animaduertite quæso uiri Athenienses, quantum diffe-
rat Solon à Timarcho, uiriq; illi, quorum ante mentionem
habui. illi enim uerecundabantur in dicendo manus extra pal-

lium tenere, is profecto non iamdiu sed nuper pallio abiecto nudus in concione pancratio decertabat. ita turpiter & indecore affecto corpore erat ob temulentiam atq; dementiam, ut qui recte saperent præ ciuitatis uerecundia caput obtegerent, q. eiusmodi Senatoribus uteremur. quæ cum intelligeret lator legis, expresse proposuit, quibus concionari liceret, quos'ue ad populum orationem habere non deceret. nec arcet à suggesto, siquis ex Consularibus uiris procreatus non esset, nec siquis artem aliquam exerceat uictus causa necessario quærendi, uerum hos uel maxime amplectitur, proptereaq; sæpenumero interrogat, qui cócionem habere uelit. sed quos ad dicendum non admittendos censuit? qui uitam duxerint ignominiosam, hos enim ad conciones habendas non recipit. atq; ubi'nam id aperit? in exquirendæ inquit Oratorum uitæ iudicio, siquis ad populum uerba faciat, qui patrem uel matrem uerberarit, eos'ue non habuerit, aut intra habitationem non receperit, hunc à dicendo prohibet. & probe per Iouem ut ego reputo. quid ita? quoniam qui aduersum eos, quos æque ut deos uereri debet, improbus est, qui'nam inquit ab ipso homines alieni uniuersaq; ciuitas patietur? Deinceps qbus uetuit lex ne dicerent? si expeditiones inqt non fecerit is, cui ut eas faceret, iniūctū fuerat, aut si scutum in pugna abiecerit, iusta alioqn decernendo, qd ita? Heus tu illi ciuitati, pro qua arma non induas, quam'ue, quia formidolosus sis, ab iniuria defendere nō possis, ne petas te consultorem dari, quibus tertio inhibet? qui muliebria passus, prostitutus'ue fuerit, eum enim qui suum corpus ob quæstum contumeliose uendidit, eum putauit lex & Rēpublicam fa-

eille esse uenditurum, qbus quarto loco interdixit? ei inquit, qui paternam hæreditatem profuderit, aut illam, quæ sibi aliunde fuerit delata. illum quippe, qui ædes suas male habuerit, & Rempublicam eodem modo tractaturum putauit: neq; enim legislatori fieri posse uisum est, ut is uir, qui priuatim malus existat, publice bonus esse posit, neq; sibi psuadere uoluit legis scriptor, ut orator, qui in suggestũ uenturus sit, uerborum prius curam habeat, & non uitæ. Viri enim probi et honesti oratio etiam si prorsus abiecta & humilis sit, eam tamen auditoribus utilem fore est opinatus. Ab homine porrò demente, & qui corpore suo ad risum usq; abusus fuerit, quiq; indecore paterna bona consumpserit, si quid etiam eloquentissime dicatur, id audientibus nulli usui fore existimauit. hos itaq; à suggesto reijcit, his interdicit, ne concionentur. Atqui istis posthabitis non pro rostris solum prodeat, sed et calumniose petulanterq; agat, eiusmodiq; hominem non amplius ciuitas ferre posit, ei ex populo Atheniensi qui uoluerit uitæ exquirendæ iudicium denunciare liceat, inquit, uobis uero mandat, ut in foro ea de re cognoscatis. ego itaq; in præsentia hac lege tutus ad uos uenio, sed quia ista iam pridem lator legis prospexit, uos nouam quandam legem sanxistis post egregiam illam luctationem, qua iste in concione luctatus extitit. eam enim ob rem rubore suffusi legem tulistis nouam, in unaquaq; concione tribum sorte educi debere quæ ad tribunal præsideat, ac quid statuit lator legis? tribules sedere iubet, legibus ex republica opem laturos, q̃ nisi alicunde auxilium accersieritis in homines ita dissolutos, ne de rebus quidem grauissimis idonei futuri simus, ut consu-

lamus. nihil enim proficitur Athenienses, si quæsierimus istiusmodi homines clamoribus à suggesto deterrere, nō enim sunt uerecundi, sed eos pœnis terrere ut desuescant necesse est, cum uel eo tantummodo effici tolerabiles possint. leget ergo leges de modestia Oratorum latas, illamq;, quæ ut tribus præsideant, cauit, quam Timarchus iste reliquiq; eiusmodi Oratores minime expedire simul ad Senatum retulerunt, ut faciant, dicant uiuant'ue quemadmodum eis libuerit, LEGES, Siquis Orator cōcionem habeat in Senatu uel ad populū de re ꝓposita, ne à re procul aberret, ne'ue de re quaq; dicat, aut bis idem hic ipse coram eisdem proponat, quodq; ne quenquam maledictis uexet, aut sub sole quempiam traducat, obloquatur'ue, aut, dum quid ad Senatum refertur, de his repugnāter dicat, quæ'ue ad suggestum non ꝑtinent, præsidem'ue ne urgeat, aut extrahat cōcione, Senatu'ue dimisso, ea arbitrio suo præsides mulctent ad quinquaginta drachmas usq;, deinde cuiusq; admissi authorem lex actoribus iudicent. ꝙ si maioris mulctæ dignus censebitur, eam porrigant ad alias quinquaginta drachmas, idq; in Senatum primam'ue cōcionem, quæ in curia habenda fuerit, referant, req; exposita dijudicent. ꝙ si quis ex Senatoribus ipsum occulto decreto damnare uoluerit, eum præsides ad exactores legum deferant. Leges itaq; audistis Athenienses, satisq; noui, ꝙ illæ uobis recte se habere uidentur, hæ tamen utiles inutiles'ue ut sint, id à uestra potestate pendet. ꝙ si iniuriosos homines punieritis, uobis leges & honestæ et ratæ manebunt, sin dimiseritis, honestæ solum erunt, non item ratæ. Volo autem sicut in Orationis exordio pollicitus fui, posteaq̄ de legibus dixi

Timarchi uitam perpendere, ut uideatis, q̃ remota sit à legibus uestris. Vos quidem rogo Athenienses, ut mihi ueniam detis, si de studijs natura minus honestis quae ab isto acta sunt, dicere cogar, uerbũ'ue aliquod enunciare adducar, quod Timarchi actionibus persimile existat, neq; enim iure à uobis reprehensus fuero, si quid apertius dicere tentauero, uos dociles ut efficiam; sed huic potius id uitio dabitis. ita enim turpiter uixit, ut qui eius facinora narranda susceperit, non possit illa recensere, quemadmodum uelit nisi ita significantibus uerbis ea in re usus fuerit; cauebo tamen ego id facere, ut maxime potero. Expendite quaeso Athenienses, q̃ modeste me geram erga hunc Timarchum. ego enim, quaecunque dum puer esset in eius corpus admisit, dicere omitto, atq; ista irrita habeantur, ut sunt ea quae sub triginta tyrãnis, quae'ue ante Euclidem acta sunt, aut si q̃s alius unq̃ huiusmodi praescriptus terminus fuit. uerũ ea, quae cum iam saperet, quaeq; in adolescẽti aetate, ac quando leges ciuitatis nouerat, ꝑpetrauit, ea inq̃ in accusationem deducam. uosq; rogo ad illa attendite. is enim primũ omnium postq̃ ex pueris excessit in Pireo in Euthydici medici officina considebat, quasi eam artem discere uellet, re tamen uera seipsum diuendere constituerat, ut res ipsa docuit. quot enim ex mercatoribus, aũt alijs ex peregrinis, ciuibus'ue nostris sub ea tempora Timarchi corpore abusi fuerint, hos libens & uolens praetermitto, nequis me damnet, q; singula queq; nimis curiose consecter. quorum uero in domibus, uersatus sit suum corpus & ciuitatem dedecorando, dum turpem quaestum sectatur, & ipsa de re, quam lex prohibet, ne fiat, ne'ue ob eam concionari liceat, de hac

inq̃ orationem habebo. Eſt quidam, uiri Athenienſes, Miſgolas Haucratis filius Colytteus uir cæterum probus & honeſtus, quemq; aliquis reprehendere non poſſit, hac tamen in re, ſupra modum diligens, ꝙ ſemper Citharœdis quibuſdam ſiue Cithariſtis ſolet eſſe ſtipatus, iſta non dico inuidiæ cauſa, ſed ut ipſum, qui nam ſit, cognoſcatis. is cum perſenſiſſet, quam ob cauſam Timarchus iſte in ea medici officina moraretur, quadam argenti ſumma illi expoſita, ipſum induxit, ut eum poſtmodum apud ſe haberet, bonæ cum eſſet habitudinis, adoleſcensq́;, & petulans, ad eamq; rem aptus, ad quam peragendam ipſum ille ante ſibi propoſuerat, iſte uero ut illi ſe ſupponeret. Hæc itaq; non deuitauit, uerum pollicitus eſt Timarchus ipſe, cum nulla tamen re, ſi frugi fuiſſet, indigeret, amplum enim patrimonium ipſi pater reliquerat, quod iſte diſſipauit, ut in orationis progreſſu oſtendam, uerum iſta peregit, dum turpiſſimis libidinibus deſeruiret, comeſſationibus ſcilicet, epularumq; ſumptibus, ac tibicinibus, & ſcortis, aleæq; & cæteris eiuſmodi, à quibus uir conſtans & qui ingenui eſt animi, pati non debet ſe ſuperari. Atq; non erubuit ſceleſtus iſte paternas ædes deſerens, apud Miſgolam degere, cum is neq; patri neceſſarius fuiſſet, neq; huic coæuus et apud tutorem non eſſet, uerũ apud alienum hominem & ipſo ſeniorem in eaq; re intẽperantem, cum tamen is egregia forma eſſet, multa præterea alia ab hoc Timarcho ridicula geſta ſunt per illa tẽpora. unum tamen uobis referre uolo, pompa celebrabatur in ciuitate Bacchanalis, eam agebant ſimul Miſgolasq́;, qui hunc ſuſceperat, & Phædrus Calliæ filius Sphettius, unam cũ eis ſe illam ductu-

rum Timarchus iste spoponderat. hi cum ad reliquum apparatum intenti essent, ille reuersus non fuit. ea re percitus Misgolas ipsum pariter cum Phædro peruestigabat. eis enunciatum cum id esset, illum inueniunt eodem in diuersorio quibusdam cum hospitibus prandentem. cum autem Misgolas & Phædrus hospitibus minati essent, & iussissent ut se ad carcerem sequerentur, q. adolescentulum ingenuum corrupissent, hospites territi fugam arripuere, ea, quæ parata fuerãt deserendo. & ista q. uera sint, omnes, qui tempore illo Misgolam & Timarchum cognouerunt, sciunt. Ego enim admodum lætor, q. iudicium aduersus eum hominem, sortitus sum, qui à uobis non ignoratur, quiq; ob nullam aliam rem est cognitus, q̃ ob id muneris, de quo suffragium laturi estis. Eorum enim quæ nesciuntur argumẽtationes apertas accusatori præbere necesse est, at quæ sunt in omnium consensu non magni admodum operis esse existimo, in accusationem deducere, nam tunc auditorum memoriam solum modum excitare conuenit. Ego itaq;, q̃uis res sit in confesso, quoniam sumus in iudicio, testificationem Misgolæ descripsi ueram quidem, & non ineptam, ut mihi persuadeo. Nomen quidem criminis, qđ in istum admisit, non inscripsi, neq; aliud quicq̃ adieci, quod in pœnam ex legibus esset ei, qui uerum testimonium nõ diceret: quæ uero uobis auditoribus nota sunt, & testimonium ferenti periculum non afferunt, neq; turpia sunt, ea scripsi. itaq; si Misgolas huc prodiens uerum testari uoluerit, iure id quidem faciet. q. si ad testificandum cogi maluerit, q̃ ex se uera profiteri, uos rei seriem cognouistis, siquidem eum, qui facinus patrauit, depudeat, & mille potius drachmas

ærario inferre deligat, q̄ os suum uobis ostendere, & is, qui se supposuit, concionabitur. sapienter cauit legislator, dū hos ita petulantes à suggesto repulit, & si obtemperauerit quidem, sed ad illud impudentissimum se conuertat, ut peieret, dum Timarcho rem gratam faciat, cæterisq; ostendat, quòd ista occultare nouit, primum aduersum se peccabit, dum piurus erit, deinde nil amplius proficiet. aliam etenim testificationem his scripsi, qui nouerunt, q̄ Timarchus iste paternam habitationem dereliquit, ut apud Misgolam degeret, rem (ut puto) factu difficilem aggredior. neq; enim amicos meos me in testes præbere oportebit, neq; eos, qui his infensi sunt, neq; qui neutrum nostrum agnoscunt, uerum horum amicos exhibebo, si itaq; & his suaserint, ne testificentur, quod nō reor, cum alioquin non omnes sint subornaturi, illud nullo poterūt modo auferre, ipsam scilicet rei ueritatem, famam'ue, quæ in ipsa de Timarcho ciuitate uiget, quam huic non ipse creaui, uerum hic ipse sibijpsi. usq; enim adeo hominis temperati uita probata esse debet, ut ne aliquam quidem criminis opinionem recipiat. illud quoq;, si Misgolas legibus & uobis paruerit, præfari uolo, Hominum naturam quo ad ætatem in aspectu multum inter se differre, nonnulli iuuenes cum sint, prouecti & seniores apparent, alijs maiores natu iuuenes prorsus esse uidentur. ex his hominibus unus est Misgolas. meus enim coæuus est & Synephebus, cum iam quintum ac quadragesimum annum mecum attingat, & ego tot canos habeam, quot uos cernitis. quod ille non habet cur ista proloquor? ne cū primum ipsum aspexeritis admiremini, ne'ue q̄d eiusmodi mente concipiatis. At iste, ô Hercules, ab hoc non

admodum differt. eadem est enim ambobus uis atq; natura, pariterq́; is adolescens cum adolescente uersabatur. Ne autem tempus conteram, aduoca primũ eos, qui Timarchum hunc Misgolæ domi degentem nouerunt, Deinde Phædri testimonium recita, postremo loco sume Misgolæ testificationem, qui ut Deos uereretur, & eos, qui conscij sunt, erubescat, cæterosq́; ciues, uosq́;, & iudices, uera uoluit profiteri. TESTIMONIVM. Misgolas Hiciæ filius Piræensis testatur. In consuetudine habui Timarchum, qui iam in Eutydichi medici officina morabatur, & propter necessitudinem, quam cum eo habeo ille mihi curæ est, ipsumq́; in hodiernam usq; diem non deserui. si itaq; Athenienses Timarchus iste apud Misgolam mansisset, & non item ad alterum accessisset, modestius se gessisset, si tamen his in rebus modestia notari potest, atq; ego non dubitassem nulla alia de re illum deferre, q̃ ex eo, q̃ legislator etiam eum, qui uel semel se prostituisset, palàm comprehenderit: qui enim cũ uno propter quæstum id facinoris commiserit, ei ypsi legi obnoxius mihi esse uidetur. q̃ si uobis in memoriam reduxero, atque ostendero, omissis rusticanis hominibus Cedonide, et Autoclide, ac Thersandro; eos commemorando, quorum intra ædes assumptus fuit, & non solum apud Misgolam ipsum corpore meruisse, uerum & apud hunc et illum. & cum ab his recessisset, ad alios rursus se contulisse. non amplius certe dici poterit uel semel tantũ muliebria passus fuisse, uerum etiam semper prostitutus fuisse. At per Bacchum ignoro, quónam modo fieri poterit ut totam diem in ista non insinuam: etenim cum passim is se prostituat, idq́; mercedis cau-

ſæ cum multis agat, eiipſi rei utiq; deuinctus mihi eſſe uidetur. poſtea q̃ igitur Miſgolas à ſumptu continuit, huncq; à ſe dimiſit, poſtmodũ Articles Calliæ filius Euonimeus ipſum ſuſcepit, is profecto abeſt in Sanio cum colonis. uerum quæ iſta ſequuntur referã, ut enim ab Anticle & Miſgola Timarchus iſte abijt, ſe ab errore non auertit, neq; melioribus ſtudijs ſe edidit, ſed dies in aleatorio ludo traducebat, ubi tabula ad teſſeras iaciendas collocatur, & galli gallinacei ad cõgreſſum concitantur, & aleæ opera datur. iſta iam nonnullos ueſtrum uidiſſe arbitror, aut ſaltem audiuiſſe. ex his autem qui huic exercitationi incumbunt, unus eſt Pittalacus homo publicus & ciuitatis miniſter. is cum argento afflueret, & tunc in ea ſchola uerſari uideret, ipſum apprehendit, & apud ſe habuit. atq; hæc non ægre ferebat ſceleratus iſte, qui impudenter congreſſurus eſſet cum homine publico & ciuitatis miniſtro, ſed uel id ſolum, ut, qui petulantiæ ſuæ ſuppeditaret; haberet, mente agitabat. Honeſta à turpibus haud quaq̃ dignoſcere curabat. eiuſmodiq; uitia, taleſq; contumelias ego audiui illatas ab homine iſto fuiſſe in corpus Timarchi, quas ipſe per Iouem Olympium uobis commemorare non auderem quæ enim hunc ipſum factis adimplere non puduit, iſta ego ſi uel uerbis tãtum uobis palàm referrem, mihi uiuendum non fore ducerem, ſub hæc ipſa tempora, q̃bus ſub Pittalaco fuit, huc appellit ex Helleſponto Hegeſander, qui iſtum aſſumpſit, de quo iam diu uos admiratos fuiſſe ſcio, ꝙ mentionem non fecerim, adeo res, quam dicam, eſt omnium ſermone celebrata. Hegeſander iſte aduenit, quem uos melius q̃ ego nouiſtis, forte enim tũc quæſtor cum Timoma-

cho Acharnensi Imperatore in Hellespontum enauigauerat, cumq; illius fatuitatē degustasset, huc uenit non minus octuaginta minis argenti secum ferens, quiq; Timomachi calamitatis maxime author fuerat, in taliq; copia & affluentia cū esset, uentitaretq; ad Pittalacum collusorem, & hunc ibi uidisset, primum experiri cœpit, deinde concupiscere, & uelle ad se illum trahere cum similimam eum sibi naturam habere opinaretur. Primum itaq; Pittalacum alloquutus eum rogabat, ut sibi illum traderet, postq̄ inducere non potuit, hunc ipsum aggressus, in eaq; re pluribus uerbis minime consumptis, ipsum è uestigio est consequutus, nam ad hāc ipsam rem mirabilis eius improbitas est, & morigera natura ut ex his ipsis merito odio habeatur. ut autem à Pittalaco abscesfit, et ab Hegesandro correptus est, indignabatur opinor Pittalacus tantum argenti frustra (ut rebatur) impendisse, & obtrectatione afficiebatur, & domum eius uentitabat. Sed quia ipsos interturbabat (considerate magnitudinem animi Hegesandri & Timarchi) ipsi temulenti, cum essent nonnulliq; alij ex aleatoribus, qui cum eis erant, quorum nomina silere uolo, in ædes, quas Pittalacus inhabitabat cum insultassent, in primis uascula contriuerunt, & talos in uiam proiecerunt, eorum clausura concussa, aliaq; ludi instrumenta, & coturnices, gallosq; gallinaceos, quos homo miserrimus diligebat, interfecerunt. postremo uero cum Pittalacum ipsum ad columnam alligassent fustibus ita eū ceciderunt, ut ex flagellorū ictibus & temporis spatio strepitus à uicinis perciperetur. postridie rem grauiter ferens Pittalacus nudus in forum uenit, ac super ara matris Deorum consedit, turbaq; (ut fieri

assolet) concurrente, formidarentq; Hegesander & Timarchus, ne ipsorum dementia diuulgaretur ab uniuersaq; ciuitate notaretur, concio autem iam coibat, accurrunt & ipsi ad aram ac nonnulli ex aleatoribus. & dum astarent, Pittalalacum rogabant, ut surgeret, aiebantq; q res tota per ebrietatem acta fuerat, & hic quidem ipse non amplius ut modo aspectu difficilis, uerum adhuc utilis barba hominis apprehensa obsecrabat, omniaq; se acturum pollicebatur, quæ illi placerent. tandem persuadent, ut ille ab ara surgeret, quasi aliqd ex iure suo consequuturus, ut autem è foro recessit, non iam ipsi attendere quod promiserant, eis propositum erat. is cum ipsorum contumeliam iniquo animo ferret, utriq; diem dixit, cumq; eos in iudicium uocasset, animaduertite magnam animi celsitudinem Hegesandri, hominem, qui eum in aliquo iniuria non affecerat, sed contra qui ab eo iniuria affectus erat, & ad quem crimen non pertineret licet publicum ciuitatis ministrum in seruitutem egit, dum eius seruum esse diceret, & dum omnibus malis Pittalacus circunseptus esset, ad genua uiri uel maxime probi se piecit, est enim Glauco quidam Cholargeus, qui eum in libertatem uendicauit, postea ad iudicia uentum est. sed procedente tempore rem arbitro cōmiserunt Diopithi uidelicet Suniensi Hegesandri contribuli, quiq; per adolescentiam eo usus fuerat, dum autem Diopithes suscepto negotio comperendinaretur, tempusq; ex tēpore ampliaret, ut ipsis rem gratam faceret, ad tribunalq; uestrum Hegesander sisteret, cum controuersiam haberet cū Aristophonte Axeniensi, priusq̄ in ipsum hoc idem inquisitionis iudicium intendisset ad populum, quod ego Timarcho in-

dixi, & posteaq̃ Crobylus frater ipsius concionẽ habuit, atq; in summam hi primi coram nobis de Graeciæ rebus concionari ausi fuerunt, tunc iam cum seipsum accusasset Pittalacus, ac reputasset quis'nam ipse esset, & quibuscum contẽderet, probe consuluit (uera enim fateri necesse est) ut quiete uiueret, contentusq; fuit, si non aliquid noui mali ab ipsis acciperet, hicq; cum illam pulcherrimam uictoriã Hegesander reputasset, citra ullum negotium apud se hunc habuit Timarchum. q̃ autem ea, quæ dico, uera sint, omnes nostis. quis enim uestrũ est, qui ubi uenduntur obsonia, non uenerit, & horũ sumptus non uiderit? aut quis, qui cum in horum comessationes, libidinesq; inciderit, præ mœrore Reipublicæ non angatur? tamẽ, quoniã sumus in iudicio, uoca Glauconẽ Cholargeum, qui Pittalacũ in libertatem asseruit, et reliquas testationes plege.

TESTIMONIUM. Testatur Glauco Timæi filius Cholargeus. Ego Pittalacum in seruitutem ab Hegesandro actum, ad libertatem redegi. Sequenti tempore cum Pittalacus ad me uenisset, dixit, uelle causam, quam cum Hegesandro habebat, terminari, ipsiq; denũciari, ut iudicio liberaret, ad quod ipse Hegesandrum & Timarchum uocauerat, & quod Hegesander in ipsum super seruitute intenderat, eodemq; modo ambo cõciliati sunt. TESTIMONIUM. Amphisthenes fert testimonium. Ego Pittalacum in seruitutem abductum ab Hegesandro in libertatem eduxi, & quæ sequuntur. quid igitur & ipsum Hegesandrum uocabo. ipsi porro modestiorem testificationem descripsi, quàm illam, quæ illi conueniebat, paulo uero clariorem quàm Misgolæ scripseram. neque dubito, quòd aberrabit & peierabit. cur

itaq; eum ad testificandum exh.beo? ut uobis ostendam, quos homines effi iat studium hu usmodi, quàm Deorum contemptores, legumq; transgressores, quanquam in uniuersum pudorem ipsum parui pendant. Aduoca & Hegesandrum. TESTIMONIVM. Hegesander Diphi'i filius Spirieus testimonium dicit, quando ex Hellesponto huc applicui, apud Pitalacum aleatorem, Timarchum Arizeli filium ibi moram trahentem deprehendi, & ex ea amicitia illo utebar, cum illocq; uersabar eiusdem causa obsequij, cuius gratia prius Leodamante usus fueram. Non ignorabam, quòd iuramentum pro nihilo ducturus esset, Athenienses, uerum et id uobis antedixi, sed & illud mihi notum est, quòd cum renuat testimonium ferre, uel statim aderit ad patrocinium Timarchi, atq; id p r Iouem nil est admirãdum, huc enim conscendet eius uita confisus uir honestus & probus, quiq; malos insequitur, & Leodamantem, quis esset, nesciat, ob quem tumultuabamini, cum eius testificatio recitaretur. Sed nunquid producar, ut quid apertius dicam uel contra naturam meam? mihi quæso per Iouem reliquosq; Deos dicite quicunq; apud Hegesandrum seipsum dedecorauit, non'ne uobis uidetur is apud scortatorem scortatum fuisse? aut quas ipsos bacchantes & insanientes delirationes non supra modum fecisse arbitramur? non'ne putatis Hegesandrum uulgata illa facinora, quæ cum Leodamante admisit, defendere quæ uobis omnibus notissima sunt? adeo enim præclara mandata illi iniungebat, ut cum ita eximia essent, in illis persequendis ipse modestius egisse uideatur. Sed tamen uidebitis, quòd admodum industrie & artificiose hic, & eius frater Crobylus uel maxime è uestigio cum

huc prosiluerint ista quæ ego dico, perquam fatua esse dicent, testes enim ut præbeam, postulabunt, qui palàm deponant, ubi id fecerit, quomodo egerit, quis id sciat, quíue modus fuerit illa peragendi, impudenter (ut puto) id petent, non enim arbitror uos esse ita obliuiosos, ut de animo uestro leges pauloante uobis relatæ, quasq; audistis, exciderint. quibus descriptum est, Siquis in id operis quempiam ex Atheniensibus mercede conduxerit, quis'ue ad illud se uendiderit, maximis & condignis pœnis eum subiectum fore. quis ergo ita pditus homo est, qui manifesto eiusmodi testimonium ferre uelit, ex quo ipse dignoscatur, si uerum fateri uoluerit, ultimo supplicio subditus esse. reliquum igitur est, ut is qui passus fuerit, confiteatur. atqui ob id unum accusatur, quòd ista cum fecerit, lege uetante concionatur. uultis itaq; rem totam omittamus, minimeq; exquiramus? honeste per Neptunum urbem inhabitabimus, si ea, quæ nos re facta fuisse scimus, ista nisi quis nostrum huc prodiens clara uoce pariter & impudenter ipse profiteatur, ob hoc unum posthabuerimus? rem quæso ex exemplis cognoscite, exempla forte necesse erit, ut quamsimilia sint moribus Timarchi. Videtis hos in meritoria taberna sedentes, qui sine controuersia ulla & manifeste eam rem exercent? hi tamen cum ad necessitatem eam deuenerint, siue præ pudore aliquid obtendunt, & fores claudũt. si uero iam aliquis interroget uos illac transeuntes, quid'nam hic agat in præsentia, non'ne quamprimum facti nomen explicabitis? quamuis eum, qui ingressus fuerat, non uideritis, qui'nam esset, sed cum propositum hominis, qui illi rei incumbit, intelligatis, & rem ipsam cognoscatis oportet. Non'ne

& de

& de Timarcho uobis eodem modo quærere conuenit? atq; id minime considerare, quis sciat, sed an ab eo illud actum fuerit. Atqui ô Timarche per Deos qd dicendum est? quid'ue tu diceres de alio homine, qui in ea accusatione esset, siue qd dicere oporteret, quando adolescens teneræ ætatis relicta paterna domo alienis in ædibus pnoctet cæteros forma præcellens, opiperasq; cœnas cœnet, nihilq; conferat, tibicines quoq; habeat & scorta sumptuosa, ac ludat, et ipse nihil exponat, sed alius pro eo. ista præterea diuinatione indigent? non'ne perspicuum est id aliter fieri non posse, nisi is, qui talia aliquibus imperet. ipse pro eis uoluptuosum aliquid illis rependat, qui argentum insumpserint? non enim per Iouem Olympium scio quo'nam modo modestius commemorem flagitium ex his quæ abs te ridicule gesta sunt. rem inspicietis, si uolueritis, ex quibusdam ciuilibus exemplis & maxime ex his, quæ præ manibus habetis, factæ sunt in tribubus recensiones, & quilibet nostrum suffragium tulit de capite cuiusque, quis reuera Atheniensis sit quis'ue non. ac posteaquam ego forum frequento, & causas agentes audio, illud idem semper apud uos uiguisse uideo, postea quàm accusator dixerit, Viri iudices, hunc, nemine iurante, aut accusante, testimonium'ue ferente, populares condemnant, at uos ipsi rem cognitam habentes quamprimum (ut reor) tumultuamini, uelu ti is iam ab ipsa ciuitate fuerit condemnatus, neq; uobis (ut puto) aliæ rationes, testimonia'ue expectanda esse uidentur, cum quis per se rem clare nouerit. Age uero per Iouem si quemadmodum de genere, sic & de huius studio Timarchi suffragium ferre oporteat. nunquid legi obstrictus uel'ne, res

autem in cognitionem fori deferatur, ad uosq; sicuti nunc referatur, neq; ex lege decreto'ue liceret, & mihi accusare, & isti se defendere, præcoq; qui nunc prope me est, illud ex lege præconium uos roget, suffragia uacua, si cui uideatur Timarchus se prostituisse, plena uero, cui minime. quid enim decerneretis? exacte noui, quòd ipsum condemnaretis. si uero aliquis uestrum me interroget, qui scis, quòd nos istum condemnaremus? responderem, propterea q, illud libere mihi dixistis, & id quando, comprobastis & ubi fecerit quisque uestrum, in memoriam reuocabo. quando hic in suggestum in conspectu populi ascendisset et in Senatu, quando anno superiori Senator erat, si de murorum turris'ue instauratione facta mentio esset, uel quòd abductus in carcerem aliquis esset, statim ridebatis & clamabatis, ipsiq; eius studiorum cognomentum dicebatis, quorum ei conscij estis. pleraq; præterea alia & peruetusta omitto. ea uero, quæ in ipsa concione gesta sunt, quando hoc inquisitionis iudicium Timarcho denunciaui, ista in memoriam uestram reducere nolo. Cum enim consilium ex Ariopago conuentum ad populum faceret ex huius decreto quod is de ædibus tulerat, quæ sunt in Pnyce, uerbaq; faceret ex Ariopagitis Autolycus, qui honeste per Iouem Olympium et Apollinem grauiterq;, & ut consessus ille requirebat, uitam traduxerat, cumq; in Orationis progressu diceret, illud quod à Timarcho fuerat propositum, à collegio approbari, de huiusmodi.s. quiete, & loco in Pnyce, ne admiremini Athenienses inquit, si Timarchus peritior est, quàm Ariopagi consilium, uos tunc tumultuabamini & dicebatis, Autolycum uera dicere, quòd is ea=

rum rerum peritus esset, tumultusq; uestri cum Autolycus ignarus esset, & propterea mœsto tristiq; uultu dixisset, nos quippe ô Athenienses Ariopagitæ neq; Timarchum reprehendimus, neq; defendimus. id enim patrum non exstit, talem autem ueniam Timarcho condonamus, is forte inquit, putauit in hac quiete minorem impensam unicuique nostrum subeundam esse, rursumq; in quiete & paruo sumptu, maior tunc cum risu tumultus à uobis pcessit. ut uero aedium & cloacarum mentionem fecit, ac cohibere quidem uos potuistis, hic prodijt Pyrrhandrus uos increpãs, populumq; rogauit, num præsente Ariopagitarum consilio ridere erubesceret? uos autem ipsum reijciebatis illiq; respondebatis, scimus ô Pyrrhandre, quòd in conspectu isto ridendum non est, at eam uim ueritas habet, ut omnem superet humanam rationem. hoc ego suspicor à populo Athenìense testimonium dictum fuisse, quòd falsæ testificationis conuincere æquum nõ est. Non'ne igitur Athenienses absurdum esset, si me nihil dicente uos nomen studiorum, quæ de hoc nouistis, exclametis, me uero accusante illud obliuiscamini, & cum hac de re nullum fieret iudicium, fuerit condemnatus, cum uero aperte cõuictus fuit, dimittatur. Cæterum cum de recensionibus meminerim, & ex Demophili administrationibus aliud insuper exemplum subijcere nolo hisce de rebus. Hic enim ipse uir antequam eiusmodi administrationes aggrederetur, quosdam detulerat, qui concionem cæteraq; iudicia accusare tentauerant, ueluti nunc Nicostratus, atq; de his partim iudicia antiquitus sequuta fuere, partim uero etiam nunc extant. age uero per Iouem & Deos, si ad huiusmodi defensionem con

uersi fuissent, quam nunc affert Timarchus: qui cum defendunt, atq; petyssent, ut aliquis palàm testimonium diceret de eo quod in criminationem uenerat, alioqui iudices ne crederent necesse omnino fuisset ex hac ratione, ut testimonium tulisset, hic quòd iudicasset, ille quòd iudicatus fuisset, mortis pœna utriq; ex lege proposita, ueluti hic. siquis aliquem Atheniensem mercede ad contumeliam conduxerit, rursumq; siquis Atheniensis ad prostituendum præ conquæstu corpus suum sponte locauerit. est'ne igitur aliquis, qui ita testificaretur, uel accusator ipse, qui eam rem notam facere iudicibus aggressus fuerat? nequaquã. quid ergo qui rei in iudicio fuerant, absoluti'ne sunt? minime sanè. sed ita me hercule mulctati sunt, ut uitam amiserint, cum multo per Iouem & Apollinem minore delicto quàm hic ipse deliquissent. illi quippe miseri cum essent, senectutemq; & paupertatem simul sufferre non possent, quæ uel maxima inter mortales mala existunt, huiusmodi calamitatibus affecti fuere, iste uero cum suam nollet petulantiam continere. si itaq; hæc causa in externa esset ciuitate, ad quam appellasset. Ego utiq; testes uos mihi præberi peterem, qui optime nossetis, an uera dicerem: cum uero Athenis iudiciũ agatur ijdemq; sitis mihi iudices, totiusq; negotij testes; mihi superest, ut ea in re memoriam uestram excitem, uobis ut fidem mihi non denegetis. Nam mihi Timarchus uidetur Athenienses non pro seipso solum, sed & pro reliquis, qui ista cum eo agant, solicitus esse. si enim factum ipsum (sicuti fieri consueuit) occultum erit, & in solitudine, ac intra priuatas ædes, qui uero id optime sciat, ciuemq; dedecorauerit, si uera testificetur, maximis pœnis obnoxius futurus

sit; qui uero reus est, quem ipsius uita et ueritas redarguant, petat non ex his, quibus notatus est, sed testimonijs iudicari. sublata lex est & ueritas ipsa, uiaq; manifesto aperta est, per quam maximorum maleficiorum authores effugient. qui etenim prædones, fures, adulteri, homicidæ, qui'ue ex his, qui uel summe delinquunt, si id clàm commiserint, pœnas dabunt? ex his tamen ipsis, siqui in flagrante crimine fuerint deprehensi, idq; confiteantur, quamprimum mortis pœna afficiuntur; at qui rem celauerint, proptereaq; eam inficientur, iudicia nihilominus aduersum eos dictantur, ueritatemq; per coniecturas nanciscimur. in exemplum adducite Ariopagi consilium, qui est selectissimus eorum hominum, qui sunt in ciuitate, conuentus. multos nanq; ego pauloante uidi in hoc collegio eloquentissime dicentes, & testes exhibentes, qui tamen condemnati fuere, plerosq; rursus pessime disserentes & rem minime testatam habentes scio uictores fuisse. non enim ex oratione solum, neq; ex testibus, sed ex quibus ipsi rem nouerint, eamq; scrutati essent, suffragium ferunt. Quocirca conuentus hic in ciuitate maximæ existimationis semper est. eodem itaq; modo Athenienses & uos præsens iudicium efficite; ac primum apud uos nihil sit magis fide dignum, quàm ea, quæ nouistis & de hoc ipso Timarcho credidistis, deinde rem perpendite non ex præsenti sed præterito tempore. quæ enim transacto tempore habitæ fuere Orationes de Timarcho eiusq; studijs, ueritatis gratia illæ dictæ fuerunt. at quæ hodierna die ob præsens iudicium fiunt, ea sunt uos fallendi causa. suffragium itaq; longiori tempori, ac ueritati condonate, & eis quorum uos conscij estis. At qui ali-

quis uerborum artifex, qui illi forsan orationem commen-tetur, me inquiet mihiipsi contraria dicere. neq; enim uide-tur id fieri posse, ut unus & idem, qui se prostituisset, pa-ternam quoq; rem insumere uoluerit, quòd enim in corpus peccarit, id pueri esse. paterna autem bona dissipasse, uiri esse dicet. eos præterea, qui seipsos dehonestant, id, ut rei mer-cedem exigant, agere. ista igitur admiratur, ac per forum uolitans portenta ait esse, si is se prostituerit, & paternam hæreditatem cõsummpserit. At siquis ignoret quomodo ea se habeant, illa ego manifestius uerbis exprimere conabor. quã-diu enim quæ pupillæ uenerat hæreditas suppeditauit, quam Hegesander, dum hunc haberet, uxorẽ duxerat. argẽtũ quoq; supfuit quod is habuit, cum ex peregrinatione cum Timar-cho habita aduenerat, nimium dissoluti & nepotes fuere. postea uero quàm ista pfu lit, lusitq;, et obliguriuit, is autem exoletus effectus est, nullusq; (& merito) ullius rei præbi-tor erat, huiusq́; petulans detestandaq́; natura eadem semper appetebat, & præ nimia intemperantia ab imperando non desinebat, idq́; in quotiadinã consuetudinem uenerat, tunc ad paterna bona deuorãda se conuertit, nec illa solum belluatus est, sed & (si ita dicere licet) epotauit. Atq; ita singula quæq; prædia non pro dignitate uendidit, neq; enim quod dignum es-set, atq; utile expectare poterat, uerum eo pretio quod pri-mum inueniebat uenundedit usq; adeo libidinibus urgebatur. huic enim pater eiusmodi fortunas reliquerat, quæ alteri ad munera publica subeunda suppetissent, cum is eas ne seruare quidem potuerit. Domum à tergo ciuitatis suburbanumq́; in Sphettiorum uico situm habebat, aliumq́; rursus locum in

Alopece; ministros præterea calceorum opifices decemnouem, quorum unusquisq; singulis quibusq; diebus ad hũc duos obolos deferebat, tres autem officinæ magister. ad hæc insuper mulierem, quæ in conficiendis purpureis uestibus perita erat, quæq; subtilia opera in forum afferebat, hominem quoq; uariandi arte præditum, nominaq; quorundam, qui ei argentum debebant & supellectilia, habebat. quòd autem quæ dico, uera sint, hic præterea qui aperte & palàm id testentur re ipsa, testes præbebo. nullum enim sicuti in illa re periculum, nullaq; aderit ei uerecundia, qui uera fateri uoluerit. Domum itaq; urbanam hic uendidit Nausicrati Comœdiarum actori, deinde illam ab Nausicrate emit XX. minis Cleænetus chori magister, ab hocq; suburbanum cõparauit Mnesitheus Myrrhinusius. quod prædium cum amplum esset, is syluescere indigne passus fuit. Locum autem, qui procul à mœnibus XI. siue X. stadijs distabat, cum mater suppliciter peteret & deprecaretur, sicuti ego audiui, ut dimitteret, ac ne diuenderet. si quis alius locus ad sepulchrum ei non superesset, nec ab hoc ipsò inquam loco continuit, sed et hunc duabus mille drachmis abalienauit, ancillarumq; & ministrorum ne quenquam quidem reliquit, sed omnes mancipauit. Quòd ista non confingam, ego earum rerum, quas huic pater reliquerat, testes dabo. is autem, si dicat mancipiorum corpora non uendidisse, illa huiusmodi in lucem exhibeat. q. & argentum quod fœnori aliquibus pater dederat, illud exactum is dissipauit. testimonia uobis adducam Metagenis Sphettij, qui eius plus triginta minis debitor cum fuisset, reliquum quòd supererat, defuncto pa

tre, huic Timarcho VII.ſ. minas reddidit. Aduoca itaq; Metagenem Sphettium, uerum primum lege Nauſicratis teſtimonium, qui domum emit, ac cætera quæq; in manibus ſunt, quorum per Orationem mentionem habui. TESTIMONIA. Quòd itaq; eius pater non modicam pecuniam tenuerit, quam iſte ad nihilum redegit, id uobis oſtendam. cum enim timeret, ne cenſeretur, quæ ipſe habebat bona diuendidit. præter ea, quæ paulo ante commemoraui loca, fundum alium in Cephiſijs, officinas duas in Amphitropis ad argenti fodinas habebat, unam in Aulone, alteram ad Thraſylum poſitas: unde autem iſta ei obuenerint, explicabo. hi erant tres fratres Eupolemus exercendorum puerorum magiſter, & Arizelus huius pater, atq; Arignotus, qui & nunc uiuit, ſenex oculorum morbo correptus. horum primus deceſsit re indiuiſa Eupolemus. Alter autem Arizelus Timarchi pater, dum uiueret, omnium bonorum adminiſter erat, ob morbum & oculorum calamitatem Arignoti, ac quia poſtea Eupolemus iam mortuus erat, & neſcio quid in alimenta pacto conuento Arignoto præſtabat. poſtea uero quàm Arizelus defunctus fuit huius pater Timarchi, in initio, quouſq; is puer fuit, omnia ab tutoribus cum Arignoto modeſte gerebantur, ut uero Timarchus hic in pubertatis codicem relatus fuit, & rem adminiſtrare cœpit, contempto uiro ſene, taliq;, quòd cum eius patruus eſſet, infeliciter degebat, & patrimonium diſsipauit, nullamq; rem neceſſariam Arignoto ſubminiſtrabat. uerum permiſit, ut inter cauſarios ſtipendia faceret, poſtremoq;, quod & grauiſsimum fuit, ſene derelicto, cum cauſariorum

recensio fieret, precesq; pro stipe in senatum porrigente, cum ipse Senator esset, & ea die praesideret pro eo intercedendum esse non duxit, sed permisit, ut Prytanei stipem amitteret. quòd uera dicam, aduoca Arignotum Sphettium, & testificationem recita. TESTIFICATIONES, Forte quis dicat, quòd si paternam domum uendidit, aliam alicubi in ciuitate comparauerit, proq; suburbano ac loco in Alopece, proq; opificibus & reliquis, quae ad fodinas habebat argentum conficiendum curauerit, ueluti & antea pater eius fecerat: uerum id longe abest, nil superest. non domus, non habitatio, non locus, non famuli, non pecunia foeneratitia, sed nec & aliud quicquam, ex quo non perditi homines uitam ducunt. at huic loco patrimonij superest, dementia, calumnia, temeritas, audacia, luxus, ignauia, impudentia, inq; rebus turpibus uerecundiam non nosse. quibus ex rebus quis perniciosissimus & patriae ciuis summe inutilis efficeretur. Non igitur paterna tantum bona abalienauit, sed & respublicas uestras, quas sua unquam in potestate habuit. is enim hanc, quam uidetis, aetatem nactus reperiri non poterit, ut ad aliquem magistratum unquam, quem gesserit, sorte fuerit eductus, uel suffragijs designatus. uerum omnes aduersus leges mercatus est, quos plurimos praetermittam, si duorū uel trium mentionem fecero. Ratiocinator quippe effectus, plurimum ciuitati nocuit, muneribus ab his acceptis, qui non iure magistratus gerebant, maxime uero eos, qui rationibus reddendis obnoxij erant, cum nihil alioquin expilassent, calumniatus fuit. Magistratum obiuit in Andro, quem triginta minis nundinatus fuerat, quas sub no

uem obolis pro quaq; mina mutuo acceperat, sibi id lucri præ eius dementia ex socijs uestris comparando. tantamq; petulantiam præ se tulit aduersus liberorum hominum uxores, quantam quiuis unquam alius admisit, quorum aliquem ego huc non accersam, ut suam calamitatem, quam silere in animo constituerat, propalam testetur, uerum illud uobis considerandum relinquo. quid expectetis eum, qui Athenis non in alios solum sed & in suum corpus iniuriosus fuit legibus pollentibus, uobis spectantibus, inimicis imminentibus, cum inquam ipsum, ubi fidentiam, facultatem, & imperium sit adeptus, quis speret quidpiã ex flagitiosissimis rebus omisisse? Cæterum per Iouem & Apollinem sæpe ciuitatis uestræ felicitatem ex multis ad animum reuocaui, cum inter cætera, tum non minimum ex his, quòd per ea tempora nullus inuentus fuerit, qui ciuitatis Andriotum emptor fuerit. At forte dum is per se magistratum egit, malus fuit. quando uero unà cum pluribus imperium habuit, probus extitit? Vnde enim is Athenienses in Senatum, dum princeps esset Nicophemus cooptatus fuit? sed si omnia percurrere uellem, quæ hoc anno iste patrauit, hac parua diei parte, indignum esset, id aggredi; uerum quæ proxime accedunt ad accusationem, ob quam præsens est constitutũ iudicium, ista breuibus explicabo. sub eius itaq; Nicophemi principatu, cum is Senator erat, rerum ad Deam pertinentium curam habuit Hegesander Crobyli frater, atq; Rempublicam uel summo amicitiæ studio compilarunt, mille.s.drachmas. quam rem cum intellexisset uir probus Pamphilus Acherdusius, ut aliqua ex parte huic resisterunt, ira percitus cõcione iam coacta surgens dixit, Athe

nienses Rempublicam uestram uir & mulier mille.s.drachmas expilant. Vos cum admiraremini, quo pacto uir & mulier, quæq; ea uerba essent, parumper obmutescens ait, ignoratis quod dicam? Vir quippe est nunc Hegesander inquit ille, antea quidem is Leodamantis coniunx fuerat: mulier autem est Timarchus iste. Quo uero modo pecunia subtracta fuerit, ego exponam. ac cum nonnulla iucunda ea in re commemorasset docte admodum & aperte, istaq; in animis uestris infixisset. quid igitur est Athenienses quod uobis consulendum ducam? Siquidem Senatus hunc deliquisse conuicerit, propterea'q; ordine ammotum iudicio tradiderit, eos dono afficiatis, quòd si non castigarint, aliquid ne detis, sed & in illam usq; diem ad eorum memoriam illud reuocabitis. deinde cum reuertisset Senatus in curiam, eum eiecerunt, suffragio tamen exceptarunt, quoniam neq; iudicio illum tradiderunt, neq; ordine ammouerunt. doleo quippe cum hæc refero, tamen, ut dicam, necesse est, doni cōpotes non fuere. Ne itaq; Athenienses Senatui uideamini succensuisse, & quingentes uiros ciues corona indotatos postposuisse, quòd hunc nō coercuissent, ipsi uero hunc dimittite, & eum Oratorem, qui Senatui inutilis fuerit, populo reseruate. in magistratibus itaq;, qui sortitione dantur, ita est uersatus. in his uero qui suffragatione distribuuntur, melior fuit? ac quis uestrum non nouit q̃ aperte & testato furti conuictus fuerit? Peregrinorum enim Censor cum in Eretriam missus fuisset, solus ex Censoribus confitebatur argentum sumpsisse, neq; pro re se defendit, sed quamprimum pro pœna supplicauit, maleficium confitendo. Vos eos, qui infitiatione se defendebant, ta

lento pro quoq; mulctastis. hunc autem XXX. minis, ueruntamen leges mandant expilatores confessos morte puniri, inficiantes autem in iudicium duci. Atqui ita uos iste contempsit, ut statim ex publicis recensionibus duas mille libras abstulerit. Cum enim dixisset, Philotaden Cydathenæum ciuem, suum esse libertum, & popularibus suasisset, ut eum decernerent ex albo delendum, accusationiq; in foro insisteret, sacrisq; eius manibus sumptis iurasset munera se ea in re non accipere, neq; accepturum esse, perq; Deos iurisiurandi præsides iurasset, & exitium sibiipsi imprecatus esset, accepisse deprehensus fuit ab Leuoconide socero Philotadi per Philemonem histrionem XX. minas, quas modico tempore cum Philoxena meretrice consumpsit, atq; ita accusationi præuaricatus fuit, conceptisq; uerbis peierauit. q̃ uera dicam, uoca Philemonem, qui Timarcho pecuniam dedit, & Leuconiden Philotadi socerum, & pactorum exemplaria perlege, quẽadmodum rem controuersam transegerit. TESTIMONIVM, PACTA. Erga itaque ciues & domesticos quomodo se habuerit, & quàm turpiter paternam hæreditatem dissiparit, ac contumeliam in suum ipsius corpus admissam quàm parui fecerit, conscij quidem estis etiam antequam ego dicerem. Oratio quoq; mea uos satis admonuit. duæ supersunt orationis partes, de quibus ut possim orationem habere omnes Deos Deasq; deprecor, in emolumenum Reipublicæ, sicuti ante dixi, uosq; eis aures uestras præstare uelim, quæ dicturus sum, & attendere, ac docilitate quadam illa asseq. Prima itaq; oratio mea præcursio quædam est eius defensionis, quam audio explicãdam

iri, ne si ego id prætermiserim, qui se in arte Rhetorica iuuenum doctorem pollicetur, machinatione quadam uos seducendo commoda ciuitatis auferat. secundo autem de eo mihi uerba erunt, ut ciues adhorter ad uirtutem. Video autem multos iuuenes ad forum accedentes, multos quoque senes, non paucos item ex reliqua Græcia ad hanc audientiam collectos: quos ne putetis huc, ut me aspicerent, conuenisse, sed multo magis uos obseruaturos, non solum an leges ferre sciatis, sed & an honesta à turpibus discernere, & num uiros probos cohonestare noscatis, & an eos coercere uelitis, qui uitam eorum ignominiosam Reipublicæ pararint. Primo de defensione aliquid uobis dicam. Nugator in dicendo Demosthenes, uel ait leges delendas esse, aut uerbis meis attendendum non fore. Demiratur enim quòd omnes non recordemini, singulo quoq; anno Senatum meretricium uectigal liceri solere, quiq; id conduxerint non somniare sed certo scire eos, qui eo opere utantur. quando itaq; Timarcho aduersari ausus fui, quòd cum muliebria pateretur, ei concionari non liceret, se rem gestam exposcere inquit, non criminationem accusatoris, quin & publicani testimonium, qui ab Timarcho id uectigalis exegerit. Ego aduersus ista Athenięses uidete num pure libereq; disceptare uobis uisus fuero, præ ciuitate nanq; erubesco, si Timarchus populi consultor, quiq; per Græciam legationes obire ausus fuerit, non uniuersam accusationem refellere aggrediatur, sed loca roget, ubi moram traxerit, & publicanos, qui ab eo meretricium uectigal collegerint. ab hac igitur defensione, uestri gratia recedat, alteram ego rationem tibi subministro honestam pariter

& iustam, qua utaris, si nullius turpitudinis conscius tibi fuisti. iudices enim intuitus ea dicere audeto, quæ uirum decet proferre, qui temperatus fuerit per ætatem. Viri Athenienses à pueritia & adolescentia apud uos educatus fui, non ignobilem artem exerceo, uerum in concionibus unà uobiscum conspicior. existimo quidem si apud aliquos alios mihi de his criminibus Oratio habenda esset, de quibus in iudicium uocor, testificationibus uestris quod ab accusatore insimulatum est facile sublatum iri. non enim siquid eorum à me actum esset, sed si uel uobis uiderer uitam criminationibus propiorem duxisse, quæ ab isto mihi obiectæ fuere, reliquam certe uitam mihi iniucundam putarem. En istud in me supplicium porrigo, ut ciuitas apud Græciam se excuset, neque ad uos supplex uenio, uerum me morti tradite, si eiusmodi esse uidear. Hæc est ô Timarche defensio uiri probi & temperati, ac uita fidentis, omniaq; maledicta & merito aspernantis. at quæ dicere suadet Demosthenes, non sunt uiri ingenui, sed scorti de locis contendentis. postq̃ uero ad habitationum nomina confugis, ac petis rem ab loco perpendi, ubi .s. moratus fueris, si quæ dixero audieris, non item istiusmodi genere dicendi uteris, si modestus fueris. Non domus enim, neq; habitatione cognomina inhabitantibus præbent, sed incolæ ab his studijs, quibus priuatim ipsi delectantur, cognomenta locis imponunt. ubi enim plures unam aliquam domum ad habitandum indiuiduam cõduxerint, eam cohabitationem appellamus, at cum quis solus inhabitat, domum uocamus. Siquis aliquam ex officinis, quæ in uijs sunt, medicus, ut eam incolat, conduxerit, medici officina dicitur. quòd si eam ha-

bitare desinat, inq; hanc ipsam officinam faber ærarius habitandi animo ingrediatur, æraria officina nuncupatur, si fullo, officina fullonis, si tignarius faber, tignarij officina, quòd si leno & meretrices ab exercitio quamprimum meritoria taberna dicetur, sicuti tu plures meritorias tabernas rei opportunitate fecisti. ne igitur ubi id egeris interroga, sed quòd id non feceris defende. Accedet (ut uidetur) & altera ratio ab ipso cauillatore confecta. ait enim quòd fama nihil sit iniquius, forensiáq; argumenta, quæq; prorsus eius uitam comitantur, præbebit. in primis enim ædes in iugo ciuitatis sitas, quæ Demonis dicuntur, ementitum inquit cognomen habere, cum Demonis non sint. præterea Mercurij statuam, quam dicunt Andocidis esse, non Andocidis sed Aegeidæ tribus donarium existit. adducet quoq; seipsum sub specie salis ueluti uir facetus, & in eius priuatis studijs ridiculus, nisi inquiet, & me oporteat uulgo parere quòd Demosthenes non uocer sed Batalus, cum id cognomenti à nutrice ob blanditiam quandam habuerim. Quòd si Timarchus, quia pulcher fuit, carpitur præ calumnia pulchritudinis, non quòd ipse aliquid commiserit, utiq; par non esse ob id eiusmodi calamitati eum subiacere debere. Ego ô Demosthenes de donarijs, & ædibus, ac fundis, reliquisq; rebus omnibus mutis multa, & uaria, nusquamq; eadem uerba fieri audio. in eis enim neq; honesti, neq; turpes actus notari possunt, sed qui ad ea loca attigerit, ac quicunq; obuius fuerit, pro modo opinionis de eo conceptæ materiam loquendi præbet. Quo uero ad hominum uitam, & sermonem, & actus, & non ementita quædam sponte sua orta fama per ciuitatem uagatur.

& iustam, qua utaris, si nullius turpitudinis conscius tibi fuisti. iudices enim intuitus ea dicere audeto, quæ uirum decet proferre, qui temperatus fuerit per ætatem. Viri Athenienses à pueritia & adolescentia apud uos educatus fui, non ignobilem artem exerceo, uerum in concionibus unà uobiscum conspicior. existimo quidem si apud aliquos alios mihi de his criminibus Oratio habenda esset, de quibus in iudicium uocor, testificationibus uestris quod ab accusatore insimulatum est facile sublatum iri. non enim siquid eorum à me actum esset, sed si uel uobis uiderer uitam criminationibus propiorem duxisse, quæ ab isto mihi obiectæ fuere, reliquam certe uitam mihi iniucundam putarem. En istud in me supplicium porrigo, ut ciuitas apud Græciam se excuset, neque ad uos supplex uenio, uerum me morti tradite, si eiusmodi esse uidear. Hæc est ô Timarche defensio uiri probi & temperati, ac uita fidentis, omniaq; maledicta & merito aspernantis. at quæ dicere suadet Demosthenes, non sunt uiri ingenui, sed scorti de locis contendentis. postq̃ uero ad habitationum nomina confugis, ac petis rem ab loco perpendi, ubi .s. moratus fueris, si quæ dixero audieris, non item istiusmodi genere dicendi uteris, si modestus fueris. Non domus enim, neq; habitatione cognomina inhabitantibus præbent, sed incolæ ab his studijs, quibus priuatim ipsi delectantur, cognomenta locis imponunt. ubi enim plures unam aliquam domum ad habitandum indiuiduam cõduxerint, eam cohabitationem appellamus, at cum quis solus inhabitat, domum uocamus. Siquis aliquam ex officinis, quæ in uijs sunt, medicus, ut eam incolat, conduxerit, medici officina dicitur. quòd si eam ha-

bitare desinat, inq; hanc ipsam officinam faber ærarius habitandi animo ingrediatur, æraria officina nuncupatur, si fullo, officina fullonis, si tignarius faber, tignarij officina, quòd si leno & meretrices ab exercitio quamprimum meritoria taberna dicetur, sicuti tu plures meritorias tabernas rei opportunitate fecisti. ne igitur ubi id egeris interroga, sed quòd id non feceris defende. Accedet (ut uidetur) & altera ratio ab ipso cauillatore confecta. ait enim quòd fama nihil sit iniquius, forensiáq; argumenta, quæq; prorsus eius uitam comitantur, præbebit. in primis enim ædes in iugo ciuitatis sitas, quæ Demonis dicuntur, ementitum inquit cognomen habere, cum Demonis non sint. præterea Mercurij statuam, quam dicunt Andocidis esse, non Andocidis sed Aegeidæ tribus donarium existit. adducet quoq; seipsum sub specie salis ueluti uir facetus, & in eius priuatis studijs ridiculus, nisi inquiet, & me oporteat uulgo parere quòd Demosthenes non uocer sed Batalus, cum id cognomenti à nutrice ob blanditiam quandam habuerim. Quòd si Timarchus, quia pulcher fuit, carpitur præ calumnia pulchritudinis, non quòd ipse aliquid commiserit, utiq; par non esse ob id eiusmodi calamitati eum subiacere debere. Ego ô Demosthenes de donarijs, & ædibus, ac fundis, reliquisq; rebus omnibus mutis multa, & uaria, nusquamq; eadem uerba fieri audio. in eis enim neq; honesti, neq; turpes actus notari possunt, sed qui ad ea loca attigerit, ac quicunq; obuius fuerit, pro modo opinionis de eo conceptæ materiam loquendi præbet. Quo uero ad hominum uitam, & sermonem, & actus, & non ementita quædam sponte sua orta fama per ciuitatem uagatur,

& effert in uulgus priuata cuiuscunq; studia, multa quoque diuinat, quæ futura sunt, atq; ita conclamatum est, minimeq́; confictum quod assero, ut & Rempublicam nostram maiores q́; nostros famæ ueluti Deæ maximæ aram construxisse reperietis, Homerumq́; sæpe in Iliade dicentē antequam aliquid, quod futurum erat, eueniret.

Fama ad castra uenit.

rursusq́; Euripiden ostendentem, hanc Deam non mortales solum docere posse, qui sint, cum uiuant, sed & cum mortui fuerint, dum ait,

Nam fama telluris etiam in recessibus
Virum bonum ostendit.

Hesiodus insuper palàm ipsam Deam facit, dum eos admodum sapienter alloquitur, qui in uiuendi consociatione esse uolunt: ait enim:

Non moritur fama omnino, quam turba uirorum
Plurima uulgauit, quoniam ipsa est una Dearum.

Horum etenim Poematum, qui honeste uixerint, laudatores esse reperietis. omnes quippe, qui honoris cupidine detinentur, à bona fama gloriam se consequuturos existimant. at qui turpiter uiuunt, hanc Deam non reuerentur, quòd ipsam sui perpetuum quendam accusatorem esse putent. Recordamini igitur Athenienses, quæ fama uigeat apud uos de Timarcho. Nonne ut eius nomen profertur, quāprimum quid eiusmodi rogatis, quis Timarchus, Catamytus? Deinde si alicuius rei testes exhiberem, mihi crederetis, sed si Deam testem adducam, fidem non præstabitis? quam ne mentiri quidem fas est cogitasse, quādo & de Demosthenis cognomento id

to id ſit, quòd non male à fama. uerum non à nutrice Batalus fuerit appellatus ob effœminatam quandam mollitiem & indecentem corporis motum, nomen conſecutus. ſiquis enim hæc tua ornata ueſtimenta tibi detraxerit, molleſq́; tunicas, in quibus Orationes aduerſus amicos conſcribis, & circumferens in iudicum manus illas det, puto ipſos (niſi quis prius id prædixerit) dubitaturos, uiri an mulieris ueſtem aſſumpſerint. Conſcendet autem ad defenſionem aliquis ex Imperatoribus (ut audio) delicatus, ſeq́; demirans, & ueluti in palæſtris & luctis exercitatus, qui uniuerſum controuerſiæ ſtatum conuellere ſtudebit, non iudicium me inquiens conſtituiſſe, ſed grandis ineptitudinis initium feciſſe, in mediumq́; feret in primis, qui uos beneficio affecerunt, Harmodium & Ariſtogitonem, atq; inter eos fidem, eamq́; rem, quantum ciuitati contulerit, enarrabit, neq; ab Homeri poemate, ut aiunt, continebit heroicis uocabulis, ſed & amicitiam, quam dicunt amoris cauſa inter Patroclum & Achillem interceſſiſſe, decantabit, pulchritudinemq́;, quaſi non antea hominum ſermone celebretur, ſi temperantiæ adiuncta ſit, nunc laudabit. ſi etenim decentem corporis habitudinem eiuſmodi quòd aliqui criminentur, miſeriam quandam propterea eam habentibus aſcribant, uos non eadem publice decreturos aiunt, quæ & priuatim uoto precamini. abſurdum enim eſſe ſibi uideri, ſi quidem filios nondum natos, omnes uota facitis qui patresfamilias futuri eſtis, pulchro honeſtoq́; aſpectu gigni, ac ipſa ciuitate dignos. qui uero, iam procreati ſunt, ob quos gloriari ciuitas deberet, ſi forma & ætate præſtantes aliquos ſtupidos detinuerint, & ex amore appetantur.

tos uos, ut uidetur, Aeſchini obtemperantes ignominia afficietis. Atq; hic egreſſum quendam (ut audio) de me facturus eſt rogans, num me pudeat, cum in ſcholis aſſiduus fuerim, plurimorumq́; amator, rem ad opprobrium & diſcrimen deducam; ac poſtremo (ut nonnulli mihi nunciant) cum uos ad riſum & facetias conuerterit, ſe oſtenſurum dicet, quot ego, & ad quos poemata amatoria perſcripſerim, contumeliarumq́; & plagarum, quæ ob eam rem mihi inflictæ fuerint, teſtimonia ſe præbiturum. Ego uero neq; honeſtum amorem reprehendo, neq; ſpecie præſtantes aio protinus cinœdos eſſe, neq́; inficior, quòd & ipſe amori deditus fuerim, & etiam in præſentia ob eam rem cum quibuſdam contentiones pugnasq́; conſtare non negauerim, neq; mihi non contigiſſe. De carminibus autem, quæ iſti aiunt me ſcripſiſſe, partim fateor, partim ad eum modum ſe habere nego, quemadmodum illa deprauata præbent. Definio autem formoſos & modeſtos amare, humani affectus, rectiq́; animi eſſe; libidinoſe autem ſe habere in aliquem pecunia uenalem, iniurij & inelegantis hominis officium eſſe reor. Caſte porro amare, id honeſtum eſſe aio. eum autem, qui ingenui ſit animi mercede proſtituere, inhoneſtum quantum iſtorum alterutrum inter ſe differant, & ut plurimum diſtent ex his, quæ ſubijciam, uos uerbis condocefacere enitar, maiores ueſtri cum de ſtudijs, deq́; ijs, quæ à natura neceſſario bona mala'ue ſunt, leges tulerunt, quæ liberis hominibus obeunda putarunt, ea ſeruis peragenda uetuerunt, ſeruus (ait lex) ne nudetur, ne'ue in palæſtris ungatur, neq; præterea adiecit quòd liber ueſte poſita corpus oleo pungere poſſit. Cum

enim legislator bonum id quod in exercitationibus corporis est, perspexisset, idq́; ne serui attingerent denegasset, eadem=met lege, qua illos prohibuit, liberos homines ad eiusmodi exercitationes inuitandos censuit, rursus hic ipse legislator, quòd seruus liberum puerum ne amet, ne'ue assectetur, uel à publico lictore quinquaginta plagis uerberetur, edixit. At liberum non uetuit amare, & uersari, & comitari, neq; ob id aliquod puero detrimentum inferri, sed continentiæ testi=monium euenire iudicauit. cum uero discerni adhuc non pos=sit, quis uere beneuolus sit, & quis non, amatorem cohibet, & amicitiæ sermones in prudentiorem & prouectiorem æta tem reijcit. sectari uero & obseruare, arcem & custodiam maximam castitatis esse arbitratus est. Igitur de Republica benemeritos, uirtute autem præcellentes Harmodium & Aristogitonem, siue modestus qdam & legitimus siue amor, siue mos, utcunq; ipsum licet appellare, ita eos instituit & erudiuit, ut qui eorum actiones commendare nitantur in præ=conijs rerum ab illis gestarum exiliores esse uideantur. Po=stea uero quàm Achillis & Patrocli meministis, Homeriq́; ac reliquorum Poetarum, quasi iudices eruditionis sint impe=riti. Vos uero idonei, atq; ob rerum cognitionem populum pro nihilo ducitis, ut cernatis, quòd & nos aliquid audiui=mus & didicimus, aliquid de his & nos dicemus. quando autem uiros Philosophos citare conantur, & ad rationes cō fugiunt uersibus conscriptas, spectate Athenienses & con=tueamini ad omnium uoce probatos, eximiosq́; Poetas. quàm blande appellari eos uoluerint, qui moderate uiuunt, quiq; eiusmodi morum sunt amatores, insuper et eos, qui his in re=

bus sunt intemperantes, quas non decet, quiq; iniurij sunt. in primisq; de Homero dicam, quem inter antiquissimos sapientissimosq; Poetas cõnumeramus. ille enim sæpenumero cum Patroclum et Achillem commeminisset, amorem quidem, eorumq; amicitiæ uocabulum inuoluit, dum ratus esset beneuolentiæ magnitudinem eruditis auditoribus incognitam non esse. Alicubi enim cum Patrocli mortem Achilles conquereretur, uelut quid acerbissimum recordatus, ait quòd promissa Patrocli genitori Menœtio non sua sponte interuertisset. spoponderat nanque ipsum in Opunte incolumem se reducturum Patroclum. quippe erat Opuntius, si ipsum unà secum ad Troiam eduxisset, eiq; assedisset. quapropter manifesto tenetur, quòd amoris gratia eius curam susceperat. Versus præterea id declarant, quæ ego nunc recitabo.

Illo uana die certe sum fatus amici,
Exhortans heroa Menœtium in ædibus altis
Clarum in Opunta promisi redducere natum
Pergama prostrantem, partem prædæq; sequentem,
Sed non cuncta uiris cœli Rex uota secundat:
Nam Troia amborum debebat sanguine tingi.

Non itaque hic solum lamentabili uoce fuisse uidetur, sed eum ita acriter deplorauit, ut cum à Thetide matre ante audisset, quòd si hostes non tentaret, uerum Patrocli mortem impunitã dimitteret, domum reuersus senex in sua ipsius patria foret moriturus; q̃, si uindictam sumpsisset breui tempore futurum, ut uitam finiret: magis defuncti fidem q̃ propriam salutem sequi uoluit, ita præ eius magnanimitate animo induxerat illius interfectorem ulcisci, ut cum omnes ipsum horta-

rentur & impellerent, ut lauaretur & cibũ sumeret, nihil eorum se facturũ eiurarit, priusq̃ Hectoris caput in Patrocli sepulchrum retulisset. cũ autem is somnum cœpisset supra rogũ (ut Poeta ait) Patrocli simulachrum insedit, atq; eorum cõmemorationem habuit, eáq; Achillem est obtestatum in q̃bus lacrymari, illorumq́; uirtutem & amicitiam, dignũest imitari. rogat enim cum prius ipsum admoneat q̧ & is non ꝓcul abest ab exitu uitæ, si quoquo modo fieri possit, se præparet, ut quẽadmodum sub una eademq́; ratione educati fuere, atq; uixerunt, ita eorũdem defunctorũ ossa eadem in urna collocentur. cũq; ploraret, & studia referret, quæ inter se dum uixerãt, exercuerãt, ait, nõ amplius maximis de rebus sicuti prius soli inter nos seorsum ab reliquis amicis sedentes consilia capiemus, fidem reor, & beneuolentiam q̃d optabilissimum esse arbitrabatur, ut autem & ex carmine Poetæ sententias cognoscatis, uobis scriba leget eos uersus, quos his de rebus Poeta edidit, Recita prius illos, qui sunt de uindicta Hectoris.

Ergo ubi sis manes Patrocle sequendus ad imos,
Nequaqaam tumulo condam prius, Hectoris hućq;
Magnanimi portem caput occisoris & arma.

Lege & illos quibus ut eadem sepulchro condantur insomnis Patroclus petit, ac de studijs refert quæ inter se exercuerant.

Dilectus quoniam socijs non absq; sedentes
Consilium uiui capiemus, nam impia sors me
Abstulit inuisa, primis mihi quæ obtigit annis
Et simili fato decretum fortis Achilles
Te quoq; sub muris generosæ occumbere Troiæ
Poscentem seuo, formosam marte Lacenam

Dicam aliud tibi, ſed tu animo mea dicta reconde.
Ne patiare tuis ſemota mea oſſa locari.
Aſt eadem pariter tellus ut condat utrunq;
Vrnula in aurata, uenerandæ munere matris.
Sed ſumus in noſtris ut nutriti ædibus ambo
Sub primo Opunte, me quando Menœtius æuo
Abduxit puerum ueſtrum, de cæde cruenta.
Illo quippe die nolens natum Amphidamantis
Occidi puerum ludorum percitus ira.
Peleus me ſuſcepit eques his ædibus, atq;
Cura aluit ſumma, famulumq́; uocauit Achillis.
Sic una amborum ſimul oſſa tegantur in urna.

Quòd itaq; ipſe ſeruari potuiſſet, niſi uindictam mortis Patrocli proſecutus eſſet. recita quæ ait Thetis,

Nate cito moriturus eris mihi, dicis ut ipſe.
Nanq; parata tibi ſubito poſt Hectora mors eſt,
Huic celer eſt ualde ſuſpirans orſus Achilles.
Mox moriar, neq; enim debebam ferre ſodali
Auxilium cæſo ſuper omnia cætera charo.

Non minus quoq; ſapiens inter Poetas Euripides quid pulcherrimum eſſe exiſtimat, temperanter amare, dum in uoti parte amorem collocat, Alicubi enim ait,

Qui ad temperantiam, adq́; uirtutem incitat
Eſt appetendus hominibus cunctis, amor:
Quorum utinam ego numero quoq; ipſe aſcriberer.

Rurſus hic ipſe Poeta in Phœnice, dum aduerſus calũniam ei apud patrẽ illatã ſe defenderet, aſſuefacit hoĩes ne ex ſuſpicionibus & criminationibus, ſed à uita reorũ ſentẽtias ferãt.

Iam sæpe multis in negotijs fui
Iudex ego, & contentione testium
In causa eadem dicier contraria
Cognoui. at ipse quisnam homo sapiens siet,
Viri ex natura ueritatem colligo,
Vitam respectans quisq; quam traduxerit.
Qui nanq; uersatur libenter cum improbis,
Nihil requiro, quippe qui cognouerim
Eum esse similem ijs, quibus is assueuerit.

Vobiscum agitate Athenienses sententias, quas Poeta pronunciat multarum rerum fuisse se iudicem ait. quemadmodũ nunc uos iudices estis, sententiasq; non ex testimonijs sed moribus & consuetudinibus tulisse inquit, cum illud præ oculis haberet quam uitam quotidianam reus duxerit, quoq; pacto res domesticas gubernauit, ut sicuti seipsum ita & Rẽpublicam administraturus fuisse credatur, & qbuscum familiaritatem habere delectetur, atq; tandem quid eiusmodi eloqui nõ prætermisit, talem eum esse, quales hi sunt, cum quibus uersari cupiat. proinde æquum est uos eisdem de Timarcho argumentis uti, quibus usus est Euripides. Quomodo suum patrimonium tractauit? nempe paterna & amicorum bona corpore emeritus profudit, muneribusq; acceptis bona omnia publica cõsumpsit, ut nil præterea aliud nisi dedecus ei supersit. Quo cum uersari delectatur? cũ Hegesandro. Hegesander autem quibus studijs oblectatur? eis, quibus si qs utatur, ipsum à concionando leges arcent. ego proinde quid aio contra Timarchum? & quæ ea sunt, quæ in accusationem deduxi? Timarcho corpore prostituto paternæq; hæreditatis nepoti

concionari ne liceat, uos (sicuti iurauistis) eisdem de rebus sen tentiam fertote, quæ sum persequutus. uerum ne distrahar dum Poetas cõnumero, uiros referam uobis seniores et percelebres, eorumq; nomina, adolescentumq; & puerorum, quorum partim propter eorum elegãtiam pleriq; amatores, euaserũt, partim adhuc sunt cum in prouectiori ætate existãt, quorum nullus unq̃ ad i l ad quod Timarchus deuenit, ut accusari mereretur. Rursus in animo est, ut eos recenseam eorumq; nomina, qui passim, & sine delectu sese prostituerũt, ut uos illorum recordati, locum Timarcho, cõdignum assignetis. in primis itaq; nomina ingenuorum hominum & qui honeste uixerunt recitabo. Nostis Athenienses Critonem Astyochi & Periclidem Perithœdi, Polemagenemq;, & Pandoleontem Clengori filium, Timesitheumq; cursorem, pulcherrimos non solum ex ciuibus sed & ex uniuersa Græcia fuisse, plurimosq; & modestissimos ad se amandos excitasse, attamen nemo unquam de illorum dignitate quicquam detraxit. Præterea ex adolescentibus & pueris qui etiam nunc extãt, primum quidem nepotem ex fratre Iphicratis, filium uero Tisij, Rhamnusij, eiusdem qui est nominis cum hoc ipso Timarcho, qui cũ tali sit specie oris, ita tamen à turpibus abstinet, ut superioribus diebus cum ludi Bacchanales in agris fierent, Comœdiæq; actores ex tribu Colyttea adessent ac Comicus Histrio quendam Anapæstum ad chorum p̃nunciaret, in eoq; diceretur, quosdam Timarchios uel summe dissolutos adesse, nullus in adolescentem oculos sustulit, sed de te omnes suspicabantur, usq; adeo id studij est tibi hæreditarium. insuper Auticlem Stadiodromum & Phidiam Milesij fratrem.

multosq; alios cum recensere possem, omittam, ne dū eos honoris causa nomino, id in gratiam meam facere uidear. de his qui simillimi moribus Timarcho existunt, dum illorum offensionem effugiam qui uel minimum mihi curæ sunt, mētionem faciam. quis uestrum pupillum eum, qui Diophantus dicitur, non nouit? qui hospitem ad Principem adduxit, cui assistebat Aristophon Azenieus, cū ipsum detulisset q̃ quatuor drachmas ob id ipsum operis ei non impendisset, legesq; prompsit, quæ pupillorum curam ei magistratui committūt. quas cum temperantiam præscriberent, transgressus odio habuerat. aut qui ex ciuibus nō grauiter tulit Cephisodorū Molonis filium appellatum, qui florētissimam eius formam perdite dedecorauit, seu Mnesitheum Magiri filium dictum, multosq; alios, quos libens cognitos habere nolo, neq; enim ipsorum quenq; nominatim appellare pertinaciter studeo. uerum potius huiusmodi studiorum nescius esse uellem in dicendo præ beneuolentia ciuitatis. quādo uero utrisq; propositis, hos seorsum dinumerauimus, qui propter modestiam amati fuere, illosq; rursus, qui in suum ipsorū corpus peccarunt, uos illud à me rogati dicite in quam classem Timarchum amandatis? num ad eam amatorum an uero ad illam ꝓstitutorum? Verumtamen ne deserens ordinem, quem tibi proposuisti ad ingenuorum classem transfugias. Quòd si defendere studeāt, eum se prostituisse, non uideri qui per chirographum mercede depactus non esset. Tabellasq; & testes præberi petent à me earum rerum. in primis leges prostitutæ pudicitiæ ad memoriam reducite, in quibus nusquam legislator pactorum mentionem habet. non enim q̃ quis se ex cautione dedecora-

uerit id perquirit, uerum prorsus, quocunq; id fiat modo, eũ qui id egerit, prohibet, ne Rempublicam attingat. & merito, qui etenim cum iuuenis esset propter effrenatas cupiditates longe à studio abfuit rerum optimarum hunc senem effectum, ut cum populo agat, dignum non censuit. Deinde eius rationis ineptias facile est ut exquiramus. omnes enim hoc fateremur, ꝙ pacta ob perfidiam ultro citroq; conficimus, ut qui conuenta obseruat ius suffragio aduersus eũ consequatur, qui in fide non manet. Atqui si res iudicium requiret, quod ex tabella ius dicat, ijs, qui muliebria passi iniuria afficerentur. legum auxilium, quas isti dicunt, relinquitur. Atq; utra ratio prodeat, (neq; quid à me dicatur, sed rem, ut geritur, inspicere putetis) qui mercede conducit iuste alioqui in re uersetur, qui autem se diuendidit inique agat, neq; stet conuentis. uel rursus econtrario, qui pretio conductus extitit aequus sit in fideq; pactorũ maneat, at qui florem ætatis decerpsit quiq; mercedem spopondit, fallat, uosq; ipsos iudices cõstitutos esse cogitetis. Proinde senior, dato ei loco ad agẽdum, dicendumq;, accusationem admodum diligenter nos uidelicet intuitus, proferat. Timarchum Athenienses mercede conuenta ut mihi ipsi se subijceret, conduxi, iuxta chirographum, quod pœnes Demosthenem existit, neq; enim quicquam uetat, quin ita dictum sit. at mihi promissa non facit, cumq; eiusmodi explicasset. coramq; iudicibus dixisset, quæ eũ facere oportebat, non'ne postmodum in eum lapidatio saxis fiet, qui Atheniensem aduersus leges in id operis mercatus esset? è foroq; mulctatus abscedet, non litis tantũ sed et reliquarum iniuriarum æstimatione soluta? Verum non is, sed qui ob quæ-

ſtum conductus fuit, in iudicio ſiſtat, dicat iam pro eo ſapiẽs Batalus, ut quid dicturus ſit uideamus. uiri iudices quidam, ut me ei proſtituerem, argento nundinatus fuit, quicunque ille fuerit, nil quippe intereſt, etiam ſi ita dicatur. atq; ego omnia & feci itemq; facio pro fide pactorum, quæ Catamy tum facere conuenit, uerum is conuentis ſtare recuſat. non'ne poſt hæc omnes clamabunt? qs etenim non dicet? exeat deinde is in forum, aut coronam imponat, quid'ue eorum quæ nos cõ ſueuerimus, agat? nulla itaq; tabellæ utilitas exiſtit. Vnde igitur id uiguerit, dicíq; aſſueuerit, q̃ nõnulli pro cautione ſe proſtituunt, exponam. uir quidam è ciuibus, cuius nomen non referam, inimicitias enim deuito, cum nihil eorum cogitaſſet quæ uobis ego pauloante retuli, fertur præter tabulas ſcortatus fuiſſe, quæ apud Anticlen depoſitæ extãt, qui tamẽ uulgaris non eſt. ſed magiſtratibus functus, ac cum conuicijs affectus eſſet, in uſum uenit, ut eo ꝓuerbio ciuitas uteretur, ob idq; nonnulli interrogare ſolent, an res iuxta tabellam ſuc ceſſerit. legislatori, non quo pacto res acta fuerit, curæ fuit, ſed ſi quoquo modo mercatura interceſſerit, infamiam irrogat nundinanti, iſta q̃q̃ ita palàm ſint definita, pleræq; tamẽ uerſu iloquæ interiectiones ab Demoſthene inuenietur. quæ enim re ab ipſa calliditates ꝓficiſcerentur, minus iniquo animo eas quis ferre poſſet: at quæ aliunde adducet, ut iura = ciuilia ſubuertat, par eſt, ut ob ea ira excandeſcatis, frequẽs enim erit in ore eius Philippus, Alexandriq; filij nomen com miſcebitur. nam ad reliqua uitia hoc accedit, q̃ importunus, ineruditusq; homo eſt, Oratione enim in Philippum inuehi inſipiens quidem intẽpeſtiuumq; eſt, ſed illo minus peccatum

existit, quod dicturus sum. omnium enim consensu in uirum, ipse cum uir non sit, maledicta obijciet. quando autem elaboratis translatisq; uerbis puerum ad inhonestas suspiciones detorserit, facit, ut ciuitas derideatur, ueluti (dum rationibus meis officiat, quas de legatione sum redditurus) ait me (cũ ipse prius in Senatu de Alexandro puero recensuisset, q̃ in conuiuio nostro citharam pulsasset, uersusq; quosdam, & repulsam alterius pueri cecinisset, eaq; in Senatu ipse retulisset, quorum cognitionem assequi potuerit) non tanq̃ collegam in legatione, sed sicuti cognatum argutijs in puerum dictis indignatum fuisse. ego enim cum Alexandro, & merito propter ætatem uerba habere nolui. Philippum certe nunc propter uerborum benignitatem laudibus extollo. q̃ si factis is erit erga uos, qui modo promissis extitit, solidam & facilem in se laudem excitabit. increpaui enim in Senatu Demosthenẽ, non ut puerum reuererer, sed ne, si ista admitteretis, persimilem ciuitatem uisam iri putarem dicentis indignitati. Atq; in summa eas defensiones Athenienses, quæ aliunde q̃ ab re accersuntur, ne recipite. in primis iurisiurãdi gratia, qđ iurastis, deinde ne ab homine uerborũ opifice seducamini. Paulo uero altius (ut eos edoceam) exordiar. Demosthenes postq̃ paternam hæreditatem consumpsit, ciuitatem circuiuit, eos pupillos iuuenes obseruãdo, qui diuites essent, quorũ patres mortui essent, matres uero rem gererẽt, et ut multos prætercam, uel de uno tantum ex his, qui indigna passi fuere, recordabor. Domum enim opulentam cum perspexisset, quæ non recte foret instituta cuius dux mulier esset, animo admodum elata, mentisq; carens, pupillus autem ualde iuuenis, ac semifurens,

patrimoniũ tractaret Ariſtarchus Moſchi filius, huius amator eſſe ſimulauit, & adoleſcentulum cum ad illã amicitiam prouocaſſet, eáq; nouæ rei ſpe impleſſet, ut nõ multo tempore interiecto in Oratorio ordine primũ teneret locum, edixiſſet, ad eas res illi aditum præſtitit, taliumq́; actionũ præceptor fuit, ob quas ille patria priuatus fuerit, is uero eius exilij commeatus præripiens tria talenta abſtulerit. Nicodemus enim Aphidnæus ſub Ariſtarcho uiolenta morte occubuit, ambobus ei miſero oculis euulſis, linguáq; execta, qua libere loquutus fuerat, legibus fidens & uobis. Deinde uos Athenienſes Socratem Sophiſtem necauiſtis, q. Critiam unum ex illis XXX. qui populum euerterant, inſtruxiſſe crederetur. Demoſthenes uero à uobis ſocios depoſcet, cum tam graues pœnas à priuatis popularibusq́; hominibus ſumpſerit pro libertate loquendi, à quo corrogati nõnulli ex diſcipulis eius ad audientiam ueniunt, ipſis enim ſpopondit ſe perfecturum, uobiſq́; inſcientibus (ut ego audio) obrepturum, ſtatumq́; cauſæ, & iudicium ueſtrum immutaturum, fiduciamq́; reo præbiturum, cum huc ipſe prodierit, accuſatorem uero compreſſurum, & ut ab eo timeret, effecturum, totq; ac tantos tumultus apud iudices concitaturum; conciones meas interſerens ac pacem uituperans per me & Philocratem factam, ita ut ei ego obuiam in forum iturus non ſim ad me defendendum, cum legationis rationes relaturus fuero, ſed contentus futurus ſim, ſi mediocriter mulctatus concidam, neq; puniar pœna mortis. At nullo modo aduerſus uos ipſos cauillatoris riſui & uerſutiæ locũ date, ſed exiſtimate ipſum à foro domum redeuntem uidere, ſeq; pro adoleſcentum exer

citatione iactantem, narrantemq; quod industrie rem iudicibus subtraxerit. cum enim ipsos à Timarchi criminibus abduxissem, constiti, atq; in accusatorem, & Philippum, & Phocenses eos induxi, ita ut reus accusator effectus fuerit. qui autem accusabat, iudicio subiectus foret. iudices autem, quarum rerum iudices forent, ignorarint. quæ autem in iudicium non uenissent, horum auditores euaserint. Ad uestrũ officium pertinet. ad hæc uos ubiq; opponere ita affectanter, ut nusquam eum deflectere permittatis, ne'ue quid extra controuersiam uerbis aggregare, sed ueluti in Circensibus ludis intra ipsum rei curriculum eum cohibete. quod si ista feceritis, non despiciemini, sed eandem in iudicando, quam & leges ferendo, existimationem retinebitis: sin uero id minime feceritis, ob futura delicta uidebimini iudicia constituere, prouidere, & irasci. admissorum autem non item curam habere. & ut breui concludam, si iniurios punieritis, uobis leges & pulchræ & ratæ manebunt. quod si eos dimiseritis, laudabiles erunt et pulchræ, at non item ratæ. Quorum gratia ista dicam, uobis libere referre non remorabor. in exemplo autem uersabitur oratio mea. quid ita arbitramini uiri Athenienses leges recte positas esse, decreta autem ciuitate esse inferiora, iudicia itẽ aliquando per forum increpari? Ego harum rerũ causas ostendam, quoniam leges fertis iustis prorsus de causis, neq; alicuius iniqui lucri causa, siue odij, uerum ad id tantum quod æquum sit, & conducibile respiciendo, cum putem uos magis quam alios ad id ut prompti sitis natura procreatos esse. iure idcirco pulcherrimarum legum latores estis. In concionibus uero & iudicijs dum plerũq; orationes, quæ ad rem ipsam fa

ciũt, omittitis, ab errore & insolentia seducimini, & iniquissimum præ cæteris morem in controuersijs admisistis. permittitis enim, ut rei accusatores suos criminentur, postea uero q̃ à defensione auulsi estis, & animum ad alia applicueritis, accusationis obliti' à iudicio distrahimini, neq; ab alterutro pœnam sumitis. non enim ab accusatore, quoniam aduersus eum suffragium non fertur, minus quoq; ab accusato. cũ etenim alienis criminibus, quæ ei inerant delicta, propulsarit, ex iudicio elapsus est, atq; ita leges tolluntur, popularis status dissoluitur, ac iste mos eo magis progreditur. facile enim aliquãdo orationem suscipitis sine uitæ probitate, quod utiq; Lacedæmonij non faciunt: honestum siquidem est etiam externas uirtutes æmulari. cum enim aliquis in Lacedæmoniorum conuentu concionem habeat qui uir sit uitæ incontinentis; in dicendo autem eloquentissimus, Lacedæmonijq́; pro illius sententia sint (ut aiunt) suffragium laturi, quidam ex senioribus prodit, quos illi & uerrentur, & timent, cum eiusmodi ætatis cognomentum maximum putent esse magistratum. eos enim ex his deligunt qui à pueris ad senectutem usq; temperanter uixerint. ex his unus (ut fertur) prodit, & Lacedæmonios ualde reprehendit, ac quid eiusmodi aduersus eos male ominatur, q̃ nõ diutius Spartam inexpugnabilem sint habitaturi, cum in concionibus istiusmodi consultoribus utantur, pariter et alium quempiam Lacedæmonium uirum adhortatus, non ita quidem ad dicendum ingeniosum, cæterum in bello clarum, iustitiaq́; & tẽperantia præstantem, ei iniungit, ut easdem sententias ita dicat, quẽadmodum possit, quas alius Orator antea dixerat, ut Lacedæmonij inquit uiro probo loquente

decernant, uocem autem ignauorum & prauorum hominum intra aures ne recipiant. Hæc senex qui à pueris modeste uixit ciuibus suis consulere consueuit, quàm primum .s. Timarchū aut cinœdum Demosthenem ad gubernacula Reipublicæ delegaret. ne autem uidear Lacedæmonios uenerari, etiam maiorum nostrorum memoriam repetam. usq; eo enim morosi erant in pudore custodiendo, & tanti liberorum temperantiam faciebant, ut uir quidam ex ciuibus cum filiam suam corruptam comperisset, eiusq́; ætatem ad nuptias usq; non probe custodisset, ipsam unà cum equo quadam in deserta domo conclusit, quo porro futurum erat, ut præ fame absumeretur. Nuncq́; præterea eius domus uestigia extant in ciuitate uestra, isq́; locus ad equum & puellam appellatur. Solon autem legislatorum probatissimus moderate & grauiter scripsit de modestia muliebri. mulierem enim cū qua adulter fuerit deprehensus, non ornari, non ad publica sacra ingredi permittit, ne integris mulieribus permixta eas contaminet. quòd si ingrediatur, aut ornetur, ei, qui obuius fuerit, mandat, ut uestimenta discindat, ornamentaq́; auferat, & uerberet; cauens tamen ne uel mortem inferat, uel mutilam membris reddat, atq; ita huiusmodi mulierem infamem efficit, uitam'que ei parat detestādam, lenonesq́; deferri iubet. quòd si cōuicti, fuerint, ut morte plectantur. quoniam cū aliqui ad peccandum proni existant, seseq́; aggredi uereantur & pudeat, hi suam ipsorum impudentiam quæstui exponendo, rem ad opus & colloquium perducunt. Deinde cum superiores nostri ita de turpibus honestisq́; rebus constitutum habuerint, uos Timarchum turpissimis studijs deditum dimittetis? uirum quidem &

corpore

corpore marem, muliebria attamen uitia committentem? quis igitur uestrum qui uxorem ducat, si eam peccantem inuenerit, castigare uolet? aut quis non insipiens esse uidebitur, si ei, quæ natura delinquat, irascatur, illo autem, qui præter naturam sibi contumeliam intulerit consiliario utatur? Quam autem unusquisq; uestrum sententiam habens domum é foro reuertetur. neq; enim reus obscurus est, sed notissimus, neq; lex de exquirenda Oratorum uita ignobilis, sed celeberrima. tunc si domestici à pueris & adolescentibus rogentur, quàm expedite res in iudicio successerit, quid itaq; respondebitis, q suffragia mō in potestate uestra habetis cū liberi uestri à uobis postulabunt, num condemnaueritis an ipsum absoluendum esse duxeritis? nón ne pariter Timarchum liberasse confitebimini, ciuitatisq́; iuuentutem euertisse? quid enim refert pædagogos alere puerorum úe gladiatorios magistros, præceptoresq́; pueris præficere, cum hi, quibus leges fuerint commendatæ, ad impudicitiam declinent. in eaq́; re uos admiror Athenienses q, cum productores odio habeatis, eos, qui sponte se pstituunt, liberetis. atq; (ut uidetur) hic ipse idē uir cū nullius Dei sacerdotium sortiri queat, utpote q ex legibus mundus corpore non existat, ferent? scribet tamen in Decretis uota pro ciuitate Deabus seueris? Proinde quid admiramur si publicarum rerum euentus nos frustretur, cum huiusmodi Oratores in sententijs ad populum ferendis inscripti appareant. atq; eum, qui domi inhoneste uixerit é ciuitate legatum emiserimus, huicq; maximis de rebus fidem habuerimus? Quid non prodiderit, qui sui corporis contumeliam uendiderit? cuius iste misereretur? cum suijpsius commisera-

tionem non habuerit? cui uestrum Timarchi dementia pnota non est? sicuti enim eos qui ad luctandum ualent, q̃uis in luctatione non interfuerimus, eorum corporis bonam habitudinem intuiti, cognoscimus, ita & prostitutos, licet eorum actionibus præsentes non fuerimus, ex impudentia, & temeritate studijsq́; notos habemus. qui etenim magnis in rebus leges & temperantiam contemnit, quendam animi habitum consequitur, qui fit ex morum immodestia perspicuus. plurimas ab eiusmodi hominibus inueniri posset ciuitates euersas fuisse, in maximasq́; calamitates ipsos incidisse. Ne enim putetis Athenienses miseriarum initia ab Deis esse, ac non ab hominum improbitate gigni, neque impios quemadmodum in Tragœdijs facibus incensis pœnas propellere & punire, sed immodestæ corporis uoluptates, & dum putamus, nihil satis esse, hæc latrocinia perficiunt, hæc in piraticam nauem inducunt, hæc sunt unicuiq; pœna, hæc iuuenes impellunt trucidare ciues, obsecundare Tyrannis, popularem statum dissoluere. non enim pudorem, neq; ea, quæ passi sunt, animo complectuntur, sed quibus in rebus prospere agant & lætentur, istis allectantur. eiusmodi itaque ingenia Athenienses extirpate, ac iuuenum studia ad uirtutem conuertite. unumq́; illud probe scitote, quodq́; à me dicetur, memoriæ uestræ admodum commendate, si actionum suarum pœnas dederit Timarchus, modestiæ initium in ciuitate uestra facietis. ꝙ si hoc iudicium effugerit, utilius fuisset, præsentem controuersiam minime institutam fuisse. antequam enim in iudicium Timarchus adduceretur, timorem nonnullis iniecerat lex iudiciorumq́; nomen: ꝙ si teme-

ritate sua authoritatem in dicendo fuerit consecutus, & famosissimus cum sit, processerit, & superior euaserit, multos ad peccandum inflammabit; ac tandem uos non oratio sed rei occasio ad iracūdiam excitabit. Ne itaq; in frequentiam, sed in unum hominem pœnam infligatis apparatumq́;, & ipsorum patronos obseruate. quorū neminem nominatim appellabo, ne tale dicendi sumant exordium, q̄ non exiuissent, nisi quis eos proprio nomine cōpellasset: uerum illud efficiam, ut exemptis nominibus eorum studia pcurram, corporaq́; notissima constituam, quisq; enim se ipsum deferet, qui huc cōscenderit & impudentiam suam patefecerit. Huic certe tribus ex generibus adsunt qui ei patrocinium impendunt, qui quotidianis sumptibus paternas hæreditates dissiparunt, qui ætate sua ipsorumq́; corpore non probe usi fuere, qui quidem reformidant non ob Timarchum, sed pro seipsis suisq́; studijs, ne aliquando ueniant in iudicium; postremi intemperantes, quiq; his citra ullum negotium usi fuere, ipsorum ut auxilio confisi nonnulli ad peccādum facilius inuitentur, quorum uitam antequam eorum defensionem audiatis, ad memoriam reuocate. Et eos qui corpore suo deliquerunt, ne uos turbent, sed ut à concionibus facessant iubete. non enim eos, qui priuatam uitam agunt, sed qui Rempublicam administrant, lex exquirit. at qui sua profuderint, ut laborent, ac aliunde uictum quærant, præscribite. eos sanè, qui facile capiuntur, cum tamen uenatores existant, ad externos & aduentitios ut conuolent præcipite, ne illi suo proposito destitūantur, uosq́; ne lædamini. Omnia igitur à me, quæ iustitiam continent, accepistis, leges edocui, rei uitam perquisiui. modo igitur uos estis ra-

tionum mearum æſtimatores. at ego, uel continuo ueſtri ſpectator ero. rei enim executio à ſententijs ueſtris pendet. ſi itaq; uolueritis, dum uos æqua & quæ ſunt è Republica feceritis nos ad eos exquirendos, qui leges tranſiliunt, promptiores exhibebimus.

LIBANII ARGVMENTVM IN ORATIONEM DEMOSTHENIS DE EMENTITA LEGATIONE.

AEſchines uir erat Athenienſis Atrometi filius & Glaucothea, amborum ignobilium, ut ait Demoſthenes. hunc enim literas docendo, illam uero purgando, ac ceremonias quaſdam non ſatis honeſtas initiando, uitam inquit traduxiſſe. traditur & Aeſchines ipſe etiam Tragœdiarum actor, & ſcriba ciuitatis fuiſſe. quod erat uile quoddam miniſterium. poſtea tamen unus ex Oratoribus euaſit, & de pace legationem ad Philippum obiuit. Cum etenim Athenienſes bellum gererent cum Philippo pro Amphipoli, multáq; indigna ij ſi paſſi fuiſſent, nihilq́; memoratu dignum agerent, perſuaſi ſunt, ut legatos mitterent ad Philippum pro pace. emittunt quidem X. numero legatos, inter quos Aeſchines & Demoſthenes erãt. cumq́; fœdera admiſiſſet Philippus, rurſus ſecundo loco hi ipſi legatos agunt, ut pacis iuramenta reciperent, atque ob res iſtas, ex tribus Demoſthenes defert Aeſchinem, ꝙ cum Philocrates pacem cum ignominia & detrimento Reipublicæ protuliſſet, & rogaſſet, ei patrocinium impenderit.

quod tempora subtraxerit. qua ex re accidit, ut Thracia diriperetur. q; mendacia Atheniẽsibus retulerit, à qua re illud fuit, ut Phocenses euerterentur, eum dixisse ait, q; Phocenses Philippus nõ popularetur. qđ cũ uos credidissetis, genti opem non tulistis. inquit autem hæc omnia pretio, donisq; corruptum Aeschinem commisisse. Statum causæ de substantia esse dicimus, & propterea coniecturalem. Incitatio contentionis fertur fuisse ob Timarchum Demosthenis amicum, quem infamia notauit Aeschines, dum eum accusasset inhonestæ uitæ, quòd ad Pittalacum inquit auium ludi magistrum uentitaret, speciosus cum esset, ut auium pugnas spectaret, huncq; corruptum illum corruptorem fuisse.

ALIVD ARGVMENTVM INCERTI AVTHORIS IN EANDEM ORATIONEM.

Bellum paruum cõflatum fuerat inter Philippum & Athenienses, ex quo tempore transgressus fœdera, quæ cum ipsis habebat ab Olynthijs Amphipolim accepit, quæ ciuitatis possessio erat. & quando socij defecerant, hæc ipsa sub Olynthijs erat. Ortum est etiam alterum bellum inter Phocenses, & Thessalos, atq; Thebanos, cum Thessalis quidem de templo Pythij Apollinis, cum Thebanis uero de Orchomeno, & Coronea. Id enim ex historia patet, quòd duas ciuitates Thebanis uicinas abripuerant. Thessalis autem expulsis, Amphyctioniam, quippe cum in media Phocide sacra Delphica cõstituta eẽnt. Postea uero quàm diutius inter se pugnassent Athenienses & Philippus,

pacem postremo facere ambo desiderabant, sed existimabant hoc dedecus habere, pacem uter ipsorum prior proponeret. Aristodemus autem, & Neoptolemus histriones actoresq́; Tragœdiæ erant, hi ob suam professionem licentiam habebant, & potestatem quocunq; uellent proficiscendi etiam ad hostes. Cum igitur hi Macedoniam petijssent, suam artem ostentarunt, ac ita Philippus eos benigne excepit, ut præter alias pecunias etiam ex suis ipsis erogarit. Cumq́; intelligeret Phocenses, Thessalos, et Thebanos legationes ad ipsum missuros, uoluit Athenienses circumuenire. hocq́; prætextu abrepto, dimissis Aristodemo & Neoptolemo eis aiebat, Amicus sum Atheniensibus. rursus euenit, ut quid eiusmodi succederet. Phrynon quidam Atheniensis cum recessisset ludis Olympicis decertaturus, uel ut illos spectaret, captus fuit tempore nouilunij à quibusdam militibus Philippi, omniaq́; sua ei ablata fuere: & cum uenisset Athenas, Athenienses rogabat, ut ipsum crearent & legatum eligerent, ut ad Philippum profectus ab eo sua recuperaret, quibus fuerat spoliatus. Ob idq́; suasi Athenienses, illum & Ctesiphontem legatum designauere: cumq́; ij in Macedoniam peruenissent, Philippus eos perhumane hospicio suscepit, usq; adeo, ut ea quæ ab eis fuerant per milites asportata, reddiderit, aliaq́; insuper ex suis donauerit, necnon excusationem eam protulerit, quòd milites ignorassent, eo tempore nouilunium fuisse. Atque his ipsis rursus illud idem proponebat, se esse Atheniensium amicum. In Atticam isti cum reuertissent, eadem quæ cæteri nunciarunt. Athenienses ista cum audissent, dignoscere uoluerunt, num re uera Philippus pacem cũ Athe-

nienſibus facere uellet, & ea de cauſa X. legatos elegere. ſunt autem hi Cteſiphon, Ariſtodemus, Iatrocles, Cimon, Nauſicles, Dercyllus, Phrynon, Philocrates, Aeſchines & Demoſthenes, hosq́; mittunt in Macedoniam, ut uideant, an uere Philippus pacem componere uelit, quodq́; ſi ita eſſet, ut legatos ab ipſo ſecum ducant, qui iuramenta accipiant. Hi X. legati cum abijſſent, inter quos unus erat Demoſthenes, & reuerſi fuiſſent, ſecum tres Philippi legatos Athenas adduxere, Antipatrum. ſ. Parmenionem, & Eurylochum, qui ab Athenienſibus iuramēta reciperent. Dum autem & Athenienſium ſocij conuenirent ea uidelicet de cauſa, ut & ipſi iuramenta acciperent, tempus præteribat. Demoſthenes itaq; cum Philippi ingenium cognoſceret, utpote qui perpetuus eſſet direptor & uexator, Athenienſes hortatur, primo quoq; tempore legatis Philippi, ut iuramenta exhibeant, etiam ſi Cerſobleptes non adeſſet. dicebat enim Demoſthenes, Cerſobleptem iuramenta præſtaturum fore quo tempore Thraciam peterent. ſciendum autem eſt, quòd Demoſthenes in ſecundam legationem profectus non fuit tali de cauſa. Cũ enim primam legationem obiuiſſet, quoſdam in Macedonia inuenit ex Athenienſibus captiuos, hisq́; pollicitus fuit, ſe ꝓprijs pecunijs ipſos redempturum fore, id tamen facere non poterat, niſi ſub nomine legati. Dicebat autem, Athenienſibusq́; conſulebat, è Republica fore, ſi legati nauibus obirent, ut quippe celeriter appellerent, ac ubicunq; Philippum intelligerent morari, eò ut proficiſcerentur, ibiq́; iuramenta acciperent. iſti uero cum non obtemperaſſent, pedeſtri itinere abiere. & cum in Macedoniam perueniſſent, tres menſes in-

tegros ibi moram traxere, donec Philippus multis Atheniē-
ſium oppidis ſubiugatis rediįſſet, inter quæ etiam Cerſoble-
ptes in poteſtatem redactus fuerat. & cū Philippus regreſ
ſus fuiſſet, non è ueſtigio iuramenta præſtitit, uerum illa di-
ſtulit, quouſq; expeditionem aduerſus Phocenſes parauit, li-
cet Phocenſes legationem ad ipſum miſiſſent de bello com-
ponendo, ac cum Philippus aduerſus Phocenſes egreſſus eſ-
ſet, atq; adeo illis in Templo iuramenta offerre deberet, il-
la in diuerſorio exhibuit, dum ita diceret, fœdera in eo cum
Athenienſibus, Athenienſiumq́; ſocijs, Alenſibus, & Pho-
cenſibus exceptis. dicebat enim, quòd Alenſes hoſtes erant
Pharſaliorum, qui eius erant amici cum Phocenſibus au-
tem aiebat, non paciſcor, quandoquidem in Templum Apol
linis impie ſe geſſerunt. Cum igitur ſecunda legatio in Atti-
cam rediįſſet, Demoſthenes ſe oppoſuit inquiens, quæcunq;
à Philippo decreta fuere, mihi non placent. Aeſchines qui-
dem dicebat, Philippum iſta palàm dixiſſe, ſibi uero ad au-
rem loquutum eſſe, quòd ex eo dixiſſet, præter Alenſes, &
Phocenſes, ne.ſ.Thebani id reſciſcentes cauerent. ipſos enim
dicebat Philippus, ego aggreſſus euertam, hos autem ſer-
uabo. Athenienſes cum Aeſchini fidem præſtarent, tertiam
legationem deſtinarunt, dum ſcire uellent, an Philippus, quæ
ab Aeſchine relata fuerunt, ſeruaturus foret. At Demoſthe
nes iuramento firmauit, neq; ſe eam legationem obiturum,
neq; ei communicaturum, quocunq; modo bene an male ea le
gatio cederet. Ac dum Aeſchines timeret, ne Demoſthenes
ſi domi maneret, auxilium Phocenſibus mittendum fore ſua-
deret, finxit (ut ait Demoſthenes) ſe aduerſa ualetudine la-

borare, ob idq́; Aeschinis frater, qui dicebatur Eunomus, dum secum medicum haberet, uenit in Senatum, iurauitq́; Aeschinem morbo laborare, propterea populus Atheniensis ipsum Eunomum loco ipsius legatum creauit. Cumq́; hi legati abijssent, in Euboeamq́; peruenissent, audierunt Philippum Phocenses in ditionem suam redegisse, atq; ex eo dedecore affecti reuersi fuere. Ea autem tertia legatio dum in Atticam regressa esset, Aeschines sponte sua, & iniussu Senatus (ut inquit Demosthenes) legatus profectus est ad Philippum. Sciendum autem est, quòd quilibet ex legatis post gestam legationem rationes reddebat. Primaq́; legatio adeo recte rationes reddidit, ut Demosthenes decreuerit, eos dignos haberi, qui ad publicū epulum inuitarentur. Mos enim erat, ut qui in legatione se bene gessisset, ad publicum conuiuium uocaretur. Dubitant nonnulli, qua de causa, si Demosthenes sciebat hos esse proditores, ad publicum prandium eos inuitandos decreuerit. Respondemus, quòd post illud epulum Demosthenes eorum animum detexit. solus autem Demosthenes ex secundæ legationis legatis rationes reddidit. Cumq́; Aeschines & ipse rationes redditurus esset, insurrexere Timarchus et Demosthenes illū accusaturi. At Aeschines ab Atheniensibus petijt, ut Oratorum uita exquireretur, & ea inquisitione habita, ostendit Timarchum muliebria passum fuisse, & ob id Athenienses eum exploserunt. Lex enim erat, ut qui se prostituisset, Rempublicam minime administraret. Deinde Demosthenes solus Aeschinem accusauit. At dicunt nonnulli, quomodo hic Demosthenes tertiæ legationis mentionem fecit, dicemus, quòd per triennium post accusa-

tionem institutam Demosthenes iudicium aggressus fuit, & Aeschinem detulit. Nam secunda legatione exacta Athenienses cum percepissent Phocensium euersionem, ex agris se intra urbem recipiebant, & in multa trepidatione erãt, postq; illud triennium in iudicium prodijt Demosthenes Aeschinem accusaturus, illumq; duobus criminibus inuoluit, Phocẽsium .s.euersione, & largitione. Sciendum praeterea, Demosthenem uti eo tanq̃ praecipuo crimine, quòd Phocenses Aeschinis opera perijssent, & ad eius rei confirmationem, secundã quaestionem inseruit. dicit enim Aeschinem pecunijs corruptum id facinoris attentasse,ut.s.prioris criminationis de Phocensibus ista confirmatio esset. Argumenta autem & indicia ea sunt, quòd Aeschines iandiu ista adornauerit, & machinatus fuerit, quibus pariter signis, artem & colorem, quo usurus erat Aeschines, praeuertit. quippe qui confugere poterat ad ignorantiam & ueniam. & haec quidem signa Demosthenes sumpsit partim ex his, quae neglecta fuerãt ab Aeschine, partim etiam ab his, quae in legatione acta fuerant, siquidem Aeschines Philocrati fauerat, quando Philocrates pacem fieri debere decreuerit, Phocensibus exclusis, praeterea à Thessalis iuramenta non acceperat, qui socij erãt Philippi, qui nequaq̃ aduersus Phocenses unà cum Philippo militassent, si iuramenta exhibuissent. Huc etiam accedit, q Philippo expeditionem praeparare permiserit contra Phocenses, idq; propter moram temporis. nam Aeschines tempora protraxit dedita opera, ne.s.populus Atheniensis cum classe exiret, atq; adeo pylas intercluderet. Adde etiam, q ex legatione reuersus urbem deceperit ex industria,idq; duplici spe.

proposita, una quidem, q̄ diceret Thebanos perituros esse, altera uero, q̄ retulerit, Phocenses seruatum iri, usq; adeo, ut facultas non fuerit, aliquod utile consilium pro Phocensibus inire. dicebat enim Aeschines credendum esse Philippo, pollicitus enim fuerat, se ipsos ciuitatis causa esse seruaturū. Et hæc quidem sunt signa prioris rationis. secundi autem capitis sunt ea, q̄ donis & pecunijs corruptus fuerit à Philippo, ubi manifeste ostenditur, Aeschinem à Philippo pecunias accepisse. hæc igitur sunt argumenta, quorum alia quidem sumpta sunt à neglectis, alia uero à gestis, utputa, odio non habet Philippum, q̄q̄ (ut inquit) ab eo deceptus, Philippo fauit, quando Amphictyon fieri affectabat. Cum s. Amphictyones de ipsis Athenas legationem miserunt, semper cum Philocrate, qui & ipse pecunias accepit, uersatur. Vocatus, ut testimonium diceret, quo tempore Hyperides Philocratem detulit, cum adesset, nil dixit. Legatus à populo creatus, ut primo quoq; tempore ad Philippum in Phocidem ꝓficisceretur, ob ea, quæ sibi Philippus pollicitus fuerat, se ægrotare finxit. Captis Phocensibus iniussu populi contra abiurationem recessit, quando uel maxime ipsum ab eo cauere oportebat. Hæc sunt argumenta secundæ rationis. Ex his autem argumentis illud, quod multo ualidius est, & cui maxime insistit Demosthenes, est, q̄ falsa Atheniensibus renunciauit, & q̄ multa Philippi nomine promiserit, de Thebanis uidelicet & Phocensibus. Argumentum autem huius Orationis coniecturale est. non enim Aeschines concedit ea, quæ sibi obijciūtur. siqdem omnino negat talia à se ꝑpetrata fuisse. species autem huius Orationis est (ut nōnulli existimāt) simplex. quippe

cū multa materia concurrat, alij tamen crediderunt, eam cōpositam esse, dū sumunt duo crimina de Phocēsibus et Thracia, Menander autem inq̄t, speciem seu formam compositam intercurrere. Procemium autem sumptum est à calūnia, per quæ enim ipsum timidū facit & deprecātem, per ea ostendit se iustis rationibus non admodum fidere. Eiusq; pariter est consilium, ut aduersarium collidat.

DEMOSTHENIS DE EMENTITA LEGATIONE ORATIO.

QVANTVM uiri Atheniēses studij & prensationis ad hanc contentionem adhibitum fuerit, uos propè omnes cognouisse arbitror, cum eos pauloante uideritis, quando sorte educti estis, qui tumultuabantur, & uos adibant: ea tamē à uobis omnibus deprecari uelim, quæ etiam non petentibus æquum est, ut impertiamini, ut nullum gratiam, nullam'ue hominem pluris habeatis, quàm iustitiam & sacramentum, quod, cum huc intrastis, quilibet uestrum adiurauit, illud expendendo, q̄ ista ad uos, uniuersamq; ciuitatem pertinent. at ipsæ fautorum preces, & studia ob priuatas fiunt cupiditates, quas ut coerceatis, leges uos congregarunt, non ut illas pro iniquis ho-

minibus ratas habeatis. reliquos enim qui res ciuitatis iuste tractarint, quamuis rationes reddiderint, perpetuæ quæstio= nis constituendæ facultatem proponere uideo. at hunc Aeschi nē uel maxime contra ac isti faciunt. antequam enim ad uos accesserit, & rerum gestarum rationem præbuerit. hūc qui= dem ex ijs, qui rationes deposcebant, sustulit, illis uero, pas= sim p forū uolitando, minatur, indignissimū omniū morem et his perniciosissimum in Rempublicam inducendo si enim is, qui res ciuitatis attigerit & administrarit, præ sui formidi= ne, & ut iustitiam defugiat, curarit, ut nullus eius sit accu= sator, rebus omnibus prorsus destituemini. Quòd hunc itaq; multa & grauia comm isisse conuincam, extremoq́; suppli= cio dignum fore confido & admodum mihi persuadeo. Quod autem (quanquam ista ita animo conceperim) subuerear, uo bis exponam, neq; celabo. Nam omnia quæ apud uos iudi= cia habentur, mihi uiri Athenienses uidentur non minus de tempore, quàm pro re constitui, ac quòd multum temporis post legationem præterierit, timeo, ne aliquam obliuionem, aut scelerum tolerantiam uobis iniecerit. Quemadmodum ta men de his iuste sentire et iusta modo statuere mihi uideremi ni, illud uobis explicabo, si apud uosipsos uiri iudices conside raueritis & reputaueritis, quarum rerum ciuitati conueniat rationem à legato sumere. in primis itaq; earum, quas renun ciauit, deinde, quas persuasit, postremo, quas illi mandaue ratis, præterea, & temporum, ad hæc omnia num corru= ptus nec'ne ea cuncta peregerit. quid ita ea sunt consideran= da? quoniam ex renunciationibus rectum uos de rebus consi= lium capitis. si etenim uera referuntur, quæ è re sunt, decer=

nitis, quòd si eiusmodi non nunciantur, contraria statuuntur. Consultationes porro magis fide dignas esse censetis, quæ à legatis exhibentur, eos quippe (utpote, qui illa sciant, quorum gratia missi fuerant) auditis. nulla ergo in re reprehendi debet legatus, quòd praue & inutiliter uobis consuluerit. Verum enim, quæ iniunxistis ut diceret, fatereturúe, et aperte decreuistis, ut exequeretur, conuenit ut illa fuerit prosequutus. Esto, cur tempora considerantur? qa sæpe uiri Athenienses contingit, multarum magnarumq; rerum occasio ut modico tempore occurrat, quam siquis prudens & sciens hostibus condonarit & prodiderit, nequaquam fieri potest, agat quicquid uelit, ut postea eam recuperet. Atqui quòd largitionem passus fuerit nec'ne, ob eas res corruptelam subire, ex quibus ciuitati detrimentum paratur, omnes (probe noui) quòd fateremini, id graue esse, multaq; animarduersione dignum. hoc tamen lator legis non definiuit, sed simpliciter dixit, munera accipi non debere, ratus (ut mihi uidetur) eum, qui uel semel quid acceperit, & pecunijs fuerit subornatus, non amplius quæ ciuitati conducant, syncere iudicaturū. si itaq; redarguero, & manifeste ostendero hunc Aeschinem & nihil ueri retulisse, & prohibuisse populum uera de me audire, & omnia utilitati uestræ contraria consuluisse, ac nihil eorum, quæ uos præceperatis, in legatione egisse, et tēpora consumpsisse, in quibus plurimarum maximarumq; rerum opportunitates ciuitati deperiere. Atq; pro his omnibus munera & mercedem unà cum Philocrate accepisse, ipsum condemnate, & meritam pro sceleribus pœnam sumite, sin ista, aut uel non omnia patefecero, me improbum existima-

te, & istum absolute. Cum multa insuper alia & permolesta præterea mihi accusanda supersint uiri Athenienses, ex quibus nemo est, qui eum odio merito non prosequatur, uolo ante omnia, quæ dicturus sum, ad memoriam uestram reuocare, (recte quidem plerosq; uestrum id recordari scio) in quo ordine administrandæ Reipublicæ abinitio Aeschines seipsum collocarit, & quæ uerba aduersus Philippum in concione habenda esse putarit, ut cernatis quòd ex rebus ab ipso gestis, & in concione à principio dictis, atq; his ipsis maxime ex omnibus munera accepisse indicabitur. Is itaq; primus est inter Athenienses, qui animaduerterit Philippum (ut tūc in concione dicebat) Græciæ insidias struere, & nonnullos, qui Arcadiam regebant, corrupisse, quiq; Ischandrum Neoptolemi filium habuerit, à quo ista ei suggererentur, qui Senatum, qui populum istis de rebus adierit, qui uos adduxerit, ut legatos omnes in partes emitteretis, qui eos huc conuocarent, à quibus de bello aduersus Philippum suscipiendo, consulendum esset, qui deinceps, cum ex Arcadia uenisset, pulchras illas & productas Orationes renunciauit, quas in frequenti cōcione contra Hieronymū, qui Philippi partes susceperat, se Megalopoli pro uobis habuisse dicebat, qui cōmemorauerit, q̄tis malis afficiant uniuersam Græciam, non solū suam patriā, qui muneribus & pecunijs acceptis à Philippo corrūperētur. postea igitur q̄ ista ab hoc tunc ita in Republica ꝑcurarētur & eiusmodi de se specimen dedisset, ut legatos pro pace ad Philippum mitteretis, persuasi estis, ab Aristodemo, & Neoptolemo, ac Ctesiphonte, cæterisq;. qui illinc ne minimum quidem ueri retulerant, interq; eos legatos hic

unus creatur non qui res uestras proditurus esset, neq; qui in Philippo fiduciam haberet, sed ueluti qui cæteros collegas ob seruaturus esset, ob ea enim quæ ante dicta sunt uerba, & ob inimicitias, quas aduersum Philippum præ se ferebat, hãc iure merito de ipso opinionem conceperatis. me itaq; cum postea conuenisset, ut eandem legationem unà obiremus, scelestumq́; & impudẽtem obseruaremus ambo Philocratem, pluribus uerbis est adhortatus. quousq; igitur huc à prima legatione reuersi sumus, me certe uiri Athenienses, ꝙ corruptus fuisset & se diuendididisset, latuit. præter nanq; alia uerba, quæ prius dixerat, quem sermonem uobis retuli in priori ex illis concionibus dum surrexisset, in quibus de pace deliberabatis, exordiũ sumpsit, quod ego uobis eisdẽ, ut puto syllabis, quibus iste usus fuit, commemorabo. si uel lõgissimo aiebat, tempore cogitasset Philocrates, quá nam optima ratione paci aduersaretur, eum meliorem non puto inuenturum fuisse, ꝗ̃ ea scribendo quæ decreuit. Ego enim hanc pacem, quousq; uel unus ex Atheniensibus superſit, nũquam contrahi ciuitati consulerem. Verumtamen aio pacem fieri oportere, atque istiusmodi breuia dixit & moderata uerba: cumq́; ista in priori uobis omnibus audientibus dixisset, in posteriori concione, (in qua pacem firmari necesse erat, cum ego sociorum scitum defenderem, & pacem, ut æquabilis & iusta esset, procurarem, eaq́; uos admitteretis, neq; uocem despicatissimi Philocratis sustinere uelletis) dum is stetisset, concionem habuit, illumq́; his uerbis defendit, quæ multis ô Iupiter reliquiq; uos Dij, supplicijs digna existunt. Quòd. s. neq; maiorum uestrorum meminisse deberetis, neq; eos, qui trium

phos

phos & nauales pugnas recitarent, audiretis, uerum se legem laturum esse & decretrurum, uos memini è Græcis opem ferre debere, qui prius uobis auxilium non præstitisset, atque ista sceleratus & inuerecundus hic ipse dicere ausus fuit, astā tibus & audientibus legatis, quos à Græcia accersiueratis. tunc cum ab isto persuasi essetis, is'que nondum pretio seipsum addixisset, quemadmodnm igitur uiri Athenienses, dum uos posteriori loco ad iuramenta accipienda illum destinauissetis, & tempora subtraxerit, & res omnes publicas contaminarit, quanquam graues cum isto mihi ortæ sint inimicitiæ, dum ea propter illum prohibere uellem, q̃primum intelligetis, uerum postq̃ rursus ex hac secunda legatione, quæ pro iuramentis emissa fuerat reuersi fuimus, & cuius nunc rationes quæruntnr, neque aliquid, quod parui magni'ue esset momēti, inuenissemus eorum, quæ, dum pacem effeceratis, dicta, aut in spe proposita fuerant, sed omnibus in rebus decepti fuissemus, aliaq; his penitus contraria fecissent, ac præter ipsum decretum legationem obiuissent, iuimus in Senatum, et ista pleriq; sciunt, quæ dicturus sum. tota enim curia plebeis hominibus repleta erat. cumq; ego processissem, omnia quæ ueritatem continerent ad Senatum retuli, hosq; reprehendi, et à prima illa rerum sperandarū propositione uniuersa recensui, quas res Ctesiphon & Aristodemus uobis renunciauerant, & deinde, quando pacem feceratis, quæ iste in concione dixerit, & ad quæ ciuitatem deriuauerint, ac de reliquis dixi, quæ ab illis sunt, ista autem erant Phocenses & Pylæ, quæ, ne à uobis dimitteretis, consulebam, ne'ue q̃ ista paterentur, ferretis ac nedum rerum expectatione, expectatam

rumq́; spe atq; pollicitationibus, detineremini ut ad extremū res deuenirent, permitteretis, ac ista in animum Senatus induxi. ut concio autem coacta fuit, & in conspectu uestro oratio habenda foret, & primus inter nos omnes produsset hic Aeschines, atq; p Iouem & Deos, uidete & ad memoriā uestram reuocate, num uera dicam, quæ etenim omnes res uestras lebefactarunt, & funditus euerterunt, ista iam sunt quæ dico, ne quippe aliquid eorum, quæ in legatione gesta fuerāt, renunciaret, aut quid eorum, quæ in Senatu dicta fuerant, si altercatio subeunda esset, q̄ minime uera ego dixissem, ab illorum commemoratione omnino continuit. eiusmodi uerba protulit, quæ ita tot tantisq́; bonis repleta erant, ut uobis omnibus allectis abierit. dicebat enim se uenire persuaso Philippo, ut omnia faceret, quæ ciuitati conferrent, de rebus. s. et quæ ad Amphyctiones, & alia omnia pertinerent, ac longam uobis Orationem recitauit, quam se contra Thebanos apud Philippum habuisse dicebat, capitaq́; uobis narrauit. subducebat quoq́; ex his quæ in legatione gesserat, q̄ si per biduum triduum'ue domi mansissetis, neque expeditionem educeretis, minusq́; tumultuaremini, Thebas quidem per se ipsas obsessas, præter reliquam Bœotiam, essetis audituri. Thespias uero & Plateas instauratas, Deo pecunias redditas non à Phocensibus, sed à Thebanis, qui in Templi direptionem conspirarant, seq́; Philippum docilem fecisse ipse dicebat, q̄ non minus impie se gesserant, qui consilium dedissent, q̄ qui manibus proprijs facinus admisissent, & propterea pecunias in eius interitum publico præconio Thebanos declarasse. audireq́; se aiebat nōnullos ex Eubœensibus timen

tes & trepidantes, ꝗ urbs Philippo *familiarissima effecta esset, quoniam aiunt nos fallere uiri legati non potestis, quibus conditionibus pacem cum* Philippo *contraxeritis, neque ignoramus, ꝗ uos ei* Amphipolim *dederitis,* Philippus *uero se uobis* Eubœam *traditurum desponderit, alterius attamen rei tractationem sibi commissam dicebat, quam nondum palàm facere uolebat, ꝗ in præsentia nonnulli ex legatis ei inuiderēt, innuebat quodammodo, & significabat* Oropum, *his de rebus probabatur, & merito* Aeschines, Orator*q́; optimus esse uidebatur, & uir admirabilis, atq; admodum honorifice è suggesto descendit.* Ego *cum surrexissem, & ista me nescire aiebam, & aliqua ex his dicere tentabam, quæ ad* Senatum *retuleram.Hiq́; cum hinc inde assisterent hic* Aeschines & Philocrates *exclamabant, exturbabant me, postremo illudebant, uos ridebatis, neq; audire uolebatis, neque alia credere in animo statueratis, præter ea, quæ iste nunciasset.* Atq; per Deos, *& merito ita affecti esse mihi uidebamini. quis enim nō cōmoueretur, si tot tantaq́; bona expectaret, aut quis eum toleraret, qui ea futura non fore diceret, aut ab his acta criminaretur?* Reliqua *enim omnia existimo* propositæ *expectationi & spei tunc posteriora ducerentur, quiq́; dicendo aduersarentur, turbulenti & inuidi apparerent. hæc usq; adeo admirabilia & in utilitatem* Reipublicæ *facta fuisse uidebantur.* At *cuius gratia ista nunc priori loco ad memoriam uestram reuocaui, & eiusmodi orationes repetij? uel unius potissimum rei causa id feci uiri* Athenienses, *ne postea q̃ aliquis uestrum me dicentem audierit, & res gestas reprehendentem, eiq; graue id & nimis absurdum es-*

ſe uideatur, ac proinde admirando dicat, tunc cur iſta è ueſtigio non dicebas, & cur nos non admonebas? Veruntamen recordemini, quæ iſti ſpoponderant, quasq; pollicitationes in quaq; occaſione faciebant, ob quas cæteros, ne orationem haberent, excludebant, hancq; huius præclaram renũciationem conſideretis, q; præter reliqua omnia, ea etiam in re iniuria ab iſto affecti eſtis, quoniam uera pro rei opportunitate, ac cum neceſſe erat, cognoſcere prohib ti eſtis, ſpe, circũuentione, & promiſsione decepti, ob eamq; rem uel in primis, ac cuius potiſsimum cauſa uerba feci, iſta prænarraui. ſecundo ex eo, quod illo inferius non exiſtit, ut eius animum erga Rempublicam, quando incorruptus erat, recordati, q̃ auerſus & infidus Philippo eſſet, fidem & amicitiam repente deinde contractam conſideretis. poſtmodum ſi quæcunque iſte uobis nunciauit, ſucceſſere, & quæ acta ſunt recte ſe habent, omnia pro ueritate proq; commodo Reipublicæ facta fuiſſe putetis. q; ſi omnia contra ac iſte dixit, acta fuerunt, & multã ignominiam grauiaq; pericula iſta ciuitati crearũt ob huius ſordidum quæſtum, & dum ueritatem pecunijs prodit, ipſum ſcitote commutatum fuiſſe. Volo autem (quoniam ad hos ſermones productus fui) quemadmodum res Phocenſium à uobis fuerint ademptæ primum omnium dicere. Neq; aliquem ueſtrum oportet uiri iudices, ſi ad rerum magnitudinem aſpexeritis, maiores eſſe accuſationes & criminationes iſtius authoritate putare, ſed illud perſpicere q; ſi & quemuis alium ei ordini uos præfeciſſetis, eiusq; poteſtati temporum euentum dediſſetis, deinde is ſi quidem uelut iſte noluiſſet ſeipſum hoſtibus diuendendo, uos fallere & cir-

conuenire, tantorum utiq; malorum is author esset, quanta ab isto prouenere, non enim quoniam abiectis hominibus in rebus publicis sæpe uos utimini, icc1rco & res ipsæ sunt abiectæ, quibus apud cæteras gentes ciuitas uel maxima existimatione pollet, quinimmo id multum abest. Proinde Phocenses reor Philippus euertit. at hi administri fuerunt. illud iam considerare oportet, & prospicere, num quæcunq; ad Phocensium salutem pertinerent, quæ in legationem uenerunt, ea omnia isti perdiderunt, & ultro inquinarint: non quod is per se Phocenses euerterit. Vnde id esse possit? da mihi Senatusconsultum, quod ad renunciationem meam sanxit Senatus, eiusq; testimonium, qui tunc illud rogarat, ut cernatis, quod ego cum tunc non tacuerim, nunc alienus sim ab his, quæ gesta fuere, uerum quod eo tempore reprehendi & longe ante uidi quæ erant euentura. Senatus quippe cum non impeditus fuerit, ne uera ex me audiret, neq; hos laudauit, neq; ad epulum conuocandos duxit. atqui id ab urbe condita nemo inquiet, aliquos legatos passos fuisse, sed ne Timagoram quidem, quem populus morte damnauit, uerum tum isti id pertulere. Recita ipsis testimonium, in primis, deinde Senatusconsultum. TESTIFICATIO, SENATVSCONSVLTVM. *Hic nulla laudatio legatorum, neq; ad epulum conuocatio extat, ab Senatu facta; quod si is dicat, id factum fuisse, ostendat, & exhibeat, atq; ego descendo, uerum nihil actum fuit. Si itaq; eadem omnes qui in legatione eramus, egeramus, iure neminem laudauit Senatus. indigna enim (ut uera fateamur) ab omnibus acta fuerant. quod si alij ex nobis, iusta, alij econtrario fecerunt, propter eos qui praui fuerunt.*

probis (ut apparet) contigit ut eiusmodi ignominiæ participes essent, quo'nam modo itaq; omnes facile scire poteritis, qs malus existat? quæso, redite in memoriam, quis ab initio gestorũ sit constitutus accusator. patet etenim, q, ei, qui peccasset, tacere satis erat, & ubi præsentem occasionem euitasset, non amplius in sermonem de factis seipsum constituere sufficeret, atqui nullius criminis est conscius, si taceat, silentio ipso prauis & indignis actionibus communicasse uidetur. primus igitur ego istarum rerum delator fui, ac earum rerum nullus me accusauit. Senatus itaque ista ante decreuerat, concio uero cum cogeretur, & Philippus iam Pylis adesset, (hæc enim erat uel maxima cæterarum culpa, q, Philippus si is rebus superuenturus esset, & cum uos, quid agendum esset, audire oporteret, deinde deliberare, ac postea quod uisum fuisset, executioni demandare, simul & uos audiretis & ille adesset, neque facile dictu foret, quid facere oporteret. Ad hæc præterea nemo decretum ante à Senatu factum populo legerat, neq; populus illud intellexerat.) is autem cum surrexisset, ea concionatus fuit, quæ pauloante ego uobis explicaui, multa scilicet magnaq; bona, quæ à Philippo se impetrasse aiebat, prouentura, ac propterea Thebanos in eius interitum publico præconio pecunias declarasse, ita ut uos aduentu Philippi primũ perterriti, & his cũ succensuissetis q, id non annunciarant, uel quouis alio mitiores euaseritis, dum expectaretis ea omnia, quæ desiderabatis, euentura fore. Atqui ne uocem quidem meam ferre poteratis alterius'ue cuiusquã. post quæ Philippi epistola recitabatur, quam is scripserat, cum nos assectatus nõ fuisset, quæ expres-

ſa quædam & manifeſta uidebatur defenſio pro eis conſcripta, quæ ab his perperam geſta fuerant. Nanq; ipſe eos retinuerat ne ad urbes ſe conferrent, ut iuramenta acciperent, continebat, quódq;, ut ei Alenſes erga Pharſalios conciliauerit, ipſos detinuerat, & omnia in ſe ſuſcipiebat, atq; ſibi aſcribebat iſtorum flagitia. De Phocenſibus autem uel Theſpienſibus, de'ue his, quæ iſte uobis retulerat, ne minimũ quidem dicebatur, idq; non temere per eum modum actum fuit, uerum his de rebus, pro quibus uos pœnam ab iſtis ſumpturi eratis ꝙ illa non geſſiſſent, minimeq; procuraſſent, quæ illis mandaueratis ex rogatione, ille culpam ſibi attribuebat, quódq; ipſe eorum author fuiſſet, aiebat, utpote quem uos caſtigare nõ poſſetis. At q̃ dolo malo ille ab ciuitate anticipare nolebat, is renunciauit, ut ne quid conqueri, ne'ue in poſterum Philippum increpare poſſetis, cum neq; in literis ipſius, neq; in alijs aliquibus, quæ ab ipſo eſſent, hæc haberentur. Recita eis epiſtolam ipſam, quam is conſcripſit, ille uero miſit. et aduertite, ꝙ ad eum res ſe habet modum, quo illam ego explicui, lege. EPISTOLA. Literas auditis Athenienſes q̃ honeſtæ, quàmq; ſint perhumanæ, de Thebanis autem Phocenſibus'ue ſeu rebus alijs, quas iſte uobis retulit, ne tantulũ quidem, huius igitur Epiſtolæ nulla certe pars ſana exiſtit, atq; id uos uel maxime quamprimum uidebitis. Alenſes enim quos ut conciliarent, ille ait, ſe hos demoratum fuiſſe, eiuſmodi conciliationem conſecuti fuere, ut ſint exacti, eorũq; ciuitas direpta fuerit, quibus captiuis factis, dicit ſe cogitare, nunqua in re uobis rem gratam facere poſſit, cum ne animum quidem, ait, eos liberandi ſe habuiſſe. teſtatum etenim apud

uos in conspectu populi sæpe est, q. ego talentum ferens ad eos accesserim, nuncq; idem comprobabitur, iccirco ut meam largitatem obscuraret, id ipsum, suasit, ut ille in literis insereret. quod itaq; omnium maximum est, in prioribus literis perscripsit, quas nos pertulimus, dum ait, ego quidem scripsissem idq; palàm, quantis beneficijs uos essem affecturus, si aperte cognoscerem, societatem etiam mihi accessuram fore. societate uero inita, ait se nescire qua in re gratitudinem animi sui ostendere possit, neq; quid ipse spoponderit, hoc nanq; uidelicet nouerat, nisi uobis illusisset. At uero, q. is ea scripserit, recita idipsum ex has prioris Epistolæ parte, quã in manibus sume, lege. EX EPISTOLA, *Priusquam ergo pacem cõsequeretur, si societas quoq; ei accideret, se scripturum pollicetur, quanta beneficia Reipublicæ esset collaturus, ut uero utrunq; ei successit, nescire ait, quam gratiam sit relaturus. q. si uos dicatis, ipsum ea facturum, quæ illi ignominiam infamiamue non afferant, in has excusationes consurgens, & si uos quid eiusmodi dicatis, & id petere adducamini, iam sibijpsi perfugium parat. ista itaq; & pleraq; alia tunc licebat redarguere, uosq; admonere, neq; permittere, ut res dilaberentur, nisi Thespiæ, & Plateæ, ac q. Thebani pœnas luituri admodũ essent, ueritatem abstulissent. Atqui ista si uel solum audienda erant, & Respublica fallenda, recte alioqui dicebantur. q. si re uera peragi debebant, illa conticuisse expediebat. q. si eò res adductæ erant, ut neq; si id Thebani animaduertissent, quicq̃ amplius erãt habituri, quid non facta sunt? Si uero ex animaduersione, impediti fuerint, quis illud prædicauit? non ne iste? Verum neq; id futu-*

rum erat, neq; uoluit ista, neq; is sperauit, ita ut prædicationis neq; culpam sustineat, sed his sermonibus uos circũueniri necesse erat, ueritatemq; uerborum meorum minime audire uelle, uosq; ipsos intra urbem manere, eiusmodiq; rogationem superiorem esse, per quam Phocenses euerterentur, ob id ista diuulgabat, ob id in concione iactabat. Nunc itaque tunc talia tantaq; promittentem ego cum audirem, & exacte noscerem ꝙ ementiretur, ac quo pacto, id uobis exponam. in primis quidem, quoniam cum Philippus iuramenta pacis subiturus esset, Phocenses ab his exclusi esse fuerant declarati, quod silendum prætereundumq; probabiliter erat, si futurum esset, ut seruarentur. Deinde, quia Philippi legati de ea re ne uerbum quidem fecerũt, neque Philippi literæ, uerum cum hunc ex istis coniectura assequerer, erectus aduersus ea dicere tentabã, dũq; aures præstare nolebatis, obmutui illud dumtaxat testatus, atq; per Iouem & Deos recordamini, ꝙ ista neq; nossem, neq; particeps essem. adieci quoq; ꝙ ea non expectabam. cumq; uos eo uerbo non expectanti, turbaremini. Videte inquam siquid eorum uiri Athenienses fiat, hos ut laudetis, & honestetis, & corona etiam donetis, me uero minime, ac nihilominus siquid contra euenerit, ut his indignemini, ego quidem me deonero, hic Aeschines subijciendo non dixit, ne te nunc deoneres, uerum ut tunc, tibi hæc arroges, per Iouem inquam, iniurius essem. cum admodum contumeliose surrexisset Philocrates, nihil est inquit uiri Athenienses admirandum, si non eadem mihi & Demostheni uidentur, hic enim aquam, ego uinum bibo, ac uos uidebatis, considerate quæso decretum quod postea rogandum Philocrates tradidit.

illud enim siquis ad eum modum audiat, commendandum apparet. q; si temporum rationes subduxerit, quibus rogatum extitit, ac quæ istæ tunc spoponderat, nihil aliud esse uidebuntur, q̃ q; Phocenses Philippo & Thebanis tradant, nisi, q; non manibus post terga reuinctis. recita decretum. DECRETVM, Videtis uiri Athenienses hoc decretum quot laudationibus, ac etiã quàm faustis uerbis sit repletum ut pax eadem, quæ cum Philippo sit, & ad posteros pertineat, itidemq; & societas, Philippumq; laudandum fore, q; iusta alioquin se facturum promittat, uerum nihil ille promiserat, quinimmo uel ita summe aberat à pollicitatione, ut nescire certe dicat qua in re uobis gratificari possit, at is erat, qui pro eo loquebatur et pollicebatur. ad ea autem uerba quæ ab isto dicebantur, cum uos propensos accepisset Philocrates, ad hoc decretum ascribit, q; si Phocenses ea, quæ necesse fuerit, non egerint, & Templum Amphictyonibus non reddiderint, populus Atheniensis aduersus eos exercitum educat, qui ea fieri uetuerint, ergo uiri Athenienses, cum uos domi maneretis, egressiq; minime fuissetis, Lacedæmoniiq; discessissent, eamq; fraudem præsensissent, cum & quisquam alius ex Amphictyonibus non adesset præter Thessalos & Thebanos, Dij meliora, uiros, his Templum restituendum tulit, cum Amphictyonibus reddendum tulisset, quibus? ibi enim alij nõ aderant. præterquam Thebani et Thessali, neq; scripsit Amphictyonas conuocandos fore, neq; eò usq; expectandum, donec conuenissent, neq; ut Proxenus pro Phocensibus expeditionem faceret, neq; q; Athenienses exirent, neq; quicquam eiusmodi. Atqui binas literas miserat

Philippus, quæ uos inuitabant, non ut exiretis. nequaquam. nunquam enim per ea tempora, quæ ille absumebat, & per quæ uos exire potuissetis, tunc uos euocasset, neq; me usq;, cum huc nauigare uellem, prohibuisset, neque ut quicquam eiusmodi diceret, huic mandauisset, ex quo uos minime egressuri essetis, sed ut quæcunq; uelletis, rati id illum perfecturum, nihil quod ipsi esset contrarium decerneretis, neq; se tuerētur, neq; resisterent Phocenses spe opis uestræ adducti, sed omnes desperati seipsos traderent. recita ipsis literas ipsas Philippi. LITERAE, Hæ igitur literæ ipsæ inuitāt: iam quidem, & per Iouem, istis autem, si modo quid earum rerum sine dolo continebatur, quid aliud par erat ut fieret, quàm consentire, ut uos exiretis, & Proxeno, quem circum ea loca esse nouerant, ut scriberetis, quamprimum copias educeret. omnia itaq; his contraria fecisse uidentur, & merito. non enim ad ea, quæ scribebat mentem adhibebant, sed eorum, quæ animo agitabat, dum ista conscriberet, conscij erant. in his igitur administri fuerant, hisq; operam nauabant. Phocenses itaq; posteaquam ea, quæ à uobis in cōcione acta fuerāt, audierunt, & decretum istud Philocratis in manus sumpserunt, huiusq; pollicitationem intellexerunt, atq; promissa, undelibet periere. Aduertite quæso, nonnulli ibi aderant, qui Philippo diffiderent, & mentis quidem compotes erant, hi ut ei fidem præstarent, adducti fuere, quid ita? quia rebantur, etiam si decies Philippus eos decepisset, nunquam Atheniensium legatos Athenienses ipsos fallere ausuros, uerum enim ea uera eē, quæ is uobis retulerat, quodq; Thebanis nō ipsis calamitas impenderet. Erant & quidam alij, qui arbitrabantur

quoduis subeundum periculum fore, ac propugnandum esse, sed et hos illud placauit, q Philippum ab eis stare, persuasi essent, quodq; nisi ea fecissent, uos aduersus ipsos profecturi essetis, quos eis auxilium laturos, illi sperauerant. sed & alij uos pœnituisse putabant, utpote qui pacem cum Philippo feceratis. ad hæc præterea, q eam & ad posteros pertinere decreueratis, ostenderunt, ita ut omnia quæ à uobis expectabant, prorsus desperarent. iccirco ea cuncta in unum decretum isti congessere, quo uel maxime omnium uos detrimento affecisse mihi uidentur. Cum homine enim mortali, quiq; pro rerum occasione uires haberet, pacem immortalem promulgasse, infamiamq; ciuitati inussisse, eamq; beneficijs priuasse, quæ non solum ab alijs, sed & quæ à fortuna expectabat, & tam grandi improbitate usos fuisse, ut non modo, qui uiuant, Athenienses, sed & qui futuris seculis, uenturi essent, iniuria affecerint, qui omnium grauissimum esse non potest? hoc itaq; nunquam uos passi fuissetis, ut posterius ad pacem adijceretur uidelicet, q & ad posteros pertineret, nisi promissionibus ab Aeschine factis tunc credidissetis, quibus Phocenses cum fidem præstitissent, funditus euersi fuere. Etenim cum se ipsos Philippo tradidissent, & in illius manibus urbes collocassent, omnia contraria his, quæ iste uobis renunciauit, nacti fuere. ut uero aperte cernatis, q hæc ad eum modum & istis authoribus intercidere, tempora uobis ad calculos reuocabo, quibus singula quæque gesta fuerint, qua in re si quis ex his aduersari uoluerit, consurgat, & in mea clepsydra loquatur. Pax igitur facta fuit XIII. KL. Martij. Nos autem iter confecimus ad iuramenta accipiēda treis

integros menses, ac per id omne tempus Phocenses incolu- mes erant. huc à legatione iuramentorum reuersi fuimus idi- bus Maij. iamq́; in Pylis Philippus aderat, idq́; Phocẽsibus nunciabatur, quorum nihil illi credebant. argumento est, quod ad nos huc minime uenissent. Concio post hæc, in qua res o- mnes isti (dum uos fallerent et deciperent) perdidere. X V I. K L. Iunij, coacta fuit. ab hac igitur quintam computo diem, qua illa apud uos de Phocensibus tractata fuere. hic enim Phocensium legati aderant, iiq́; curiosi erant, & quid isti re- nuciarent, & quid uos decerneretis, ut sciscitarentur. Vigesi- ma igitur ea erat dies, qua statuimus, Phocenses ad ea audien dum, quæ decreueramus, admitti debere, à sexta porro die præcedenti in hanc usq;, quinq; sunt dies. sequentes itaq; sunt. XI. X & IX. KL. quibus fœdera acta fuere, & omnes eorum res interciderunt, & transactæ fuerunt. quomo do id palàm fit? V. K L. uos in Piræo de re nauali con- cionabamini, uenit autem Dercyllus ex Chalcide et uobis re- tulit, quod res omnes in manibus Thebanorũ Philippus constitue rat, & quintam esse eam diem subducebat, ex quo fœdera san cita fuerãt. IX. igitur VIII. VII. VI. V. K L. id accidit, ut in eã quintam diem incideret. per ea itaq; tẽpora, quibus renunciationes habuerunt, quibus rogationes tulerũt, per ea omnia Philippo adiutores, exitijq́; Phocensium unà authores fuisse coarguuntur. Ad hæc præterea, nullam ex Phocensium ciuitatibus obsidione captam fuisse, neq; ex uio- lenta oppugnatione, sed ex eo quod paruerunt, omnes funditus euersas esse, maximo indicio est, quod cum hi eis persuasissent, à Philippo seruandos fore, ista pertulerint, neq; enim illum

ignorabant. Affer iam mihi & Phocensium societatem, placitaq́;, per quæ eorum mœnia excidit ut noscatis, quæ pacta à uobis eis constarent, quæ per istos Dijs inimicos fuerint consequuti. lege, SOCIETAS ATHENIENSIVM & PHOCENSIVM. Quæ enim à uobis eis aderant hæc sunt, amicitia, societas, auxilium. At quæ per hūc qui uos ne opem ferretis, impedimēto fuit, nacti fuerint, audietis. dic. PACTIO PHILIPPI & PHOCENSIVM. Auditis uiri Athenienses, pactio Philippi & Phocensium, ait, nō Thebanorum & Phocensium, neq; Thessalorū et Phocēsium, neq; Locrorum neq; alicuius alterius ex eis qui aderant, atq; rursus Phocenses ait ciuitates tradere debere Philippo, non Thebanis, non Thessalis, neq; cuiq̄ alteri. quā ob rem? q̃ Philippus ab isto uobis coràm nunciatus fuerat, q̃ Phocensium saluti præsto futurus erat, huic iam omnia credebant, & ad hunc omnia dirigebant, in hunc intuiti pacem faciebant. recita & reliqua, & cogitetis, quid cum crediderint, quid fuerint perpesſi, nunquid similia, an proxima his, quæ is retulit. profer. SCITVM AMPHICTYONVM. istis uiri Athenienses grauiora admissa non sunt, neq; maiores res in Græcia gestæ memoria uestra, existimo, neque superioribus temporibus, tantarum tamen taliumq; rerum uir unus dominus euasit Philippus istis administris, cum adhuc Atheniensium ciuitas extaret, cui Græciæ præesse patrium erat, minimeq́;, si quid eiusmodi fieret, despicere. quónam igitur modo miseri Phocenses perierint, non ex his tātum decretis perspici potest, sed & ex rebus, quæ confectæ fuere. spectaculum horribile uiri Athe-

nienses, & miserandum, cum pauloante Delphos proficisce-bamur, necesse nobis erat ea omnia intueri, domos euersas, mœnia circuncisa, regionem iuuenibus destitutam, mulierculas autem & pusiones paucos, & senes homines miserabiles, atq; in summa, nemo quidem oratione assequi posset, quæ nuuc per ea loca calamitates existunt. uerum enim, q; hi contrariam tulerint sententiam pro uobis aduersus Thebanos, quæ de seruili iugo proposita fuerat, uos omnes ego dicere audio. quam ergo putatis uiri Athenienses maiores uestros, si reuiuescerent, suffragationem, sententiam'ue laturos fore de his, qui exitij Phocensium culpam sustinent. Ego enim arbitror, quamuis ,pprijs suis manibus saxis ipsos obruerent, se tamen puros fore existimarēt. quo enim pacto indecorũ non est, immo, si id augeri potest, turpissimum, eos, qui tunc nos seruarint, & salubre pro nobis suffragium tulerint, contraria per istos consequutos fuisse, et talia pati neglectos esse. quæ ne aliquis quidem ex Græcis unq̃ pertulit? quis itaq; earum rerum effector fuit? quis ista decipiendo induxit? non hic ipse? multis etenim in rebus uiri Athenienses aliquis Philippum ob fortunam beatum appellaret, merito tum ob id uel maxime omnium fortunatum dicere posset, in quo per Deos atque Deas alium ego non habeo, quem nominare possim, qui tempestate nostra fortunatus fuerit. ciuitates nanq; celebres cepisse & latã regionẽ sub se redegisse, atq; hæc oĩa, optabilia qdẽ ista esse opinor et illustria. quidni diceret tamen aliquis ista & à plerisq; alijs facta fuisse, uerum ille propria ei ac nulli alij ex hominibus obtigit felicitas. quæ? posteaquam in rebus agendis prauis hominibus

ei opus fuit, quòd peruersiones inuenerit, quàm uolebat. quo enim pacto isti & iure tales existimare non possent? siquidem ea, pro quibus Philippus ipse, cum tam grandia essent, eiusq; tantopere interesset, mentiri non audebat, neq; alicui epistolæ mandare, neq; aliquis, qui eius legatus esset, exposuerit, in hæc isti cū seipsos diuendidissent, uos fraudabant. Et Antipater quidem & Parmenio, cum domino suo inseruirent, neq; postea uobiscum colloquuturi essent, id tamen cō sequuti sunt, quòd opera sua uos non deciperemini. Atheniensium autem, uel maxime liberæ ciuitatis legati, qui creati fuerant, quibus uos occurrentes oculos in eos intendere, & quibuscum reliquo uitæ tempore uiuere necesse erat, & inter quos rerum administratarum rationes erant reddituri, istos fallere sustinuerunt. quo pacto his improbiores homines, aut magis arrogantes gignerentur? Vt igitur cognoscatis, quòd & is execrandus uobis est, quodq; neq; sanctum, neq; pium est, ut eum, qui talia fuerit ementitus, absoluatis. recita execrationem, & perlege, à lege sumendo. EXECRATTIO. Hæc pro uobis uiri Athenienses in unaquaq; concione præco uouet lege sancita, ac quando Senatus considit, apud eum rursus itidem facit, atq; ista, ab hoc dici non potest, quòd non bene nosset. cum nanq; uobis subscriba esset, & Senatus minister, ipse hanc ipsam legem præconi exponebat. quo igitur modo non absonum & grande facinus uos feceritis, si quæ execratione imperatis, quòd Dij potius pro uobis faciant, postuletis, ea, uos ipsi, cum id sit in potestate uestra, hodie minime faciatis? Sed quem illos obtestamini, cum ut perditum faciant, & genus, & familiam,

hunc ipsi dimittitis? Nequaquam, quicunq; nanq; uos latuerit, hunc sinite Dijs puniendum. at quem ipsi deprehenderitis, non item illis de hoc quicquam mandetis. Ad id igitur impudentiæ & temeritatis ipsum uenturum audio, quasi se ab omnibus patratis alienum faciat, quæ renunciauit, quæ promisit, quæ dolose in Rempublicam admisit, ueluti inter quosdam alios, non inter uos, qui omnia noscitis, iudicetur. primum quidem Lacedæmonios, deinde Phocenses, postea Hegesippum ut accuset. ista enim ridicula sunt, magisq́; perditam quandam audaciam sapiunt. quæcunq; enim nunc dicet de Phocensibus, uel Lacedæmonijs, aut Hegesippo, siue quod Proxenum non susceperint, uel quòd impij existant, siue quamlibet alia de re eos criminetur, omnia hæc antequam hi legati huc uenissent, acta erant, neq; erant impedimento, quominus Phocenses seruarentur. rogitas quis id ait? Aeschines hic ipse. Nanq; non quòd nisi propter Lacedæmonios, neq; quod nisi Proxenum non suscepisset, neq; quòd nisi propter Hegesippum, neq; quòd nisi ob hoc uel illud, seruati fuissent, non sic tunc referebat, sed istis omnibus omissis, Philippum persuasum expresse uenire dixit, ut Phocenses saluos faceret, Bœotiam instauraret, uobis res peculiares efficeret, ista factum iri, duorum triuḿue dierum spatio, ciccirco Thebanos ipsi pecuniam per præconem inclamauisse. Ne igitur hæc, quæ prius quàm iste renunciasset, gesta fuerant uel à Lacedæmonijs, uel à Phocensibus, audite, neq; tolerate, ńeue sinite, ut Phocenses accuset, quòd improbi fuerint. non enim Lacedæmonios ob eorum uirtutem unquam seruauistis, neq; hos detestabiles Eubœenses, alioś ue multos, sed quoniam Reipubli-

cæ expediebat, saluos esse, quemadmodum nunc Phocenses. Ac quid Phocenses peccarint, aut Lacedæmonij, seu uos, uel quiuis alius post huius orationes, quòd ea non euenerint, quæ ab isto dicta fuerant, istud rogate. ostendere enim non poterit, nam quinq; tantummodo dies intercessere, quibus iste falsa retulit. uos credidistis, Phocenses audierunt, seipsos dediderunt, perierunt. Vnde, ni fallor, & iam aperte patet, quod omnis fraus, & machinatio decomposito facta est in interitum Phocensium. quo nanq; tempore Philippus propter pacem uenire non poterat, sed erat in apparatu, Lacedæmonios accersebat, omnia ipsis facturum pollicitus, ne opera uestra ipsos sibi Phocenses asciscerent. ut uero in Pylis adfuit. Lacedæmonij uero utpote qui insidias cognouissent, recesserunt, hunc rursus præmisit, qui uos deciperet, ne dum uos iterum animaduerteretis, quòd pro Thebanis res gereret, in tempora, & bellum, & moram incideret, cum Phocenses se defenderent, uos uero opem ferretis, sed citra ullum negotium omnia in potestatem suam redigeret, quod & perfectum fuit. Non igitur, quoniam Lacedæmonios, & Phocẽses Philippus decepit, propterea earum rerum, in quibus iste uos decepit, pœnam non pendas. neq; enim iustum est. Si itaq; loco Phocensium, & Pylarum, & reliquorum locorum, quæ amissa sunt, quòd Chersonesus supersit ciuitati, dicat, per Iouem & Deos. ne admittite, ne'ue sustinete uiri Athenienses, quòd ad ea quæ ex legatione passi estis, & ex defensione ciuitati dedecus paretur, quòd uidelicet, ut priuata quædam uestra eximeretis sociorum salutem destituistis. neq; enim id fecistis, sed pace iam facta. & cum Chersone-

ſus adhuc ſalua maneret, poſtea per quatuor integros menſes Phocenſes ſalui fuere. At huius falſa renunciatio ſequenti tempore ipſos perdidit, cum uos ſeduxiſſet. Deinde etiam in præſens maiori in periculo conſtitutam Cherſoneſum inuenietis, quàm eo tempore. Vtrum enim ampliorem pœnam Philippus dediſſet, ſi qd aduerſus eam admiſiſſet, prius quàm aliquid ex his, quæ ad ciuitatem pertinent, cepiſſet. quàm in præſentiꝰ ego quidem arbitror, tunc multo latiorem. quis igitur eius eſt ſtatus, metu et periculo illius ſublato, qui ipſam iniuria afficere uelit? Præterea, & quid eiuſmodi ipſum dicturum fore audio, quòd admiratur, cur Demoſthenes ipſum accuſet. nemo autem ex Phocenſibus. ut certe res ſe habet, melius erit id à me audiatis. Phocenſes qui eiecti ſunt, alij puto, cum optimi ſint & modeſtisſimi, exiliumq́; & eiuſmodi alia cum patiantur, quiete uiuunt, neq; aliquis ex eis eligeret pro communi calamitate priuatas inimicitias ſuſcipere: alij cum nihil ſine pecunia ſint acturi, qui ipſis eam præbeat, non habent. neq; ego aliquid alicui dedi, ut hic asſiſterēt, & quæ pasſi fuerint, exclamarent. Veritas enim & res geſtæ pro eis uociferantur. At uero populus Phocenſis adeo grauiter & miſerabiliter affectus fuit, ut à quocunq; non de iudicio reddendæ rationis Athenis conſtituendo ratio habeatur, ſed ut ſeruitutem non ſubeant, & ne moriantur præ formidine Thebanorum & Philippi externorum militum, quos alere coguntur diſperſi per uicos, & armis exuti. Ne ipſum iſta dicere patiamini. ſed ut oſtendat, quòd Phocenſes non interciderint, aut quòd non promiſerit, Philippum eos ſeruaturum fore. in hoc enim legationis rationes conſiſtunt, quid actum

sit, quid retuleris, si uera, serueris, si falsa, des pœnas. quòd si Phocenses non adsint, quid tum? ita enim eos, ni fallor, tractasti quantum in te est, ut neq; amicis auxilio, neq; inimicis obstaculo esse possint. Atq; quia præter aliam turpitudinem & ignominiam, quæ res gestas comitatur, quòd & grauia ex his pericula Reipublicæ immineant facile patefiet. quis enim uestrum non nouit, quòd ob Phocense bellum, atq; ob id quòd Phocenses Pylas sub manu sua haberent, quo ad Thebanos tuti uos eratis, quodq; nunquam uenturi essent in Pelopõnesum, neq; in Eubœam, neq; in Atticam Philippus, neq; Thebani. istam tamen ab loco & rebus ipsis tutelam, quæ ciuitati nostræ supererat, horũ fraudibus, & falsis relationibus suasi uos abiecistis. cumq; armis munita foret, assiduoq; bello, & amplissimis uirorum sociorum urbibus, latissimaq; regione, è medio auferri negligenter permisistis. Atq; frustra primum subsidium ad Pylas uos emisistis, quod pluribus ducentis talentis confeceratis, si peculiares sumptus computaueritis, eorum, qui in militia fuere. uanaq; fuit spes, quam contra Thebanos conceperatis. Quod porro plurimum opprobrij (cum tamen multa & grauia sint ea, quæ iste Philippo subadministrarit) re uera Reipublicæ inflixerit, & uobis omnibus, illud à me audite. Quoniam cũ Thebanis Philippus ab initio omnia indulsisset, quæ illi facere proposuerant, is dum contraria retulisset, & uos, palàm offendisset, id minime uelle, uobis cum Thebanis maiores inimicitias, Philippo autem ampliorem gratiam creauit. quo igitur pacto, non iniquissimo homine uos usi estis? Recita decretum, sumens illud Diophanti, ac illud Callisthenis, ut uideatis, quòd quan-

do opportuna efficiebatis, sacrificijs & laudibus digni, & apud uosipsos & cæteros existimabamini. Cum uero ab his seducti fuistis, pueros & mulieres ab agris conuexistis, & Herculi sacra intra mœnia persoluenda decreuistis, cum pax extaret. quod & admiror, si eum, qui, Dij ne de more colerentur, effecit, impunitum dimiseritis. recita decretum. DECRETVM. Hæc quidem tunc digna uiri Athenienses rebus gestis decreuistis. Dic quæ sequuntur. DECRETVM. ista tunc uos decernebatis istorum causa, cum neq; ob eam spem ab initio pacem & societatem contraxissetis, neq; postea, ut ad posteros extenderetur, adscribi debere suasi fuissetis, uerum cum ab his (ueluti grandia commoda recepturi essetis) adduceremini. At uero, exinde quoties, & ad fretum, & ad Megara cum audiretis copias Philippi & externum exercitum adesse, tumultuaremini, omnes recordamini. non itaq;, quòd nondum Atticam ingressus fuerit, considerandum existit, neq; ob id segniores esse oportet. sed si istorum opera ei data sit potestas id cum noluerit faciendi, illud inspici necesse est, atque ad eam rem indignam aspicere, & authorem, ac eum, qui huiusmodi facultatem illi pararit, odisse & castigare par est. Noui igitur quòd uerba, quæ ad eius accusationem pertinent, Aeschines deuitabit, dum uos quamlongissime à rebus abducat, enarrabit, quot bona cunctis mortalibus à pace obueniant, & econtrario, quot à bello incommoda, pacisq; laudationes omnino recitabit, eiusmodiq; pro eius defensione coaceruabit. at hæc omnia accusationem in eum conficiunt. siquidem quod cæteris bono fuit, tantarum rerum, tantiq; tumultus nobis causam cum præsti-

terit. quid porro aliud id esse uideri potest, quàm q hi cum munera acceperint, illud quod natura bonum existat, praue distorserint. At qui, *non ne triremes trecentæ, earumq; apparatus, & stipendia uobis supersunt, superer untq; propter pacem? forte quis dicat. ad ea uos illud respondere debetis, quòd res* Philippi *à pace multo ampliores euasere, & armorum munitione, & locis, & uectigalibus, quæ illi sunt mirifice adaucta. accessere & uobis nonnulli quæstus. rerum uero nostrarum status & sociorum, per quem aut sibi, aut optimatibus felicitatem omnes comparauerunt, ab his diuẽditus interijt, & mancus effectus fuit. at illorum formidabilis, & multo potentior.* Verum *iustum non est, ut utrunque ei creuerit, istorum causa, & societates, & uectigalia, uobis autem quæ iure alioquin ex pace constent, ea ut pro illis, quæ hi uenundederint, computent. hæc enim illorum loco nobis non obtigerunt, sed & id multum abest. uerum ista nobis ad eum modum adfuissent, illa uero istis accessissent, nisi horum interuentu prohibitum fuisset.* Prorsusq; *uiri* Atheniẽses, *& iustum profectó quis diceret, esse, si plurima et aduersa ciuitati acciderunt, ut nullius eorum* Aeschines *in causa fuerit, in eum ira ne redundet. sicuti, siquid eorum, quæ è re sunt, per quempiam alium actum fuerit, id hunc seruare non debet. sed quorum hunc authorem fuisse aduerteritis, & gratiam, si eam mereatur, contráq; indignationem, si eiusmodi admisisse uideatur, ei rependite. quomodo igitur ista iure cognoscere poteritis? si omnia unà confundere eum non permiseritis?* Imperatorum *errata, bellum cum* Philippo *habitum, quæ à pace bona prouenerint. uerum unumquodq; per-*

se consideraueritis. exempli gratia. constabat nobis bellum cum Philippo, constabat, ea in re aliquis Aeschinem reprehendit. uult'ne quis hunc accusare ob res in bello gestas? nullus profecto. ergo quo ad eas res ipsum absoluite, ipsum'q; in ea re dicenda defatigari non conuenit. de his etenim quæ sunt in controuersia & testes præbere, & indicia ostendere reum oportet, non ea, de quibus conuenit, dolosa defensione perfundere. ne igitur de bello aliquod uerbum facias, nemo enim te bellicarum rerum accusat. Deinceps pacem nonnulli nostrum fieri suaserunt, persuasi fuimus. Legatos emisimus, huc isti duxere eos, qui pacem facerent. rursus hoc in loco quis increpat Aeschinem? dicet'ne aliquis, quòd cum is pacem suasisset, aut, cum huc, qui eam facerent, adduxisset, peccarit? nemo quidem, itaq; neq; de eo certe illi dicendum est, quòd ciuitas pacem fecerit. is enim eius rei princeps non fuit. quid igitur ais roget me aliquis, ac unde accusationis tuæ exordium sumis? Vnde uiri Athenienses cum consultaretis uos non de eo an pax facienda esset, nec'ne. id enim iam fuerat terminatum, sed inde, quæ'nam facienda erat. his enim, qui iustam alioquin rogationem tulerant, cum intercessisset, ei qui corruptus legem tulerat, assensit, muneribus acceptis. atq; exinde cum ad iuramenta accipienda delectus esset, eorum, quæ illi uos mandaueratis, nihil effecit, socios, qui belli superstites fuerant, peremit, ac tanta commentus fuit, quanta nemo unquam alius, siue superiori ætate, seu futuro tempore factu-rus existit. ab initio enim quousq; uerba facere cœpit Philippus de pace, Ctesiphon & Aristodemus primi, fraudandi exordium extulerant, postea uero quàm ad rerum nego-

ciationem deuentum fuit, Philocrati, & huic rem commiſere. hi, cum illud ſuſcepiſſent, omnia perdidere. Deinde, quoniam ipſi neceſſe eſt rationem et iudicium rerum adminiſtratarum ſubire, cum (ut arbitror) is callidus exiſtat, & Dijs inimicus, & ſcriba, quaſi ex cauſa pacis in iudicium fuerit uocatus, ſe defendet, non ut plurium, quàm quis eum accuſet, rationem reddat, inſania quippe id eſſet. ſed illud proſpicit, quòd in his, quæ ab eo geſta ſunt, nihil ineſt boni. omnia uero criminoſa ſunt. at de pace defenſio, licet nihil aliud, nomen ſaltem habet humanum. qua uereor uiri Athenienſes, uereor, ne fallamur, ſicuti qui uerſuram faciunt, cum ſpe lucri adducantur. eius enim pacis ſecuritatem & ſtabilitatem hi prodiderunt, Phocenſes ſ. & Pylas. non tamen iſto ſuadente à principio pacem fecimus. uerum abſurdum illud eſt, quod dicturus ſum, attamen admodum uerum. Nanq; ſiquis re uera pace ipſa gaudet, Imperatoribus, quos omnes accuſant, eius gratiam habere debet. ſiquidem illi, ut uos uolebatis, pugnaſſent, ne pacis quidem uerbum ferre potuiſſetis. pax itaq; illis ſuadẽtibus, periculoſa uero, & anceps, & infida iſtis impellentibus & corruptis effecta fuit. Arcete igitur, arcete ipſum à ſermonibus de pace, atq; in eos, qui res geſtas contineant, concludite. non enim ex cauſa pacis Aeſchines in iudicium adducitur, non, ſed pax ob Aeſchinem uituperatur, indicio eſt, nanq; ſi pax facta fuiſſet, multaq; poſtea in re uos fuiſſetis decepti, neq; ſociorum ꝗſquam periјſſet quemnam hominum moleſtia pax affeciſſet? præterquam quòd cũ ignominia facta fuiſſet? atq; iſtius rei is quoq; author eſſet, cum Philocrati fauerit. Veruntamen nihil quod inſanabile

foret, effectum fuisset. At nunc, ni fallor, multorum aliorum malorum causam huiusmodi sustinet. quòd itaque turpiter & inique hæc omnia ab istis perdita fuerint & coinquinata, reor uos omnes cognoscere. Ego uiri iudices tantum absum, ut rebus calumniam uel à uobis id fieri postulem, ut si ista ex insipientia, aut credulitate, siue ob aliam quandam ignorationem ad hunc modum peracta fuere, & ego Aeschinem absoluam, et uobis, ut absoluatis, suadeam. At qui istarum excusationum nulla urbana est, siue legitima. nulli enim uos imperatis, ut publica contrectent, neq; quenquam compellitis, sed ut aliquis in animum suum induxerit se ualere, atque prodierit, proborum & benignorum hominum munus obeuntes beneuole recipitis neque cum aliqua offensione, sed & eum suffragijs designatis, ac res uestras illi committitis. si itaque alicui recte res cesserit, is cohonestabitur, ob idq; maiora quàm cæteri commoda assequetur. quòd si ei id non successerit, aliqua re obtendet, & prætexet? at iustum illud non esset. neque enim qui perditi fuere, socijs satis esset, neque pueris, neque mulieribus, neq; reliquis, ut meam propter stupiditatem, ne dicam istius, eiusmodi passi fuissent. imo uero id longe abest. Attamen uos Aeschini ista tam grauia tamq; immoderata condonate, si ea ob infirmitatem ingenij, aliam'ue quandam ignorantiam constuprasse uideatur. Verum enim si ex mentis prauitate pecuniam et munera accepisse, idq; à rebus ipsis aperte coarguatur, eum, quoad per leges liceat uel maxime interficite. quòd si id fieri nequeat, facite, ut eius uita cæteris sit exemplo. expendite quæso istis de rebus rationem, quàm iusta apud uos futura sit.

necesse etenim est, quòd huiusmodi uerba Aeschines iste dicat in conspectu uestro de Phocensibus scilicet & Thespiensibus, ac Euboea. nisi, cum se uenundedisset, de industria fraudauerit, duorum alterum ut existat, aut quòd palàm promittentem Philippum audierit ista se facturum & curaturum, uel si id non ita habeat, præstigijs, atque inter cætera comitatis seductionibus adductum fuisse, ista cum ab eo expectaret. præter has duas nulla alia ratio superest. ex eis itaque ambabus uel supra reliquos mortales ipsi Philippum odisse conuenit. quid ita? quia quantum in illo fuit, omnia ab eo nequissima, & inhonestissima euenere. Vos seduxit, infamia affectus est, dignus, ut iam perierit, iudicatur. atq; siquid, quod ad ea crimina accederet, factũ fuisset, id iandiu in accusationem deriuatum foret. nunc autem propter uestram mansuetudinem, & bonitatem, rationes reddit, atque eas quando uelit. Est'ne igitur aliquis uestrum, qui uocem Aeschinis Philippum damnantis audierit? aut hunc aliqua in re redarguentem, aut quid dicentem uiderit? nemo. primum enim uniuersi Athenienses uituperant Philippum, & quicunq; semper ex his, qui aliqua priuata iniuria ab eo quippe fuerint affecti. ego illa ab ipso uerba desiderabam, nisi seipsum uenalem fecisset. Viri Athenienses, me, ut uultis, tractate, fidem sequutus fui, deceptus sum, peccaui, fateor. Hominem uiri Athenienses obseruate, infidus. Veterator prauus est. non'ne cernitis quo pacto me affecerit? quo pacto me circumuenerit? nullam quidem istorum uerborum ego audio, sed & neque uos. quid ita? quoniam non seductus, neque deceptus, sed cum se mercenarium effecisset, & pecuniam sumpsisset, ista

dixit atq; illi tradidit, pulcherq; & honestus ac iustus operarius illi effectus fuit, legatus tamen & ciuis uester cũ esset, proditor euasit, dignusq; ut ter non semel perierit. non tantum itaq; ex his conuincitur, q argento compulsus ea omnia dixerit. uerum ad uos pauloante Thessali uenere unaq; cum eis Philippi legati, à uobisq; petebant, ut Philippum Amphictyonem decerneretis. cui igitur uel maxime præ omnibus hominibus, istid refragari conueniens erat? huic Aeschini, quamobrem? quia his quæ iste renunciarat in præsentia uestra, contraria ille effecerat. is enim aiebat Thespias, et Platæas ipsum muro circulaturum, & Phocenses non perditurum, Thebanorumque insolentiam pro nobis depressurum, iste profecto Thebanos maiores q̃ conuenit, effecit, Phocenses quidem funditus destruxit, Thespiasq; & Platæas minime muro muniuit. Ochomenum uero & Coroneiam depopulatus fuit, quonam modo istis pugnantiora inter se reperiri possent facta fuisse, non itaque aduersatus fuit, neque os aperuit, neque quicquam aduersus ista loquutus extitit. Atque istud nõdum censetur indignũ, cum tamen tam grãde existat, sed et solus ex omnibus ciuibus patrocinium impendit. Atqui id ne Philocrates quidem, scelestus cum sit, facere ausus fuisset, uerum is Aeschines id ueritus non fuit. Vosque cum tumultuaremini, neque ipsum audire uelletis, & à suggesto descendisset, atque his, qui à Philippo aderant, legatis se ostentaret, multos aiebat tumultuantes adesse, paucos uero cum oporteret, militantes, recordamini quippe, ipse arbitror q̃ admirandus miles ô Iupiter existat. Præterea quoque si nullum ex legatis haberemus, quem nihil habere ostendere pos-

ſemus, neque fieri poſſet, ut omnes probationes & alia eiuſmodi perſpicerent, reliquum eſſet, ut conſideratione rem per ſe quæ Philocrates nõ ſolum curam uobis ad populum ſæpenumero extulerint, & uobis ſignificauerint, q; triticum mercatus fuerit, domos ædificarit, ſe profecturum dixerit, etiam ſi id uos non decerneretis, ligna conuexerit, aurum'que palàm in menſis nummulariorum permutarit. neq; enim dici poteſt, q; is aurum non acceperit, cum ipſe id fateatur, & palàm faciat. Eſt'ne itaque aliquis ex hominibus ita demens et inſanus, qui, ut Philocrates numera accipiat, ipſe ignominia & periculo affici uelit, cum ei liceret unà cum his, qui nihil deliquerint, exquiri, his tamen aduerſari, & illum dum comitetur, reum in iudicio agere malit? Ego certe neminem fore puto, uerum hæc omnia, ſi recto iudicio perpendere uolueritis, inuenietis uiri Athenienſes magna et patẽtia ſigna eſſe, q; is nũmos acceperit. Quod tamen poſtremo loco factũ fuit, nihil minus eſt argumenti, q; iſte Pilippo ſeipſum uendiderit, ut uidebitis. noſtis nempe, q; cum nuper Hyperides Philocratem detuliſſet, ego proceſsi, & dixi, uel una in ea accuſatione me perturbari, q; ſolus Philocrates tot tantorum'que criminum culpæ reus fieret, reliqui uero nouem legati nullius rei accuſarentur, negabamq; id ita ſe habere, nuſquam enim ille per ſe ſolus uiſus fuiſſet, niſi aliquos ex his adiutores habuiſſet. ne itaque ego quenquam abſoluam aut condemnem dixi, ſed res ipſa eos, qui deliquerint inueniat: qui uero eius rei participes non fuerint dimittat, conſurgat qui uelit, & prodeat in conſpectum ueſtrũ, oſtendat'que ſe eſſe immunem. eiq; non placere quæ à Philocrate acta ſunt, eumq; qui illud

fecisset, ista dixi ego quidem remitto, atque ut puto memores estis, q nullus uenit in medium, neque se uindicauit, ac cæteris quibusq; aliqua quidem adest excusatio, is certe, q rationibus reddendis obnoxius non esset, ille q forte præsens non fuerat, illi q gener illic adesset, at huic nihil eiusmodi attribui potest, uerum enim ita uel semel seipsum mancipauit, ac non solum præteritarum rerum mercedem accepit, sed & deinde ostendit q si ad præsens euadat aduersus uos ab illo stare uelit, ita, ut ne ullum uerbum aduersus Philippum pferat, etiam si ipsum uos absoluatis, neque se ipse uelit absoluere, quinimmo infamia notari, in iudicium trahi, quodcunq; à uobis potius perpeti delegat, q̃ aliquid agat, quod Philippo cordi non sit. At qui quæ communio, quæ'ue ista tam multa pro Philocrate anxietas, qui si honestissime & cum summa Reipublicæ utilitate legationem egisset, cum ex legatione pecuniam se reportasse fateatur, quemadmodum fatetur hoc ipsum uitasse & præcauisse, id'que per se testatum facere debebat ille qui gratis legationem obiisset. Non itaque id fecit Aeschines. ista non sunt iam aperta uiri Athe. ista non exclamant & dicunt, q Aeschines pecuniam acceperit? quodq; continua animi deprauatione ob argentum laborat, non propter stupiditatem, non propter ignorationem, neq; ppter errationem. Atque quis aduersus me testatur inquit, q munera acceperim? id enim q̃ præclare abs te dicetur, res ô Aeschines ipse testantur, quæ maiorem fidem q̃ cætera merentur, quas quis dicere causari'ue non potest, q, quoniam uel ita persuasæ sint, aut ut cui gratificentur, eiusmodi existant. Sed quales tu, cum prodideris easq; inquinaris, effecisti, tales ipsæ

cum in disquisitionem ueniunt, apparent. Ad res præterea ipsas, mox tu quoq; ipse aduersus teipsum testimonium feres, hic itaque consurgas & mihi respondeas. neque enim dices, quoniam inexercitatus cum sis, non habeas quid dicas, utpote qui nouas controuersias quasi fabulas, easq; testibus carentes accusatorio iudicio ad integram diem institueris. patet itaque, q; sis eloquentissimus. Multa ergo & indigna ea cum sint quæ ab hoc Aeschine acta fuere, multam'que nequitiam contineant ut et uobis id uideri arbitror, nullum tamen est illo quod dicturus sum, sicuti ego reor, grauius, neq; quod magis ipsum uel in ipsa munerum corruptela deprehensum, ac omnia inundinatum coarguat, postea enim q̃ iterum et tertio legatos ad Philippum emittere decreuissetis, ob eas pulchras, & grãdes expectationes, quas iste spoponderat, hũcq; & me designauissetis, ac ad idipsum & plures alios, ego quippe cum præcessissem in medium, cõtinuo eiuraui, & cum nonnulli tumultuarentur, & peterent ut ego proficiscerer, dixi, me abire non posse, is porro confirmatus fuit. ut uero concio surrexit, hi congressi deliberabant, quem'nam ibi relinquerent, cum res suspensæ essent, & quod futurum foret, incertum esset. Conuenticula, & sermones uarij tunc per forum habebantur, timebant iam, ne de repente concio indiceretur, deinde cum uos à me uera disceretis aliquid quod ad cõmodum Phocensiũ cederet ne decerneretis & res Philippum effugerent, si etenim uel quid solum statuissetis, & aliquam mediocrem spem eis prætulissetis, seruati fuissent. non enim fieri poterat, non poterat, ut, si uobis uerba data non fuissent, aliquid Philippo reliquum esset. neque enim frumentum

in regione suppetebat, cum seminata propter bellum non fuisset, neq; aliunde id conuehi poterat, cum ibi triremes uestræ adessent, & mari dominarentur, ciuitatesq; Phocensium multæ & captu difficiles forent. præterq̃ temporis diuturnitate & obsidione. Nam si singulo quoq; die ciuitatem cepisset, duæ & uiginti sunt numero. Ob ea uero omnia ne quid ex eis commutaretis, in quibus decepti fueratis, hunc ibi dimiserũt, etenim si eiurasset sine aliqua causa id ferendũ nõ fuisset & magnam suspitionem generasset. Quid ais? ad tot tantaq; bona, cum illa retulisses non proficisceris, neq; legatum agis? remanere oportebat. obtẽdit itaq; quodammodo ægrotare. & cum frater eius medicum Execestum conduxisset, & ad Senatum accederet, iureiurando eum excusauit, & ipse creatus fuit. postq̃ autem Phocenses quinque aut sex diebus post concidissent, & conductio huic sicut quicpiam aliud finem consequuta esset, ac Dercyllus huc ex Chalcide reuertisset, uobisq; in Pyræo concionem habentibus renunciasset, q̃ Phocenses perierant, uosq; uiri Athenienses ista cum audissetis, illisq; & merito irasceremini, & ipsi obstupesceretis, pueros q; ac mulieres ex agris conuehendos decreuissetis oppidaq; muniri, & Piræum muro circũdari ac Herculea sacra intra urbem peragenda esse, postea quàm itaque ea ita se haberẽt ac tantus tumultus successisset, tantaq; trepidatio ciuitatẽ circunstaret, tunc eloquens, ac sapiens iste & beneuocalis, neq; Senatu neq; populo eum designante, in legationem profectus fuit ad eum, qui ista commiserat, neq; ægritudinis, ob quam tunc eiurauerat, ratione habita, neq; q̃ alius eius loco legatus fuerat designatus, neque q̃ pro eiusmodi rebus lex

mortis pœnam imponat, neque eius, quod omnium est grauissimum, q; is, qui nunciasset, sibi Thebis pecuniam inclamatam fuisse, postquam Thebani, ultra q; uniuersam Bœotiam iam essent consequuti, & Phocensium ora potiti fuerant, eo tempore per medias Thebas Thebanorumq; copias iuerit, uerum ita furebat & adeo præ quæstu & largitione exultabat, ut cum omnia deleuisset, & contempsisset, abierit, cumq; res hæ ita affectæ essent, multo insuper indigniores sunt, quas cum eo petijsset, effecit. Nā cum uos omnes, qui hic adestis, cæteriq; Athenienses, usq; adeo ea grauia & calamitosa esse putaretis, quæ Phocenses perpessi fuerant, ut è Senatu aliquos non emiseritis ad uisitandum & sacra custodiendum ludis Pythijs, uerum à patrio uisitandi rito destiteritis, hic rerum ac belli triumphis, quos Thebani & Philippus dedicabant, permixtus epulabatur, libamentorumq; & supplicationum particeeps rat, quas pro sociorum uestrorum muris, & locis & armis perditis, ille nuncupabat, & pariter corona donabatur, laudationesq; unà cum Philippo cauebat, & beneuolentiæ poculo propinabat. neq; ista cum ad hunc modum à me dicta sint, aliter ab hoc dici possunt. sed de eiuratione, ex publicis codicibus uestris qui sunt in Tēplo Matris, ista patent, quibus libris publicus minister præfectus existit. Decretum quoq; de huius nomine est inscriptum. De his porro, quæ illic iste peregit, qui ei in legatione collegæ & præsentes fuere, testimonium ferent, qui certe ista mihi narrarūt, neq; ego cum illis legatus fui, sed eiurauerам. atque mihi recita decretū. Acta publica, & testes euoca. DECRETVM, ACTA PVBLICA, TESTES. Quæ

nam

nam itaque uota Deis nuncupasse Philippum suspicamini cũ libabat, aut Thebanos ipsos? non'ne ut in bello robur & uictoriam eis & socijs præstarent, contrariaq́; Phocensibus? ergo ista unà is uouebat & execrabatur aduersus patriam, quæ nunc par est, ut in eius caput uertatis. Abijt itaq; præter legem, quæ pro ea re mortis pœnam imponit. & illuc cum se contulisset, alia alijs supplicijs digna commisisse uisus fuit, quæ etenim antea patrauerat, & in legatione pro his gesserat, iuste alioquin ei uitam adimere deberent. expendite quæso, qui cruciatus futurus sit, qui ita condignus existat, ut tantis pro sceleribus debitus censeri possit. qui enim indecorum non est uiri Athenienses, communiter quidem uos omnes, uniuersumq́; populum his omnibus de rebus, quæ à pace sunt, indignari, neque eorum, quæ inter Amphictyones agun tur, participes esse uelle, grauiq́; & suspicioso animo in Phi lippum esse, utpote quoniam, impietatis & molestiæ quæ ge sta fuere, repleta existant, neque æquitate nitantur, uobisq́; minus conducant. cum autem forum ingrediamini rationes his de rebus disquisituri, sacramentumq́; pro Republica præstiteritis, malorum omnium authorem, & quem ista admisisse in ipso crimine deprehenderitis, hunc dimittatis? Atque quis non iure uobis uitio uertat ex reliquis ciuibus, immo uero ex uniuersa Græcia, cum uideat uos Philippo iratos esse (qui, cum pacem ex bello conflarit, rerum occasionem à uenalitijs fuerit mercatus, rem multa uenia dignam peragendo) eum uero impunitum relinquere? qui res uestras ita perdite prodiderit, cum leges extrema alioquin supplicia illi, qui ista fecisset, præscripserint. Ab istis forte eiusmodi

quoque ratio efferetur, q, illud inimicitiarum cum Philippo futurum sit principium, si eos, qui per legationem pacem con traxerunt, damnaueritis. Ego quidem, si id re uera ita se ha bet, cogitatione assequi non possum, quid magis quàm hoc accusare debeam? si quidem is, qui, ut pacem consequeretur, pecunias insumpserit, in præsenti adeo formidolosus & po- tens euasit, ut sacramento & iustitia contemptis uos iã qua in re gratificari Philippo possitis, cogitetis, neque earum rerum machinatores quo supplicio affecti congruentem pœ- nam sint luituri considerare uelitis. Enimuero q, id amicitiæ initium, quæ uobis proficiat, uerisimile potius futurum sit, illud ni fallor ostendam. Hoc enim probe sciendum est, quòd Philippus ciuitatem uestram non despicit uiri Athenienses. Neque, q, uos magis quàm Thebanos contẽnendos duxerit, illos potius quàm uos amplexari uoluerit, uerum ab his per- didicit, eaq; intellexit, quæ & antea ego uobis in conspectu populi dixi, ac nemo ex his aduersatus fuit, q, populus tur- ba quædam est, & res præter cæteras summe uolubilis & imprudẽtissima, sicuti fluctus maris, q ut i cœlli cõtigerit, fluit refluitq;, sic alius uenit, alius abijt, ac nemo ẽ q rerũ publica- rũ curã gerat, at ne eas qdẽ recordatur. qđq; aliquos ei ami- cos adesse oporteat, qui singulaq; quæ p eo apud hos pertra ctent, eaq; ut ipsi libuerit, disponant. quod si ei id paratum existat, quodcunque à uobis consequi uoluerit, id facile confe ctum iri. si itaq; audiuisset arbitror illos, qui tunc apud ipsum ista dixissent, è uestigio ut huc reuersi fuere, securi percus- sos, id ipsum quod Rex effecisset. quid porro fuit, quod Rex egit? cum à Timagora deceptus fuisset, eiq; (ut fertur)

XL. *talenta largitus esset, posteaquam resciuit ipsum uestris sententijs mortuum fuisse, & ne uiuendi quidem facultatem sibi confirmare potuisse, ne dum ea, quæ tunc illi spoponderat, peregisse, agnouit, se huic honorem detulisse, qui res in potestate sua non haberet. etenim* Amphipolim *primum uobis rursus sub seruili iugo dedit, quam tunc sibi sociam & amicam fore decreuerat.* Deinceps *nulli unquam sequenti tempore pecunias fuit elargitus.* Hoc *idem itaque* Philippus *fecisset, si aliquem ex his pœnam dare didicisset, & in præsenti si id perdiscat, efficiet. Postea uero quàm audierit* Oratores *inter uos probari, cæterosq; censuræ subijcere, quid sibi agendum quærat, multa impendere cum pauciora possit? omnes'que reuereri uolet, cum duos uel treis liceat? profecto desiperet. neque enim* Thebanorum Rempublicam *communi beneficio afficere sibi proposuisset* Philippus, *quin immo illud plurimum abest, uerum à legatis inductus fuit, quo'nam uero modo, ego id uobis exponam. ad eum ex* Thebis *legati uenerant, cum & nos à uobis missi ibi aderamus. his pecunias ille dare destinauerat, adeoq; ut aiebant multas, non admisere, neque eas accepere* Thebanorum *legati.* Deinde *in sacro quodam & cœna dum potaret & cum eis perhumane uersaretur* Philippus, *inter cætera cum multa utpote captiuos & id genus alia, ac postremo pocula argentea & aurea ipsis obtulisset, ista omnia illi repudiarunt, neq; usquam sese abiecere, ac tandem* Philon *unus ex legatis ait,* Viri Athenienses, *uerba, quæ uestri, non* Thebanorum *gratia par erat, ut dicerentur. dixit enim se, cum* Philippum *uideret magnifice & benigne erga ipsos se habere, uoluptat*

te & lætitia affici, ipsi itaque, q ei amici & hospitales etiã sine his muneribus essent. ut benignitatẽ uero istiusmodi exhiberet his in rebus, quæ ad eorum ciuitatem pertinerent, & quas tunc tractarent, ab eo postularunt, aliquidq; qd' ipso & Thebanisdignum foret, perageret. atque uniuersam ciuitatem ad eum modum & seipsos erga eum affectos iri profitebãtur. Cæterum considerate, quid ex his Thebanis accesserit, quid'ue contigerit, & ueritatem ipsam contemplemini, quantum intersit, res ciuitatis minime diuendere. In primis itaque ipsis debilitatis ac bello fractis & deuictis pax successit, deinde Phocensium inimicissimorum extrema pernicies, murorumq; & ciuitatum euersio. num & ea tantum accidere? non per Iouem, uerum ad hæc Orchomenus, Coroneia, Corsiæ, Tilphossæum, & tantum ex agro Phocensi, quantum uoluere, aduenerunt. Thebanis itaque ista à pace obuenerũt, quibus ne maiora quidem, etiam si uouissent, contingere potuerunt. Legatis porro Thebanorum quid? nihil præterquam q istarum rerum eorum patriæ authores fuere. hanc igitur honestatem, & uerecundiam ad uirtutis calculos reuocemus pariter & gloriæ, quam isti pecunia uendicarunt. iamq; conferamus Athenarum ciuitati quid pax attulerit, quidq; Atheniensium legatis, & expendite num Reipublicæ pacque, atq; his ipsis aliqd accesserit, ciuitati quidem, ut omnibus agris, & socijs priuaretur, ut iureiurando Philippo obstringeretur, si quisquam ad ea seruanda se conferre uellet, uos illum prohibituros, eumq;, qui illa uobis tradere cuperet, inimicum & hostem esse ducturos. illum uero, qui ista abstulisset, socium & amicum. Ea enim sunt, quæ patrocinio is Aeschi-

nes defendit, huius uero administer tulit Philocrates, cumq; ego prioris diei actionem obtinuissem, & uobis suasissem, ut sociale scitum ratum haberetis, legatosq; Philippi euocaretis. id cum iste in sequentem concionem reiecisset, Philocratis sententiam rogari obtinuit, in qua & hæc atque istis pleraq; alia insuper indigniora continentur, ciuitati ergo ista à pace aduenere, quibus nihil magis indecorum reperiri facile poterit, legatis uero, qui ista peregerunt, ut cætera sileam, quæ omnia uos oculis uestris intuiti fuistis, ædes, ligna, frumenta. sed & in euersa sociorum ora, agri & iugera quàm plurima, quæ talentum Philocrati in mercedem ferant, Aschini autem huic XXX. minas, obtigerunt. quo pacto graue uiri Athenienses & miserandum non est, sociorum uestrorum calamitates legatis uestris in prouentus cedere, unamq; & eandem pacem ei ciuitati, quæ illam poposcisset, cum sociorum interitum, tum agrorum alienationem, proq; gloria dedecus generasse, legatisq;, qui ista aduersus Rempuplicam admisissent, prouentus, copiam, prædia, opes pro extrema inopia genuisse. Verum enim, quo uera dicam, aduoca earum rerum testes Olynthios. TESTES. Non utique admirer, si & quid eiusmodi dicere ausus fuerit, quod fieri non poterat, ut laudabilis, ac talis, qualem ego poscebam, pax fieret, cum re bellica Imperatores abuterentur, si ista dixerit, uos quæso ipsum rogate, et in memoriam reuocate, num ex quauis alia in legationē profectus fuerit ciuitate, an ex hac ipsa, quod si ex alia, quam bello superiorem fuisse dicat, & optimos ductores habere, iure pecunias accepit, sin uero ex hac ipsa, cur ob quæ ciuitas eum legatum misit, cum res

propriis amiserit, pro his tamen is munera præcerpsisse apparet? eadem enim ipsa & ciuitatem, quæ eos emiserat, & legatos ex ea missos consequutos fuisse oportebat. si iuste alioquin res tractabantur. Amplius quoq; & illud cogitate uiri Athenienses, utrum arbitramini, Phocenses Thebanis, an Philippum uobis superiorem fuisse? ego quidem probe noui, quòd Phocenses Thebanos deuicissent, Orchomenum enim tenebant, & Coroneiam, atq; Tilphossæum, & suos in Neotibus existentes receperant, ac in Edylio ducentos & septuaginta trucidauerant, trophæumq; erexerant, & æquestri prælio superiores fuerant, malorumq; Ilias Thebanos circunstiterat. Vobis uero quid eiusmodi non adfuit, atq; utinam ne de cætero adsit, illud uero in eo bello, quod cum Philippo gerebatis, teterrimum erat: q; cum uolebatis ipsum male tractare, non poteratis, sed et ne quid insuper uos pateremini, ipsi prorsus tuti eratis. Quid igitur ex eadem pace obtigit? Thebanis quidem, q; cum adeo bello fuerint profligati, sua tamen recuperauerint, & suo Imperio hostium urbes adiecerint. uobis uero Atheniensibus, & quæ belli tempore uobis seruata fuerant, hæc ut in pace perdideritis, quoniam eorum legati suam Rempuplicam non prodiderant, res autem uestras hi uenditarint. Sed per Iouem socios bello defatigatos fuisse dicet. Quòd ista per hunc modum diuendita fuerint, ex his quæ supersunt eo amplius cognoscetis. posteaquam pax exitum habuit, dico eam, cuius author fuit Philocrates, & quam iste defendit. legati autem Philippi discesserant, cum iusiurandum accepissent, & hactenus, de rebus gestis desperandum non erat, pax tamen ignominiam & indignitatem ciuita

ti afferebat, sed pro his tamen admirabilia bona nobis euctura erant, ego à uobis petebam, atq; istos admonebam, ut q̄ celerrime in Hellespontum enauigarent, neq; desererent permitterent'ue aliqua ex illis locis medio tempore Philippum occupare. exacte enim noueram, q quæcunq; post bellum pace insequuta destituerentur, ea negligentibus deperire soleāt. Nemo enim unquam, qui pro summa rerum pacem agere persuasus fuerit, pro his quæ negligenter derelicta fuere, bellum deintegro gerere uoluit. uerum hi, qui ea ante cepere illa retinent, præter uero ista ex duobus emolumētis ciuitatem non aberraturam arbitrabar, si nos enauigaremus. aut enim sic præsentes essemus, & iusta decretum, ipsum ob iusiurandum astringere uellemus, futurum erat, ut ea, quæ à ciuitate abstulisset, redderet, & à cæteris abstineret, aut si ista ille non faceret, nos quāprimum hic uos certos eramus redditurі, ut per ea, quæ in locis longinquis, & rebus minoribus fecisset, uos q insaturabilis infidusq; esset cum cognouissetis ne ea quæ prope maioraq; essent Phocenses dico & Pylas, essetis neglecturi. atque ita cum ille ista non præoccuparet, neq; uos seduceremini, omnia uobis tuta mansura essent, & ab ipso ultro omnia æquabilia futura forent, atque ista ita casura non immerito suspicabar. si etenim incolumes, sicuti tunc salui erant, Phocenses essent, & Pylas tenerent, ille quidem nihil intentare posset, quod uobis formidolosum esset. ppter quod à iusto declinare deberetis. neq; enim itineribus profectus, neq; classe uectus præpotente in Atticam uenturus erat, uos uero illi statim emporia clausuri eratis, ipsumq; in pecuniarū penuria, aliarumq; rerum obsidione rur-

& à uobis decreta essent aduersaretur, is erat. an certe ista reliquis omnibus legatis placerent mox scietis. Ego quidem nondum de quoquam aliquid dico, neque aliquem culpo. nec enim quisq̃ ex eis ꝑ uim hodierna die fieri potest, ut bonus fuisse appareat, sed per sese, atque si scelerum particeps non fuerit. Quòd utique indecore, indigne, & minime gratis res actæ fuerint, uos omnes perspexistis. qui nam uero in earum rerum communione fuerint res ipsæ manifestum facient. Hoc itaq; per Iouem iusiurandum à socijs sumpsere? uel reliqua, quibus opus erat, perfecere? plurimum quidem abest, ut id fecerint. Verum tres totos menses cum peregre uagati fuissent, & mille drachmas in uiaticũ cum accepissent à uobis, quantum à nulla unquam ciuitate, uel cum illuc legati irent, aut inde cum huc uenirent, impensum fuit, iuramenta recepere. Verum enim in hospitio quodam ad Templum Castoris & Pollucis. qui enim uestrum Pheras profectus fuit, nouit quod aio, hic iuramenta pacis præstita fuere, cum huc exercitu acto Philippus uenisset, idq; cum dedecore, Viri Athenienses, & dignitatis uestræ ratione non habita gestum fuit. At qui hoc Philippus plurimi præter cætera æstimauisset putate ꝗ ad eum modum fieret. pacem enim cum non ualerent, sicuti hi primum cœperant, absq; Alensibus & Phocensibus fieri decernere, uerum Philocrates à uobis compelleretur, ut ea obliterando, in decreto scriberet, & exprimeret, Athenienses, Atheniensiumq; socios, noluit quenquam sociorum, qui ibi aderant, eiusmodi iuramentum præstare. neq; enim cum eo militaturi erant, ad ea quæ nunc loca uestra possidet. uerum iusiurandum cum prætextum erat exhibiturum, quòd

ipsi testes futuri non essent earum pollicitationum, ob quas pacem uenatus fuerat, ac ne illud omnibus palàm fieret, quoniam non Athenarum ciuitas bello oppressa fuisset. sed quòd Philippus is esset, qui pacem expeteret, ac qui multa Atheniensibus promitteret, ut pacem consequeretur. ne itaq; ista, quæ dixi, diuulgarentur, propterea putauit istis nusquam eundum esse. hi uero omnibus in rebus ei gratificabantur illum extollendo, illiq; admodum adulando. Cæterum cum hæc omnia coarguantur, tempóra consumpsisse, loca Thraciæ deseruisse, nihil eorum, quæ decreueratis fecisse, nedum ea, quæ Reipublicæ conferrent, falsa renunciasse, quo pacto fieri potest, apud iudices prudentes, & qui iusiurandum obseruare uelint, ut hi absoluantur? At uero quòd ea, quæ dico, uera existant, in primis recita decretum, quantum uestra intererat, eos ad iuramenta euocasse, deinde Epistolam Philippi, postmodum Philocratis decretum, ultimo illud populi. DECRETVM, EPISTOLA, DECRETA. At uero quòd Philippum in Hellesponto deprehendissemus, siquis mihi paruisset, et à uobis iniuncta fecisset, iuxta decreta, uoca testes, qui illic præsentes aderant TESTES. Recita uero & aliud testimonium, quæ Euclidi huic, cum postea superuenisset, Philippus responderit. TESTIMONIVM. Quòd itaq; his inficiari non liceat, quòd ista pro Philippo non ptractarint, me audite. quo enim tempore in primam pacis petendæ legationem profecti fuimus, caduceatorem uos præmiseratis, qui uobis inducias faceret. tunc igitur cum celerrime in Oreum peruenissent, caduceatorem non expectauere, neq; moram aliquam fecere,

in Alumq; enauigarunt, cum is obsidione premeretur, ac rursus inde ad Parmenionem obsessorem cum transmisissent, per hostilem exercitum ad Pagasas se contulerunt, & cum ultra progressi fuissent, caduceatori Larissæ occurrerunt, tanto studio & animi alacritate progrediebantur. Cum uero pax constaret et profectio undelibet tuta esset, mandataq; uestra acceleranda forent, tunc cum essent in itinere, neq; festinandi, neq; nauigandi uoluntas ipsis in mentem subibat. q̄d ita? quoniam eo tempore, ut pax sine ulla mora fieret, id erat è re Philippi, nunc uero ut plurimum temporis interiecti cunctarentur, antequam pacis iuramenta reciperent. Verum q̄ ista p ueritate asseuerē & id testimonij accipe. TESTIMONIVM. Possunt'ne magis homines, quòd omnia pro Philippo egerint, conuinci, quàm profectione ipsa, dum pro re uestra properandum esset, commorati cum fuerint. eundum uero cum non esset ante caduceatoris aduētum, dum celerauerint. Quo igitur tempore ibi eramus, & in Pella morabamur, cogitate quid quisq; nostrum sibi agendum proposuisset. Ego itaque ut captiuos redimerem, & conquirerem, ac pecunias proprias in id sumerem, & Philippum ut deprecarer, loco munerum, quæ nobis donabat, ut hos dimitteret. ipse uero, mox audietis, quid faciendum perrexerit. quid igitur id erat? quòd Philippus nobis communiter pecuniam largiretur, ac ne illud ignoretis, ille nos omnes explorauerat, cuilibet nostrum quodammodo priuatim pecunia missa, ac plurimo uiri Athenienses auro condonato, postea uero quā à nescio quo frustraretur. mihi enim neq; memet ipsum nominare conuenit, uerum opera & facta ipsa cō-

monstrabuit. quæ communiter darentur, omnes arbitratus fuit q̃primum & inconsulte accepturos esse. eos itaq; qui priuatim sese uendiderant, in tuto futuros, si omnes paulatim communium mulierum participes essemus. proptereaq; illa dabantur. hospitalitatis autem dona ad eam rem prætextum afferebant. ut uero ipse hæc uetui, iterum ea inter se hi partiti fuere. à Philippo quidem posteaquam ego petij, ut id in redimendis captiuis ipse impenderet, neq; quenquam horum accusare par erat, neq; dici debebat, quòd alia hic uel ille haberet, neq; largitio refugienda erat. in id quippe consensit. uerum eam rem reiecit in quinquẽnales ludos Mineruæ, q̃bus aiebat se eos remissurũ. Recita testimonium Apollophanis, deinde reliquorum, qui aderant. TESTIMONIVM. Age uero quot & ego ex captiuis redemerim, uobis referam per omne quidem illud tempus, cum Philippus nondum aduentasset, quo in Pella fuimus commorati, nonnulli ex captiuis, quicunq; sub uadimonio erant, cum diffiderent, ut reor, ne deinceps id Philippo suadere possent, seipsos redimere uelle aiebant, eiusq; rei nullam Philippo gratiam habere, atq; mutuo accipiebant, hic quidem treis minas, ille uero quinque, alter sicuti redemptionis pretium cuiq; contigerat, postea igitur q̃ Philippus reliquos liberare conuenerat, hos ego cum conuocassem quibus ipse argentum commodaram, & rei seriem ad memoriam reuocassem, ne si festinarent, minus beneficij habuisse uiderentur, ne'ue & proprijs pecunijs homines inopes redempti forent, cum alij se à Philippo liberandos sperarẽt, redemptionis pretia dono dedi, & q̃ ea uere dicam. recita testimonia. TESTIMONIA. Quam igitur pecunia-

rum summam remiserim, et dono dederim miseris ciuibus, hæc est. Quando autem is dixerit apud uos, quia'nam (ut ais Demosthenes) ex quo Philocratis sententiam defenderim, cum cognosceres nihil nos agere, quod esset è Republica, legationem, quæ ista fuit insecuta, ad iuramenta accipienda rursus obijsti, neq; eiurasti eiusmodi commemorate. quoniam his me uenturum spoponderam, quos liberaui, redemptionis'que pretia me allaturum, et quoad fieri posset, illos seruaturum. Iniquum itaque fuisset, ementitum esse, et uiros ciues afflictos abiecisse. priuatim uero (si eiurassem) non admodum honestum neque tutum fuisset, per ea loca uagari. Nam si id non feci, quia, ut eos seruarem, in animo proposueram, si pecunia eaq; admodum multa accepta unà cum his in legationem si profectus fuissem detestandus omnibus & execrabilis immature peream. Indicio enim est, cum ad tertiam legationem uos me bis suffragijs designauissetis, bis ego iuramēto eam repudiaui & preter hanc profectionem omnia istis contraria peregi. ea enim quorum ego arbiter eram ex causa legationis, per hunc modum uobis euenere. at quæ isti, cum plures essent, obtinuerunt, cuncta interciderunt. At qui & reliqua omnia tanquam ista consequentia peracta fuissent siqui mihi paruissent. Neq; enim ego usq; adeo stupidus & demēs eram, ut argentum impenderem, cum alios uiderem illud accipere, ut laudem apud uos consequerer, quæ uero sine aliqua impensa fieri poterant, quæq; toti ciuitati multo maiora emolumenta præbitura forent, ista fieri noluerim, scilicet uiri Athenienses. uerum, ni fallor, isti me uincebant. Age uero, quid præter ista ab hoc, ac quid à Philocrate actum fue-

contra punire, talia peragant. recensere iam uolo ea, quæ ab initio in accusationem deducta fuere, ut quodcumq; in exordio orationis uobis pollicitus fui, illa me executum fuisse ostẽdam. palàm feci, nihil ueri eum retulisse, quinimmo uos decepisse, dum factis ipsis non uerbis pro testibus uterer, ostendi ipsum authorem fuisse, ne uos me uera alioquin dicentem audire uelletis, dum huius tunc pollicitationibus & renunciationibus seducti essetis, omniaq; contra quàm oportebat ipsum consuluisse, socialiq; paci aduersatum fuisse, & illi, quã Philocrates scripserat, patrocinium impendisse, tempora subtraxisse, ne si in animo fuisset, pro Phocensibus exire possetis, aliaq; in ea profectione multa & grauia admisisse, omnia prodidisse, uendidisse, munera accepisse, nihil flagitij, prætermisisse. Nempe ista ab initio pollicitus fui, eademq; plana feci. spectate igitur quæ ista secuta sunt. oratio enim quæ sequetur, ad uos simplex mihi futura est. Iurauistis uos sententiam laturos fore, ex legibus, populiq; placitis, atque consilij quingentorum, is autem apparet omnia contraria legibus, decretis. iustitiæ in legatione peregisse ipsum igitur damnari conuenit apud iudices, qui mente non careant, si enim nulla alia in re peccasset, uel duo ex his quæ admisit, satis sunt, ut ipsum è medio tollatis. Non enim Phocenses tantum, sed & Thraciam Philippo tradidit. At qui nemo ex uniuerso terrarum orbe duo loca ciuitati commodiora ostendere posset, terra quidem Pylis, mari uero Hellesponto, quæ ambo impudẽter Philippo uendiderunt, & maximo incommodo nostro in illius manibus collocarunt. Hoc itaque ipsum præter cætera usque adeo grande crimen fuit, Thraciam uidelicet, & mu-

ros perdidiſſe, multa dici poſſent, quot ob ea apud uos interierint. Qui uero ob id quia magna repetũdarum ſumma tenerentur, difficile admodum non eſt connumerare, Ergophilus, Cephiſodotus, Timomachus, & ſuperiori ætate Ergocles, Dionyſius, & alij, quos parum abeſt ut dicam omnes ſimul minori quàm iſte detrimento Rempublicam affeciſſe, uerũtamen & eo tempore uiri Athenienſes ex prouidẽtia quadam, quæ indigna erant cauebatis & proſpiciebatis. Nunc uero quod niſi uos quotidie pturbet, & præſentem dolorem afferat, deſpicitis. Propterea uos nunc fruſtra decernitis, q Philippus Cerſoblepti ſacramẽtum præſtet, conſilij Amphictyonici ne particeps eſſe uelit, pacem uero inſtaurãdam eſſe. etenim nullo ex his decretis opus foret, ſi is nauigandum curaſſet, ac ea facere, quæ è re eſſent. nunc autem ea, quæ ſeruari poterant, ſi enauigaſſent, iubendo proficiſci, perdidit. quæ uero ſi dixiſſent, mentiendo. quamprimum igitur indignabitur uel maxime ut ipſe audio, ſi ſolus eorum qui ad populum concionari ſolent, uerborum rationes reddere debeat. Ego certe, q omnes & merito, illorum uerborum, quæ dicant, pœnã luere deberent, ſi quid corrupti dixiſſent prætermitto. uerum illud dico, ſi quidem Aeſchines priuatus cum eſſet, qua in re nugatus eſt et aberrauit, ne admodum in eum animaduertite, uerum dimittite, ueniam condonate. quòd ſi legatum agens ob pecuniam de induſtria uos ſeduxit, ne miſſum facite, neque id tolerate, quòd eorum quæ dixerit, ipſum pœnam pendere non oporteat, cuius nam rei pœnam à legatis ſumere conuenit, quàm uerborum? legati enim non triremium non locorum, non peditum, non arcis imperium gerunt.

runt. nemo enim ista legatis committit, sed uerba solum & tẽpora. tempora itaq; Reipublicæ siquis non absumpserit, utiq; non deliquit, quòd si illa subtraxerit, peccasse dicendus est. sermones autem, si ueros retulerit, aut conducibiles, dimittendus est. sinautem falsos, & pecunia corruptus, atque inutiles, condemnari debet. nihil enim est, in quo quis magis uos iniuria afficiat, quàm qui falsa referat. apud quos enim in Orationibus Reipublicæ regimen consistit, quo pacto, si hi uera non dicant, tuto res ipsa communis administrari potest? quòd si & ad ea, quæ hostibus conferunt, muneribus acceptis conciones habeat, qui fieri poterit, ut non periclitemini. neque enim par est, si paucorum dominatus, aut tyrannidis tempora quis consumat, ac uestra. uerum id non parũ abest. in illis enim principatibus omnia ex imperio celeriter perficiuntur. apud uos in primis omnibus de rebus Senatui audientiam facere & ante deliberare necesse est, atque id quando aliquid præconibus & legationibus præscriptum fuerit, neque perpetuo, deinde concionem cogere, atque eam cum ex legibus licuerit, postea obtinere, & eos superiores euadere oportet, qui optima suaserint, his qui ignoratione aut nequitia aduersati fuerant. Ad hæc insuper omnia postea quàm aliquid sancitum fuerit, & illud utilitatem afferre uideatur, populi necessitati tempus est indulgendum, quo ea sibi comparent, quibus indigeant, ut quæ placita fuerint, perficere queant. at qui tempora consumit, in eiusmodi Republica qualis apud uos est, non tempora iste absumpsit, non, sed res ipsas unico uerbo prorsus abstulit. adest itaq; promptus quidam sermo omnibus his, qui uos decipere uolunt, quòd qui Rem-

publicam perturbant illi sunt, qui Philippum uos prohibent beneficio afficere. contra quos nullum ego uerbum faciam, uerum epistolas Philippi legam, & opportunitates, in quarum singulis decepti estis, ad memoriam reuocabo, ut cernatis hoc frigidum uerbum ad saturitatem usq; illum transilijsse, dum uos fraudibus inuolueret. EPISTOLA PHILIPPI. Cum itaq; adeo nefanda & multa, eaq; omnia contra uos in legatione commiserit circumuolitans, tamē ait, quid dicat aliqs de Demosthene? qui legationis collegas in iudicium ementitæ legationis uocat. Per Iouem uelim nolim, per illam uniuersam peregrinationem, cum abs te eiusmodi insidijs fuerim circumuentus. cum uero duæ mihi dantur ad præsens optiones. ut uel rerum gestarum, cum tales sint, uobis uidear particeps fuisse, uel eas accusem. Ego certe neque tecum in legatione communicasse aio, sed in legatione quidem te & multa & grauia, me uero ipsum pro istis optima quæq; perfecisse. uerum Philocrates tecum communicauit, cum illo quippe tu & Phrynon. Vos enim ista agebatis, atq; ista uobis omnibus placebant. Vbi sal, ubi mensæ, ubi libamina? hæc enim cum circumeat, uoce tragica exclamat, quasi non illi qui iniuste agunt, horum sint proditores, sed qui iuste se gerunt. Ego quidem noui, quòd omnes Prytanei præfecti frequenter publice sacrificant, & simul cœnant, unaq; libamenta faciunt, neq; propterea optimi iniquos imitantur, sed siquem ex ipsis iniurium deprehenderint, Senatui populoq; eum indicant. Senatus quoq; eodem pacto quando in ineundo magistratu sacrificat, unà conuiuium habuit. Imperatores item in sacris libationibus communicant. atq; o-

omnes ferè (ut ita dicam) magistratus, ergo eapropter iniurijs impunitatem dederunt. multum uero id abest. Leo Timagoram accusauit, cum per quadriennium eius in legatione collega fuisset: Eubulus Tharrecen & Smicythum, eorũ cum fuisset contubernalis. Conon ille antiquus Adimantum, cum in eadem prætoria dignitate collega fuisset. utri itaq; salem & libamenta uiolarunt Aeschines qui prodidere, & legationem ementiti fuere, ac munera accepere, an uero qui illos accusarunt? nimirum qui totius patriæ libationes, quẽadmodum tu, non solum qui priuatas deformarunt. Vt igitur uideatis, quòd omnium hominum, qui aliquando non solum publice sed & priuatim ad Philippum se contulerunt. hi sordidissimi & nequissimi fuerint, extra rem legationis huiusmodi me parumper audietis . postea enim quàm Olynthũ Philippus uenit, Olympia celebrabat, ad illudq́; sacrificium & celebritatem omnes scenicos artifices coegerat, eis ad epulum inuitatis, uictoribusq́; corona donatis, rogauit Satyrum hunc Comicum Histrionem, cur solus nil peteret, num aliquem in eo pusillum aut infensum animum erga se aspexisset, dixisse Satyrum aiunt, quòd nulla re, qua cæteri indigerent, ei opus foret, quæ uero ipse libenter postularet, facilime Philippus dare posset, & supra omnia gratificari, se tamen uereri ne frustraretur, si peteret. ille uero cum iuberet, ut diceret, & quid eiusmodi iuueniliter protulisset, nihil esse, quod facturus non foret, ipsum dicunt exposuisse, quòd ei fuisset Apollophanes Pydnæus hospes & amicus. cum uero ille insidiose interfectus uita functus fuisset, & eius cognati perterriti essent, filias, pupillæ cum forent, in Olynthum

furtim exportarunt, eæ quippe, ait, urbe capta, in seruitutem deuenere, penesq́; te sunt, cum nubilis ætatis existāt, has abs te peto, & ut mihi des, deprecor. Volo etenim rem intelligere & noscere, quo munere me, sis affecturus, eas utiq; si donaueris, ex ea re nihil lucrifaciam, sed dote adiuncta eas elocabo, atque non prætermittam, ut aliquid & nobis, & patre suo indignum patiantur. Vt autem qui in conuiuio aderant ista audierunt, tantus plausus, laus, & tumultus ab omnibus excitatus fuit, ut Philippus aliquantum commotus fuerit, easq́; tradiderit. At qui unus ex his, qui Alexādrum Philippi fratrem interfecerant, is fuerat Apollophanes. Porro huiusce Satyri cœnæ alteram, quam hi in Macedoniam fecerunt, conferamus, & expendite num ad eam accedat, illiúe similis existat. Conuocati hi cum essent ad Xenophronem Phœdimi filium, qui unus fuerat ex XXX. tyrannis, accessere, ego non iui. ut uero ad compotationem deuenerunt, Olynthiam quandam mulierem introducit elegātem profecto & ingenuam, atq; prudentia præditam, sicuti docuit euentus. hanc primum is bibere parumper, atq; isti comedere (ut mihi uidetur) compulere, sicuti postridie Iatrocles mihi narrauit, ut res ultra processit, atq; calefacti sunt, eam discumbere & aliquid canere iussere, ipsa cum id grauiter ferret, & recusaret, ac nesciret, illud contumeliam quandam esse dixerunt iste ac Phrynon, neque ferēdum esse, eam, quæ ex Olynthijs Dijs infensis, & scelestibus hominibus captiua facta esset, nimis delicatam esse, puerumq́; aduocat, ut quis lorum ferat, flagello sumpto uerna adfuit, ebrijq́; cum essent. s. & parua forent ea, quæ ipsos irritarent, ut nescio

quid illa dixit, & lacrymauit, uerna tunica discissa, ad humeros eam cedit plagis inflictis. prae dolore autem & rei indignitate mulier mente abalienata, cum se inde abripuisset, ad genua Iatroclis concidit, mensamq; euertit, ac nisi ille eam exemisset, ab temulentis caesa periisset. Atq; profecto sceleris huius petulantia & temulentia mirabilis est, deq; ea muliere in Arcadia infinitis in locis uerba fiebant, & Diophantus nobiscum cum esset, id retulit, quae nunc ipsum ut testetur adducã. perq; Thessaliã creber de ea erat sermo, et ubiq;. cunq; istiusmodi factorum sibi conscius esset, iste inexpiabilis uos intueri audebit? & uitam, quam ipse traduxit, cõtinuo alta uoce praedicabit? quibus ex rebus ego suffocer. hi non'ne sciunt? ab initio quidem quòd matri sacra facienti libros legens, & puer cum esses, in conuiuijs & inter temulentos homines deuolutus fueris? deinceps sub magistratibus quòd inferioris scribae officium exercueris? atq; duabus tribus'ue drachmis improbe te gesseris? postremo uero, q nuper alienis sumptibus tertiarum partium actione contentus enutritus fueris? quam ergo uitam recensebis? num eam, quã non egisti? quando quidem ea quam traduxisti, talis apparet. Verum quae potestatem in te prae se ferunt, ea commemorabis. Is apud uos alium detulit prostitutae pudicitiae. Sed nondum ista dicenda sunt. uerũ recita mihi in primis testificationes istas: TESTIFICATIONES. Tot igitur & talia cum sint ea uiri iudices, in quibus uos iniuria affecisse redargutus fuit, quibus in rebus quid mali non inest? muneribus corruptus, assentator, execrationibus obnoxius, mendax, amicorum proditor, quòd fuerit, omnia insunt quae

dicuntur, ad horum quidem nullum respondebit, neq; legitimam habebit, & puram quam dicat defensionem, quæ enim ipse audiui eum dicturum fore ad dementiam quandam proxime accedunt. ueruntamen, cum nil aliud forte habeat, qđ iuste exponere possit, quodcunq; ut commentetur, ei necesse erit. Intellexi quidem ipsum dicturum, ꝗ ego omnium utique, quæ reprehendam, particeps fuerim, & ea mihi placuerint, & in eis conficiendis illi fuerim adiutor. Deinde ꝗ derepente, mutata uoluntate illa in iudicio accusarim. Est certe de his rebus, quæ admissæ fuere, neq; æqua, neq; cõsentanea ista defensio, mei tamen accusationem quandam continet. Ego quidem si ista commisi, homo sum neq̃. res propterea meliorem statum ne habent? quinimmo id plurimum abest. enimuero me utrunq; uobis ostendere oportere arbitror. & quòd si ista dicat, ementiatur, atque siquam iustam habet defensionem, quòd eam effugiet. iusta itaq; & simplex ea est, uel quòd ea, quæ accusantur, facta non fuisse demonstret, uel quæ gesta fuere, quòd Reipublicæ conferant. istorum quippe neutrum is efficere posset. neq; enim quòd certe conducta, Phocenses euersos esse, & Pylas Philippum occupare, & Thebanos uires auxisse, et in Eubœa milites adesse, et Megaris insidias struere, & pacem iniuratam esse, ei dicere licebit. quibus contraria tunc retulit in conspectu uestro, quòd scilicet expedirent quæ futura erant. neq;, quòd ista admissa non fuerint, suadere poterit uobis ipsis, qui illa intuiti estis, et illorum probe conscij estis. itaq; quòd nulla in re cum istis cõmunicarim, mihi palàm facere superest. Vultis igitur, reliquis omnibus omissis, quæ uobis coràm refutaui, quæ in pe-

regrinatione offendi, cum illis continuo restiterim, hos ipsos uobis testes exhibeam? quòd omnia cõtra meam & istorum uoluntatem acta fuerint, quodq́; hi pecuniam aduersus uos acceperint, ego autem eam sumere noluerim? spectate quæso, quem enim in ciuitate detestabiliorẽ esse diceretis, magisq́; despicatum, maioriq́; impudentia repletum? nemo utique uestrum, etiam errans, alium noui, quòd diceret, quàm Philocratem. quem uero uel supra cæteros uociferare, & quodcunq́; uelit explicatissima uoce proferre? Aeschinem istum scio, quòd diceretis. quem autem isti nullius animi et timidum inter multitudinem esse aiunt? ego autem magis cautum appello? me quippe. ipse etenim nullius unquam tumultus author fui, neq; uos inuitos quicquam compuli. At qui in omnibus concionibus, quoties de his sermo incidit, & me istos accusantem auditis, continuoq́; coarguentem, manifestoq́; dicentem, quòd pecuniam sumpserint, & res omnes ciuitatis uendiderint, nullusq́; ex his, ista cum audiat, aduersatus fuit, sed ne quidem os aperuit, neq; se ostendit. quid ergo in causa est, quòd omnium qui sunt in ciuitate, nequissimi, & uocalissimi à me omnium timidissimo, quiq́; usq; adeo à cæteris uociferatione uincar, superantur? quoniam ueritas magnam uim habet, contrariumq́; imbecille est. sibi enim ipsis conscios esse, quòd Rempublicam nundinati fuerunt, hoc reprimit istorum temeritatem, hoc linguam inuertit, os oppilat, strangulat, silere facit. itaq; postremo certe recordamini pauloante in Piræo, cum ipsum legationem obire non p̃mittebatis, exclamantem, quòd me delaturus læsæ maiestatis, & accusaturus esset, atq; heu heu, uerum enim ista exordium quidem

petunt prolixorum multorumq; certaminum & uerborum. illa uero pura, ac duo tria'ue fortasse uerba sunt, quæ quis etiam hesterna die emptus enunciare posset. Viri Athenienses, *res ista perquam digna existit, is me accusat istis de rebus, quarum ipse particeps fuit, atq; me pecunias accepisse ait, ipse cum eas acceperit, aut saltem simul ceperit. nil igitur horum dixit, neq; loquutus fuit, & ne aliquis quidem uestrum id audiuit, alia uero minabatur. qd ita? quoniam earũ rerum patratarũ sibi conscius erat, istorũq; uerborũ seruus erat. non igitur animus ad ista appropinquabat, sed refugiebat. ipsis enim conscientia obsistebat. ne cætera uero quæq; conuitijs consectaretur, nemo illi restitit, aut ne malediceret. quod ergo omnium maximum fuit, quodq; non uerba iam, sed facta redolebat, illud est, q cum ego iure alioquin agere uellem, ut quemadmodum bis legatus fueram, ita bis uobis rationem redderem, ad ratiocinatores is* Aeschines *dum accessisset, plurimis testibus suffultus, restitit, ne me in iudicium uocarent, utpote qui rationes retulerim, & rationibus reddendis obnoxius non essem. atq; ea res perridicula quidem erat. quid igitur id esset quæritis? prioris illius legationis, quam nemo accusat, cum rationem reddidisset, rursus in hãc ingredi nolebat, quam modo introit, in qua omnia facinora continebantur, quoniam ego ad id bis deuenissem, necessarium ei erat, ut in id iterum intromitteretur, propterea me uocari non permisit.* At *qui ea actio uiri* Athenienses, *utrumq; uobis apertee cõmostrat, & quòd is se ipsum damnarit, ita ut nemini uestrum pium esset, ipsum absoluere, quòdq; nil ueri de me dixerit. etenim si ita haberet, tunc & orando &*

accusando rem exquisiuisset. non autem per Iouem me citari uetuisset. quod itaq; ista uere dicam, euoca earum rerum testes. TESTES. At uero si extra legationis materiem multis uerbis de me maledicta iactauerit, neutiq; ipsum audiatis. non enim hodierna die reum ago, neque post ista quisquam mihi Clepsydram dabit. quid igitur ea significant, nisi defectionem legitimæ defensionis? quis enim accusare deligeret cum accusatur, dum habeat qua ratione se tueri possit? Illud amplius considerate uiri iudices, si ego in iudicium uocarer, Aeschines autem is delator esset, Philippus uero iudicem ageret, exinde ego nihil haberem quo refutare possem, me non deliquisse, hunc maledictis incessere & uituperare conarer. num putatis ob eam rem ipsam inique laturum fore Philippum, si apud eum illius beneuolos quis probris insectaretur? neque igitur uos deteriores Philippo esse uelitis, sed pro quibus controuersia constituta existit, ut de his dicat in se defendendo, compellatis, mihi testimonium recita. TESTIMONIVM. Nempe ego ex eo, quod nullius flagitij mihi ipsi conscius eram, & rationem referre, ac omnia ex legibus subeunda mihi fore putabam, is uero contra rebatur. quo itaq; modo eadem à me atq; ab isto acta fuere? quo'ue pacto isti licet ea uobis corã dicere, quæ nullo unquam priori tẽpore reprehendit? Nequaquã certe. Attamen dicet, & me hercle consentaneo modo, id certe nouistis quod ex quo homines geniti fuere, & iudicia constituta sunt, nemo, qui se deliquisse confiteatur, repertus fuit, sed impudenter loquuntur, inficiantur, ementiuntur, excusationes prætendunt, omnia faciunt, ne dent poenas, quibus omnibus uos minime

hodierna die deterreri oportet, sed unde uos ipsi rē didicistis, ita cām iudicetis, neq; mea aut huius uerba attēdatis, neq; testes, quos iste paratos habebit ad quodlibet testificādū, largitore usus Philippo. Videbitis certe q̃ alacri animo ei testimonium ferent. neq; si sonora is & alta uoce utatur, ego uero praua. Non enim Oratorum neq; uerborum iudicium hac die (si sapitis) habere uos decet, sed pro rebus indecore & indigne deperditis conflatam ignominiam in authores depellere, res enim gestas, cum illas exquisieritis, omnes nostis, quæ igitur ea sunt? illa quæ uos scitis, neq; uos à nobis ipsis id audire conuenit, si enim omnia quæcunq; uobis pollicitus fuit, ex pace sequuta fuere, & si tanta ignauia & improbitate uos præditos esse profitemini, ita ut dum neque hostes regionem tenerent, neq; mari obsidione premeremini, neq; ciuitas aliqua alia calamitate distineretur, sed triticum uili precio mercaremini, ac reliquis in rebus nil peius q̃ hoc tempore ageretis, præscיueritis. & añ admoniti fueritis ab istis, q̃ socij interituri, et Thebani uiribus potiores futuri, et Thraciā uniuersam Philippus occupaturus, & in Eubœa præsidia aduersus uos instruenda, & omnia, quæ successerunt, q̃ euentura essent, deinde libenti animo pacem feceritis, Aeschinem absoluite, neq; ad tantam rerum infamiam, periurium quoque uobis asciscite, nihil enim in uos peccauit. uerum ego furens & cæcus sum, qui nunc ipsum accusem. sin uero omnia his aduersa multáque & humanitate plena loquebantur, q̃ Philippus ciuitatem amaret, Phocenses seruaturus esset, Thebanos ab iniuria cohibiturus, insuper ad hæc maiora q̃ quæ ad Amphipolin spectant, uobis gratificaturus foret, si pace

consequeretur, Eubœam, Oropum redditurus. si itaque ea dicendo, & omnia promittendo, deceperant, & illuserunt, ac ferè Attica quoq; ipsa uos priuauerunt, eos condemnare debebitis. & ne ad cætera, quibus contumelia affecti estis (neque enim noui quid aliud dicam, ac pro quibus rebus hi muneribus fuerint corrupti) uos execrationem & periurium domum referte, illud amplius cogitate uiri Athenienses, q̃obrem ego (si hi nihil commiserint) eos deferre aggressus fuerim. non enim inuenietis. iucundum'ne est plures inimicos habere? at id'ne tutum quidem est, uerum enim mihi cum eo aliqua affuit simultas? nulla. quid ergo tibi ipsi metuebas, & ob timiditatem, hanc tibi salutem fore existimasti, etenim & ista ipsum dicturum audiui, cum tamen nullum adsit Aeschini delictum, neq; flagitium, ut tu ais, si certe ista iterum dixerit. Considerate uiri Athenienses, si quibus in rebus insons cum essem, ego metuebam ne istorum opera perirem, quid par sit, hos perpeti, cũ hi ipsi sint, qui facinora admiserunt, sed cum non ob ista, qua de re te accuso? Calumniose quæso ago, ut abs te argentum accipiam? At utrum satius mihi erat à Philippo id sumpsisse, cum multo plus daret, & nil minus quàm hi, dedisset, illumq; & hos amicitia deuincire, essent mihi quidem, essent amici, si in earundem rerum communione fuissem, neque enim mecum simultatem ob res hũt hæreditarias, sed quia rerum patratarum particeps esse nolui, q ab istis postea petere ex ijs, quæ habuissent, illi'que & his inimicũ esse ci, captiuosq; tanta propriæ pecuniæ summa redemisse, ab his uero pauca postulãdo turpiter et odiose accipere: hæc nõ ita habent, sed ego uera renunciaui, & à muneribus abstinui

iustitiæ & ueritatis gratia ac ob reliquam uitam existimans sicut & nonnulli alij, à uobis, si probus essem, q & ipse honorari possem, & meam erga uos liberalitatem pro aliquo lucro mihi permuttandam non esse. Odi autem istos, quoniam iniquos, & Dijs infensos in legatione perspexi, & meis honorificis studijs defraudatus fui propter auaritiam istorum, qui in uniuersa legatione uestra indigne se gesserunt. Nunc autem accuso, & ad censuram uenio quod futurum est prospiciens, & illud in animo constitutum habeas disceptatione, & iudicio mihi apud uos discretum iri, q eorum, quæ ego & hi decreueramus, contraria acta fuere, atque uereor quidem uereor, (dicentur nanque uiri iudices ea omnia in conspectu uestro, quæ sentio) ne me tunc unà cum istis in suspitionem trahatis, cum nulla alioqn in re peccarim, ad præsens autem resupini iaceatis. uiri Athenienses mihi uidemini, resoluti eē & sustinere ut ĩdigna patiamini, cũq; alios pati uideatis, neq; cauere, neq; Reipublicæ curam habere, quæ iã diu multis iniqsq; modis offensa fuit, non'ne id indignũ & inauditum esse existimatis? Nam si quid tacere decreui, nunc id proferre adducor. Nostis certe Pythoclẽ hunc Pythodori filium, hoc humaniter admodum utebar, & ad hanc usque diem nihil inter me et istum cõtrouersi intercessit, is me dum in præsenti occurrit auersatur, ex quo ad Philippum accessit, & si alicubi mihi obuiam fieri cogitur, è uestigio resilit, ne quis eum mecum colloquentem aspiciat. Vnà cum Aeschine in foro deambulat, & consultat, & cogitationem suscipit. At qui permolestum est uiri Athenienses & non ferendum, q qui res Phillippi sectari sibi proponunt, adeo exquisita illius ad

utrumuis animaduersio eos urgeat, ita ut unusquisq; tanq̃ ipso præsente nihil eorum, quæ hic agat, clàm Philippo futurum putet, sed & eos amicos ducat, qui ei uideantur, contraq́; itidem & minime amicos existimet, his uero, qui uobiscum uiuunt, & honores à uobis affectant, & eum non prodiderunt, ita obtusæ sunt aures uestræ, & caligo usque adeo à uobis prouenit, ut cum istis sceleratis nunc ex æquo sit mihi contendendum, idq́; apud uos, qui omnia nouistis. Vultis ergo intelligere & audire earum rerum causam? ego iam aperiam. Populo autem ut nihil mihi uera dicenti uitio uertatis, quoniam ille cum unico ex corpore solà que ex anima constet, toto animo & eos diligit, qui ipsum beneficio afficiunt, contraq́; alios odio habet. Quilibet uero uestrum imprimis neque se ab eo beneficio affici uel iniuria existimat, qui de Republica bene uel male meritus fuerit, sed cuiq; aliqua sunt potiora, quibus sæpenumero seducimini. Miseratio, inuidia, iracundia, supplicum, uenia, alia quædam infinita, q̃ si quis cætera quæque effugiat, eos, qui neminem uellent eiusmodi esse, certe nõ effugiet, singularum uero istarum rerum error paulatim serpens coaceruatum reipublicæ detrimentum affert, quorum ne quid hoc tempore patiamini, istum ne relaxetis, qui uobis tam insignes iniurias intulit. Et ut uere fateamur, qui sermo de uobis erit? si hunc dimiseritis, ex Athenis in legationem cessere nonnulli ad hunc Philippum, Philocrates, Aeschines, Phrynon, Demosthenes, quid tum, hic quidem ultra q̃ ex legatione nihil lucratus fuit, proprijs nũmis captiuos redemit, ille uero quibus pecunijs Rempublicam uenundedit, his scorta & pisces mercando tota urbe ua

gatur, alius uero filium ad Philippum misit, priusq̃ togam uirilem sumpsisset, scelestus scilicet Phrynon hic nihil neque se neque ciuitate indignum peregit, hic ludis liberalibus, & triremibus dum praeesset, eam adhuc summam ultimo impendere necesse sibi putauit, in seruitutem abactos liberare, neminem ciuium in calamitate prae egestate existentem contemnere, ille uero tantum abest ut aliquem captiuum seruare uoluerit, ut quo pacto integra regio, & plures, q̃ X. milia militum, pariterq; plures quàm mille equites ex his, qui socij erant Philippi captiui efficerentur, curarit. Quid ergo Athenienses, eos cum comprehendissent, fecere? iampridem enim eas res nouerant, quid? eos, qui nũmos & munera acceperant, & qui se ipsos, Rempublicam, suos liberos dedecorauerant, absoluerunt, & ingenio ualere existimarunt, ac ciuitatem feliciter agere. Accusatorem uero quid? delirare, ciuitatem ignorare, non habere quo sua proijciat. Ac quis uiri Athenienses cum id uideat exempli, iusta se gerere uoluerit? quis gratis legatione fungi, si neque sumere liceat, his qui pecuniam sumpserint non magis fides praeditum apud uos se uisum iri putet. Quare nõ istos tantummodo hodierna die di iudicatis, non. sed legem in uniuersum futurum aeuum his fertis, num argento pro hostibus legationem turpiter obire liceat, an pro uobis gratis & incorrupte optima quaeq; facere. Verum enim nullo praeterea teste quo ad reliqua indigetis, q̃ uero ad Philippum Phrynon filium miserit, euoca mihi testes his de rebus. TESTES. Hunc itaq; Aeschines non indicauit, q̃ suum ipsius filium ob dedecus ad Philippum misisset. si uero aliquis iuuenili aetate, & forma altero

præstantior fuerit, neq; prospexerit, illo aspectu quam de se opinionem sit creaturus & per ætatem paulo licentius uixe-rit, hunc quasi se prostituisset, iudicio eius rei subiecit. Age uero iam mentionem facio de inuitatione ad epulum, & de decreto, parum enim abfuit, quin ea quæ uel maxime uobis re censere mihi ne esse erat, præterierim. Dum itaq; ego in prima illa legatione in curia decretum tulissem, & rursus ad populum his concionibus, quibus uos de pace deliberaturi eratis, cum nullus sermo adhuc ab istis exijsset, neq; aliquod facinus pateret, legē de more tuli, hosq; laudaui & in Pry-taneum conuocaui, atque me hercle Philippi quoque legatos hospi tio egomet suscepi, idq; uiri Athenienses admodum splē dide, quoniam, cum eos uidissem ob eiusmodi res ibi glorian-tes, ueluti perbeati & magnifici essent, q̃primum animo sta tuebam, ut ipse in primis his in rebus eos antecellerem, & munificentissimus esse uiderer. ista nunc is, dum orabit, addu-cet, dicetq; uos ipse laudauit, ipse legatos ad epulas inuitauit, quando id actum fuerit, non discriminans, ista etenim fuere, cum nondum aliqua in re ciuitas læsa esset, & antequam isti se uendicasse palàm facti fuissent, cū recentes eo primum tempore uenissent, & populo quid dicerent, audiendum foret, ac nōdum is Philocrati patrocinium impendere aperte agno-sceretur, neque ille ista tulisse. si itaq; illa dixerit, tempora re cordemini, q̃ scelera præcessere. Ex inde, q̃ cum istis nihil mihi proprium communé ue fuit, testimonium recita. TE-STIMONIVM. forte igitur ei frater aderit Philo-chrates & Aphobetus, quibus ambobus à uobis multa & iu re sunt respondenda. Necesse enim est uiri Athenienses libe-

re & non dissimulanter loqui. Nos, Aphobete & tu Philochrates certe te nouimus, q, Thecas pro uasis unguentarijs & tympana pingis, hos,q, inferioris ordinis scribæ sunt, & abiecti homines, atque ista nulli quidem uitio danda sunt, ue rum enim prætura, legationibus, præfecturis exercitus, maximis magistratibus digna non duximus, si itaque nemo uestrum nil flagitij commisisset, non uobis nos gratiam ob rem ullam, sed uos nobis ob id iure deberetis, cum multos uobis multo digniores honore afficere neglexerimus, & uos honestare nos uoluerimus, q, si in his ipsis, quibus cohonestati fuistis, aliquis uestrum facinorosus fuit, atque ea per eum modum tractauit, quanto magis & merito, odio ut habeamini, q̃ ut seruemini, digni estis, & ualde quidem id reputo, fortasse igitur uim afferent clamatores & impudentes homines, idq; cum fratri auxiliandum assumpserint, ut ueniam detis, uos uero ne flectamini, illud ad animum reuocando, q, istis cõuenit, ut istius curam gerant, uos autem legũ & Reipublicæ uniuersæ, ac preter reliqua, iurisiurandi, quod uos sedentes iurauistis, atq; si quos, ut hunc seruetis, deprecati fuere, utrum iniurius non fuisse in Rempublicam, an fuisse uideatur considerate, si enim iniuriam non fecit, & ego aio ipsum seruandum esse, sin uero prorsus iniuria affecit, etiam si minimum peccasset, ut peieretis, deprecantur, non enim (quamuis suffragium occulte feratur,) Deos fallit, sed & id optime præ cæteris legislator prospexit, ut suffragatio occulta esset, quid ita? quia nemo ex his sciturus erat, quis uobis ipsis gratificatus fuisset, Dij autem & numen scituri forent, qui iniuste suffragatus esset, à quibus multo melius est, ut cuique

que

que spes bona & ei eiusq; liberis, dum iusta & consentanea decernit, quæratur, q̃ ut his clandestinam & incertam gratiam collocet, atque istum absoluat, qui aduersus se ipsum testimonium dixit, quem enim testem Aeschines maiorem exhibeam, q multa & grauia abs te in legatione acta fuerint, q̃ te aduersus te ipsum? cum eum duxeris tali tantæq; miseriæ subdendum, qui aliquid ex his quæ in legatione abs te gesta sunt, palàm fieri uolebat. patet enim q aliquid extremum te passurum addubitabas, si hi facinora tua didicissent, id ergo, si uos mentis compotes estis, quod ab eo peractum fuit, aduersus ipsum uenturum est, non solum ex eo, q mirificum indicium id est admissorum per legationem, sed & quia cum illũ accusaret, ea ũerba dixit, quæ nunc contra ipsum facient. Iura enim, quæ definiuisti, cũ Timarchum accusabas hæc ipsa, hæc inquam & aduersus te, par est, ut alijs prosint. Tunc ergo ad iudices dicebas, q Demosthenes pro eo defensionem suscepturus esset, & res à me in legatione gestas criminaturus. Deinde si uos orando seduxerit, iactaturus esset, & tota urbe uagando dicturus quid eiusmodi, iudices à proposito abduxi, & ab eo, re ab eis extorta, tu uide ne id agas, sed de quibus controuersia est, pro his te defende, tunc enim cum illum accusabas tibi, quodcumque uolebas criminari, & dicere licebat, atque in conspectu iudicum dicebas, cum nullum testem his de rebus haberes, pro quibus hominem insectabaris, quem præbere posses.

Non moritur fama omnino, quam turba uirorum
Plurima uulgauit, quoniam est ipsa una Dearum.

At qui Aeschines & te hi omnes ex legatione pecuniam re-

portasse aiunt. quare & contra te id certe facit.

Non moritur fama omnino, quam turba uirorum
Plurima uulgauit.

Quanto enim plures te quàm illum damnant, considera ut res se habeat. Timarchum ne finitimi quidem agnoscebant, nos autem legatos nullus Græcorum, ne dicam Barbarorum est, qui non dicat ex legatione pecuniam consequutos esse. quare si fama ueritatem assequitur, etiam contra uos facit, cum à multis nascatur. quam quod fidem faciat oportet est enim ipsa una Dearum. ac q sapiens Poeta is fuerit, qui ista cecinit, tu te ipse asseruisti. Præterea Iambicis qbusdam collectis, ita conclusit, uidelicet,

Qui nanq; uersatur libenter cum improbis,
Nihil requiro, quippe qui cognouerim
Eum esse similem ijs, quibus is assueuerit.

Deinde cum illum ad aues se conferre, & cum Pittalaco deambulare diceret & similia. ignoratis inquit, qualis iste existimandus sit? Ergo Aeschines nunc Iambica ista etiam mihi aduersus te congruunt, & si ego ea istis coram retulero, recte & congruenter loquar,

Qui nanq; uersatur libenter cum Philocrate
In legatione committens eadem facinora,
Nihil requiro, quippe qui cognouerim.

Argentum eum accepisse, sicut qui id fatetur Philocrates. Dum uero alios Orationum opifices & dicendi magistros appellarit, & contumelia afficere tentarit, ipse his obnoxius esse deprehendetur. hi enim senarij sunt ex Phœnice Euripidis. Hanc uero fabulam nunquam Theodorus, nec Aristodemus egit, quibus is dum tertiarum partium actor esset,

assecla fuit, uerum Molon recitauit, aut quiuis alius ex antiqs illis Histrionibus. Sophoclis uero Antigonem sæpe Theodorus, sæpe Aristodemus representauit, in qua cum Iambea quædam honesta & uobis conducibilia contineantur, illa is sæpe retulit, & exacte cum sciret prætermisit. id etenim scitis, q in omnibus fabulis Tragicis eximium quoddam quasi munus eorum est, qui tertias partes agunt, Tyrannorum & sceptra tenentium personas gerere. ista itaque in hac fabula aduertite, Creon Aeschines cum esset quæ dicere à Poeta fingatur, quæ secum is pro rebus legationis non disseruit, neq; ad iudices protulit.

IAMBEA SOPHOCLIS EX ANTIGONE.

Difficile quippe est antea cuiuspiam
Hominis animum, & sententiam cognoscere,
Quàm in principatu is, ciuiumq; in legibus
Versatus exploretur, atq; appareat.
Nam qui uniuersam rem gubernans publicam
Rebus in agendis optime non consulit,
Sed ore præ timore conclusam tenet
Linguam, uir iste apud me habetur pessimus.
Item qui amicum pluris æstimat suum
Quàm patriam, eum prorsus nihili habendum puto.
Nanq; ego, sciat qui cuncta lustrat Iuppiter,
Nunc calamitatem si uiderem ciuibus
Aliquam imminentem, pro salute & gloria
Nunquam tacerem, neq; uirum hostem patriæ
Vnquam mihi socium, atq; amicum redderem.
Id scilicet planè sciens, solam esse eam:

Quæ dat salutem, in quaq; quisq; nauigans
Dum erecta est & salua, amicos comparet.

Nihil ex his secum dixit Aeschines in legatione, sed ciuitati Philippi hospitalitatem & amicitiam multo magis sibi præferendam putauit, conducibilioremq; fore, salutemq; plurimam dixit sapienti Sophocli. & cum calamitatem serpere pariter uideret, expeditionem s. aduersus Phocenses, non admonuit, neq; ante denunciauit, sed contra occuluit, & adiuuit, ac eos, qui id dicere uellent, repulit, id minime recordatus, quòd ipsa ea est, quæ seruat, & in illa mater eius initiando & lustrando, & eorum ædes depascendo, qui eius opera uterentur, hos tam insignes educauit, quòd pater cum literarium ludum haberet, ut ego à maioribus audiui iuxta herois Medici Fanum, sicuti uires eius ferebant, uerumtamen in hac uitam traducebat. hi uero cum inferioris ordinis scribam agerent, & omnibus magistratibus deseruirent, argentum collegere, & postremo à uobis scribæ creati cum essent, per duos annos intra publicorum actorum cancellos enutriti fuere. Legatus præterea is designatus ex hac emissus cum esset ista minime cogitauit, neque quo pacto recte nauigaret prospexit, sed prostrauit & demersit, ac quoad ipse potuit, ut omnia in hostium manibus poneret, elaborauit. Non'ne tu sapientiæ ostentator & nequam? non'ne Orationum scriptor? & Deorum hostis? qui ea quæ sæpenumero in theatro egeras, & accurate intellexeras transgressus fueris. quæ uero nunquam in tota uita repræsentasti, ea cum tu perquisiuisses, é ciuibus ut læderes aliquem, in medium attulisti. Agite iam & de Solone quæ uerba fecerit considerate. Solonem

enim dixit erectum fuisse, ut pro exemplo modestiæ & temperantiæ esset illis, qui tunc publice orabant, ac intra indumentum manus continentem, ut Timarchi petulantiam increparet & asperius admoneret. At qui statuam hanc uix dum quinquaginta annos Salaminij dicunt extructam fuisse à Solone, tamen ad hoc usq; tempus ducenti sunt & quadraginta anni, adeo ut opifex, qui speciem illam confinxit, non solum ipse eo tempore non extaret, sed ne auus quidem eius. id tamen iudicibus exposuit, & imitatus fuit. quod uero magis quàm habitus ille ciuitati conferret, erat, ut animus & mens Solonis perspiceretur, hanc imitari noluit, sed prorsus contra se habuit. Ille nanq; Salamin cum ab Atheniensibus defecisset, & capitalem pœnam edixissent ei qui eam recipiendam proponeret, uitæ periculum subiens, Elegiaca, quæ composuerat, canebat, & eam regionem Reipublicæ asseruauit, atq; iniustam rebus ignominiam depulit. iste uero, quam Rex & uniuersa Græcia uestram fore Amphipolin statuerant, hanc dedidit, & abalienauit, et ista promulganti assensus est Philocrati. res profectò eo homine digna. neq; enim tunc Solonis meminisse poterat. atq; ista non solum hic peregit, sed & cum illuc profectus esset, ne loci quidem nomen expresfit, pro quo legatum agebat, illaq; uobis retulit (recordamini nanq; ipsum dicentem) quòd de Amphipoli habebam quidem & ego quid dicerem. ut autem Demostheni copia de ea dicendi fieret, prætermisi. Ego certe cum in medium prodijssem, nihil eorum dixi, quæ ad Philippum dicere uolebat, mihi reliquisse. citius nãq; sanguinem eum quàm Orationem cuipiam impartiri posse. Sed, ni fallor, is qui,

nummos sumpserat contra Philippum dicere non poterat, qui ob id largitione usus fuerat, ne illam redderet. recita & ista Solonis Elegiaca, ut pernoscatis quòd & Solon eos homines oderat, qualis est iste. non intra pallium manus tenentem orationem habere oportet Aeschinem, non, sed legatione fungentem intra manus tenuisse. Tu uero cum manus exporrexeris & repoposceris, ac istos dedecoraueris, hic grauitate quadam in loquendo uteris, & frigidos quosdam sermunculos meditatus & uoce exercitatus tot tantorumq; scelerum te pœnas non daturum putas. quanquam pileo capiti imposito circumeas, & me conuitijs exagites, dic tu,

ELEGIACA SOLONIS.

Non unquam fato Iouis urbs hæc nostra peribit,
Atq; beatorum mente potente Deum,
Magnanima huius enim custos patre nata superbo
Est supra retinens Pallas amica manus.
Stultitia imperium sed magnum perdere malunt
Ardentes ciues æris amore nimis.
Mens non æqua Ducum populi, qui multa subire
Contemptu ex grandi damna repente solent.
Non moderantur enim sibi, lætitiamq; quietis
Præsentem nolunt exonerare epulis,

Rebus opes augent, accumulantq; malis

Non ullis Diuum, non hominumq; opibus
Parcentes, rapiunt alius hincinde rapinam
Fundamen seruant nec graue iustitiæ,

Quæ simul & præsens scit, præteritumq; silendo
 Aduentat soluens tempore cuiq; suum,
Publicæ & ipsa rei facit ulcus non reparandum,
 Iamq; cito uentum est in graue seruitium,
Pellit & ad pugnam, sic suscitat arma sopita
 Et multis æui tempora læta secat.
Destruit hostis enim per amœnam protinus urbem
 Turpe ubi concilium turbat amicitiam.
Crimina tanta quidem populo uersantur in isto,
 Sed petet externos pauper inopsq; lares.
Venditus & palmas fœde post terga reuinctus,

Sic commune malum priuatas pergit ad ædes
 Aulæ, nec clausum limen adesse potest.
Transilit & supra septa, inueniuntur & illi
 Quos fuga dispersit per loca cæca domus.
Actæi ciues pietas mouet ista docere.
 Nam spretæ leges plurima damna ferunt.
Iustitia & decora affert, reddit & integra quæq;
 Ponit & æternum uincula dira malis,
Conuitium delens, fastidia, & aspera tollit,
 Flores nascentis destruit illa mali.
Sic operum nimia obtruncat, causasq; forenses
 Dirigit, & mire seditiosa necat.
Quam mouet haud facilis contentio, mitigat iram,
 Integra sic ipsa cuncta uolente manent.

Auditis ne uiri Athenienses de eiuscemodi hominibus quæ dicat Solon, nec non de Dijs, quos ait ciuitatem seruare? Ego

enim ea uerba perpetuo uera esse, reor, & opto, quòd scilicet Dij Rempublicam nostram conseruent. qua uero ratione id putem & uelim, & quòd ea omnia, quæ in hoc reddendæ rationis negotio euenere, diuinæ cuiuspiam beneuolentiæ specimen ciuitati præbuerint, quæso animaduertite. Hic cum multa & periniqua in legatione admisisset, & ea loca prodidisset, in quibus Dij, ut à uobis & socijs colerentur, par erat, quendam eius accusatorem ex animi sententia infamia notauit. quid ita? ne miserationi, aut ueniæ quibus in rebus, ipse iniurius fuit, locus detur, sed & cum eum criminaretur, maledictis me insectatus fuit, & accusationem iterum ad populum se relaturum, ac id genus alia minabatur. cur? ut plurima cum indulgentia uestra, qui huius flagitia diligentissime noueram, & omnia obseruaram, ego accusator constituerer. Et cum uitaret, ne aliquid in commemorationem præteriti temporis incideret, ad eam occasionem deuenit, in qua posteritatis gratia si nullius alterius rei fieri non potest, neq; uobis tutum esset, si hunc muneribus corruptum indemnatum dimitteretis. Cuilibet quippe tempori congruit odio habere & plectere proditores, & uænales, maxime uero in præsentia opportune id fieret, & omnibus communiter hominibus prodesset. Morbus enim iste uiri Athenienses Græciam inuasit, & summe est periculosus, atq; multiplicem quãdam prosperitatem & curam uestram requirit. qui enim in urbibus insignes & digni, ut Reipublicæ præsideant habentur, cum suæ ipsorum libertatis miseri ꝓditores existant, in seruitutem ultro ad se accersitam adducuntur, dum blanda appellatione hospitalitatis & sodalitatis & amicitiæ, & reliquorum hu

iusmodi Philippo assentantur. Cæteri uero & quicunq; principatum, in qua sunt ciuitate obtinent, quos istos punire decebat, & sine ulla mora è medio tollere, ab eo, ne quid eiusmodi agant usq; adeo abstinent, ut eos admirentur, & æmulentur, & quisq; ex eis talis esse desideret. At qui ea res & istiusmodi æmulationes, Thessalorum quidem uiri Athenienses usq; ad hesternum & ab hinc tertium diem principatum & communem existimationem deleuerunt, in præsenti uero libertatem quoq; abripiunt. illorum enim arces quidam ex Macedonibus custodiunt, & cum in Pelopōnesum introiuisset, in Helide internitiones peregit, & tantæ iniquitatis et furoris illos miseros repleuit, ut eorum inter se dominatus gratia, & Philippo gratificandi, suorum cognatorum & ciuium sanguine se contaminarint. atq; ne hic quidem constitit, sed Arcadiam ingressus, omnia, quæ ibi erant, sursum & deorsum inuertit, & nunc quoq; pleriq; Arcades (ipsis enim sicuti pariter & uobis conuenit ob libertatem, uel maxime prudenter agere. soli etenim uos præ cæteris nec non & illi estis indigenæ) Philippum reuerentur, et æreum construxere, ac corona ornauerunt, ac deniq; si Peloppōnesum adierit, ut intra urbem illum recipiant, sunt decreturi. Ista eadem Argiui faciunt, ista per Cererem, nisi nugari oporteat, non mediocriter sunt præcauenda, quoniam dum circumcirca uagatur hic morbus, huc quoq; ô uiri Athenienses ingressus est. dum itaq; in tuto estis, prouidete, & eos, qui primi hunc introduxerint, ignominia afficite, sin minus, uidete, ne tunc, quæ nunc dicuntur, merito dicta fuisse uideantur, quando nec quid agatis, sitis habituri. Non'ne cernitis quàm ex-

uitates omnes Chalcidicæ regionis proditores perdiderunt, et Philippus non amplius quid his, qui prodiderant, obtemperaret, haberet neque quid primum caperet, quingentos equites ab ipsis ductoribus proditos unà cum armis ipsis Philippus accepit, quot nullus ex mortalibus unquam, neque q̃ ista patrauerunt solem uerecundabantur, neque terram, quæ illorum patria erat, in quibus degissent, neque templa, neq; sepulchra, neque apud posteros ob huiusmodi facinora futurã infamiam, ita amentes uiri Athenienses, & uecordes eos efficit corruptela, uos itaq; uos populariter ad ea recte aduertere necesse est, neq; illa permittere, sed publice castiganda decernere. Nam supra modum esset, si aduersus Olynthiorum proditores multa & grauia statuistis, eos autem, qui apud uos ipsos deliquerunt punire nolle uideamini, dic ergo Olynthiorum decretum. DECRETVM. Hæc uiri Athenienses recte & honeste omnibus Græcis & Barbaris decreuisse uidemini aduersus homines proditores & dijs inuisos, quoniam uero largitio eiusmodi rerum actionem antecedit, & ob eam nonnulli ista agunt, quem uiri Athenienses munera accipientem uideritis, hunc & proditorem esse censeatis. q̃ si unus tempora, alius rerum statum, his milites prodiderit, quarum rerum uidelicet potestatem quisque uestrum nactus fuerit, eas perdit. sed eodem modo tamen eos omnes odio habere conuenit. Licet autem uobis solis uiri Athenienses supra cæteros homines circa eas res uestris exemplis uti, & maiores uestros, quos merito laudatis re ipsa, imitari. Quod si tempora non ferunt ut bella, expeditiones, & pericula immineant, quibus illi illustres fuere, uerum in præsenti

uos quietem agatis, illorum tamen sapientiam imitemini, ea enim omnibus in rebus usui esse potest, neque enim maiori negotio aut molestia ut quis recte quàm male sentiat; paratur, sed eodem tempore, quo quisque uestrum sedet, si ea quæ Rei publicæ conferunt, cognouerit, & decreuerit, statum ciuitatis communem meliorem reddet, & digna maioribus suis efficiet, q si quæ usui non sunt, peregerit, deteriora & patribus indigna conficiet; quid igitur illi de his senserunt? Hæc sumens recita scriba, uos enim aduertere oportet, q his in rebus desidiosi estis, ob quas maiores pœnam mortis intulerunt. ista dic tu. ACTA NOTATIONIS. Auditis uiri Athenienses acta dicentia Arthmium Zeleten Pythonactis filium inimicū esse & hostem populi Atheniensis & sociorum, non ipsum solum sed et eius uniuersum genus, quid ita? quoniā aurum à Barbaris in Græciam intulisset. ex ijs itaq; (ut uidetur) perspici potest, q maiores uestri, ne quisquam hominum pecuniæ largitione aliquo incōmodo Græciā afficeret, curæ habebant. Vos uero, ut ne in ipsam quidem Rēpublicam iniurius ciuis quispiam existat, prospicitis. At hercle prout res tulit eiusmodi acta incisa manent? uerū cum tota ea arx sacra existat, & multum spatij habeat, apud æneam magnā Mineruam ad dexteram eminent. quod quidem donarium ex bello Barbarico cum pecuniam eam Græcia donauisset, ciuitas dedicauit. Tunc ergo usq; adeo sancte ius uenerabatur, & earum rerum authores ut punirentur, tanti æstimabatur, ut & illud Deæ donarium & pœnarum seueritas aduersus eiusmodi iniurios eadem statione digna haberentur. Nunc autem ea risui, contemptui, dedecori habentur, nisi nimiam

hanc licentiam nunc uos conpescueritis. existimo itaq; uos uiri Athenienses non si in una dūtaxat re maiores uestros imitati fueritis, recte facturos, sed & si in omnibus, quæ ipsi continuo gessere, illi quippe (sicuti scio omnes eū sermonem audiuisse) Calliam Hipponiti filium, qui eam ab omnibus decantatam pacem in legatione sanxerat hac conditione, ut Rex neq; pedestri itenere intra diurnum equi cursum ad mare descendere, neq; intra Chelidonias & Cyaneas longo nauigio posset nauigare, quoniam cum legationem egisset munera cepisse uidebatur, parum abfuit, quin interfecerint, in rationum autem disquisitione quinquaginta ab eo talenta exegerunt. At qui pacem ea cōducibiliorem neq; superiori ætate, neq; sequenti tempore quisq; dixerit ciuitatem fecisse. Veruntamen illud non cogitabant, eius enim rei suam ipsorum uirtutem & urbis authoritatem causam esse arbitrabantur, q; uero gratis nec'ne id fieret, moribus legati tribuebatur, eū itaq; æquabilem & incorruptum se præbere debere existimabant, qui ad Rempublicam accederet, illi ergo largitionem usq; adeo repugnantem & inutilem esse ciuitati putabant, ut in nulla actione nulloq; uiro eam fieri paterentur. Vos autē uiri Athenienses cū eandem pacem uideritis sociorū uestrorū mœnia destruxisse, legatorū domos cōstruxisse, & Reip. opes abstulisse, istis ea, quæ ne in somnis qdem unq̄ sperauerant, acqsiuisse, uos eos non interfecistis, sed accusatorem requiritis, & uerbis eos iudicatis, quorum delicta re ipsa omnes aspiciunt. neq; uero aliquis hæc peruetusta tantum commemorare, ac uos istis exemplis ad uindicationem potest impellere, sed plurimi quoq; ætate uestra, ex his qui uiuunt adhuc, ho-

minibus pœnas luerunt, ex quibus quidem reliquos prætermittam, sed ex his tantummodo qui ob legationem, quæ multo minoribus, q̃ ista malis ciuitatem affecerat, ultimo supplicio damnati sunt, unius aut duorum mentionem faciam. Atqui sume decretum, & illud recita. DECRETVM. hoc decreto uiri Athenienses legatos illos uos capitali pœna damnastis, quorum unus erat Epicrates uir, ut ego à senioribus audiui, frugi & admodum Reipub. utilis, ac unus ex his qui populum è Piræo reduxerant, & alioquin popularis, attamen nihil horum ipsum adiuuit, & iure meritoq́;, nõ enim ex parte is bonus esse debet, qui tot tantasq́; res administrare uelit, neq; is, qui apud uos fidem nactus fuerit, ut multo magis maleficus esse possit, ea re abuti debet, uerum simpliciter ut nulla in re in uos sciens et prudens iniuriosus existat, si itaq; aliquid eorum ab his infectum fuit, ob quæ illi morte mulctati fuere me iam nunc interficite, cõsiderate enim, quoniã præter mandata, (inquit) legationem obierunt ac præter decretum, idq́; uel primum est ex his quæ crimini dabantur. Hi uero non'ne præter mandata? non'ne decretum Atheniẽsibus Atheniensiumq́; socijs pacem mandat fore communem? isti uero Phocenses fœderibus exclusos fore declararunt? Nõ'ne decretum magistratus iniungit, qui in ciuitatibus sunt, ut ad iuramenta obstringerent, isti uero quos Philippus ad eos miserat, ad iuramenta adegerunt? Non'ne decretum, soli ut nusquam Philippo conuenirent præscripserat? isti autem nunq̃ destiterunt, ut cum eo priuatim colloquerentur? atque non'nulli ex ipsis in Senatu, redarguti fuere, q; uera non retulissent, hiq́; itidem ad populum, & à quo'nam? id enim profecto est

quod præclarum est, ab istis utique rebus his etenim, quæ, isti renunciarant, omnia certe contraria euenere, neq; uera ait decretum illos per literas significasse, atqui neq; hi illud fecere, & de socijs mentitos fuisse & munera accepisse. At loco mēdacij isti omnia prorsus perdiderunt, sed id certe multo grauius est quàm ementiri. Verumenim q̄ dona ceperint, si id inficientur, ut conuincerentur superesset, quoniam uero id fatentur consentaneum utique est, ut ad supplicium rapiantur. Quid ergo uiri Athenienses, cum ea ita se habeant, uos ex illorum utrorum numero cum sitis, quorum aliqui adhuc sunt incolumes, patiemini de populo benemeritum & ob gesta in Piræo, Epicratem exulare, & pœna affici? atq; rursus paucis ante diebus Thrasybulum illum alterius Thrasybuli popularis uiri filium, & qui populum è Phyla reduxerat, talentorū X. debitorem constitutum esse? nec non & eos, qui sunt ab Harmodio & Aristogitone, quiq; maximis beneficijs uos affecerūt, quos ex lege ob eorum benefacta, quæ in uos contulerunt, in omnibus fanis & sacris libamentorum & paterarum participes esse uoluistis, eosq; decantatis non secus ac Heroas & Deos atq; reueremini, hos inquam omnes pœnam legibus dedisse, & neq; ueniam, neq; misericordiam, neq; pueros flentes, qui eiusdem essent, cum illis beneficis cognomenti, neq; quicquam aliud ipsos iuuisse patiemini. Atrometi uero grammatistæ & Glaucotheæ filium, quæ Thiasis cogendis præerat ob quod altera sacerdos perijt, qui nulla in re utilis fuit ciuitati, non ipse, non pater, eius, nec quisquam alius ex eo, hunc absoluetis? qui equus? quæ triremis? quæ expeditio? quæ choragia? quis chorus? quod

ministerium? quod imbutum? quæ beneficentia? quod periculum? quid ex his omnibus per uniuersum æuum ab istis obtigit ciuitati? Quinimmo etiam si ea omnia constarent, illud tamẽ non adesset, quod iure & gratis in legatione se gesfisset, utiq; ei, ut pereat, conuenit, quod si nec ista, nec illa adsunt, non'ne eum punietis? Non'ne recordabimini, quæ iste dicebat, dum Timarchum accusaret, nulli usui esse eam ciuitatem quæ neruos non habeat aduersus iniurios, itidemq; & Rẽpublicam, in qua uenia & ambitus magis ualeant, quàm leges, neq; uos misereri debere matris Timarchi mulieris uetulæ, neque filiorum, neq; cuiusquã alterius rei, sed illud prospicere, quod si leges & Rempublicam posthabueritis, inuenturi non sitis, qui uestri misereantur. Verũtamen uir ille infelix infamia notatus fuit, quoniam istum deliquisse aduertit, iccirco ei ut sit indemnis cõdonabitis? Quamobrem? si enim ab eis qui in seipsos peccarunt tantam pœnam sumendam esse censuit Aeschines, ab illis, qui aduersus Rempublicam usq; adeo iniuriosi fuere, ex quibus unus is esse coarguitur, quam'nam uos, qui iurati & ut iudicetis hic adestis, ab isto sumere oportet? At hercle iuuentus uestra ex illa contentione honestior est futura, igitur & ex hac illi, qui Rempublicam administrant, per quos maximo in periculo ciuitas constitui solet, ad meliorem frugem sunt deuenturi. Nam de his quoque cura est habenda, ut igitur conspiciatis, quod hunc perdidit Timarchum, non per Iouem ut liberis uestris qua ratione casti forent, prospiceret, præter enim hæc uiri Athenienses continentes existunt, neq; enim ciuitatem ita male affectam uelim, ut iuuenes Aphobeto & Aeschine moderatoribus indigeant, sed quoniam dum

esset

esset in Senatu, legem tulisset, si quis ad Philippum arma ferre, aut naualia instrumenta deprehensus foret, capitis pœna esset. argumento illud est, per quot tempora Timarchus conciones habere consueuit, utiq; per multa. At qui per ea omnia tempora Aeschines in ciuitate fuit ac nunquam indignatus extitit, neq; rem animaduersione dignã esse putauit, q̃ his concionaretur, usq; quo in Macedoniam profectus se mercenarium reddidit. sume Timarchi decretum ac illud perlege. DECRETVM. Qui igitur pro uobis scitum fecit, arma belli tempore ad Philippum non uehenda, sin minus, mortis pœnam infligi, concidit & ignominia affectus fuit, qui sociorum uestrorum arma illi tradidit, hic ipse accusat, & uerba faciebat de prostituta pudicitia ô terra & Dij duobus affinibus assistentibus quos si uos intueremini utiq; exclamaretis, Nicia scilicet scelerato, qui se ipsum Chabriæ Aegyptum petenti mercede locauerat, & execrando Cyrebione, qui cursat in pompis absq; persona. At quid ista recenseo? immo cum intueretur Aphobetum fratrem. Veruntamẽ aduersis fluminibus, illa die quotquot fuerunt de prostituta pudicitia uerba omnia fluebãt. Quinimmo ad quantam ignominiam ciuitatem uestram huius nequitia & ementita renunciatio redegerit, reliquis omnibus omissis quod omnes scitis, explicabo. antea enim uiri Athenienses quid nam apud uos decerneretur tota reliqua Græcia obseruabat, nunc autẽ nos circũuagamur, quid ab reliquis statuatur speculando, & arrectis auribus explorando, quid habent res Arcadum? quid Amphictyonum? quo tendat Philippus? uiuat an mortuus sit? non ne hæc facimus, ego enim nõ metuo an Philippus uiuat,

ſed an uirtus illa ciuitatis iniquos odio habendi & etiam puniendi perierit, nec me territat Philippus, dummodo res uestræ proſpere ſe habeant, ſed ſi his impunitas detur à uobis, qui ab illo mercedem capere uoluerint, & ſi aliqui adſint, qui iſtis patrocinium impendant, quorumq; aliqua ſit apud uos authoritas, quiq; cum toto priori tempore negarint, q̧ nihil pro Philippo agerent, modo conſcendant, iſta me perterrent. Cur ergo Eubule, cum Ageſilaus reus ageretur, qui tibi eſt patruelis, & Thraſybulus pauloante Nicerati filius & patruus tuus dum accuſaretur, prima quidem ſuffragatione cum aduocareris, eis obſequi minime uoluiſti: ad iudicium uero pœnæ infligendæ cum conſcendiſſes, ne tantulum quidem pro eis dixiſti, ſed iudices deprecabaris, ut tibi ueniam darēt. Deinde pro cognatis & neceſſarijs hominibus ſuggeſtum nō aſcendis, ſcandes autem pro Aeſchine? qui, cum Ariſtophon Philonicum deferret, atq; per eum abs te geſta criminaretur, una cum illo te pariter accuſabat, atque inter inimicos tuos unus numerabatur. Poſtea uero q̃ Eubule hos excepiſſes, & ad Piræum iam deſcendi diceres oportere, & pecuniam conferri, & ex theatrali militarem fieri, uel in id ſuffragijs eundum, eſſe quod iſte defenderat, ſceleſtus autem Philocrates promulgarat. quibus ex rebus contigit, ut ex honeſta ignominioſa pax fieret, hi uero poſtquam ſequenti loco ſuis flagitijs omnia perdiderunt, tunc demum reconciliatus fuiſti? Et ad populum, dum Philippum damnares, & per liberos tuos iurabas, Philippum haud dubie ſi uelletis, interiturum fore, nunc autem ei auxilium feres? quo pacto igitur peribit? quando eos, qui ab illo munera acceperunt, ſaluos eſſe

uelis? quid enim Myroclea damnauisti, quoniam ab emptoribus metallorum XX. drachmas sigillatim exemisset, & Cephisophontem actione sacrilegij insectabaris? quia tertio insequenti die ad Palladis mensam septem minas deposuisset, eos uero qui se pecunias habere fateantur, quiq; in flagranti crimine deprehensi fuere, ac qui ista ex sociorum interitu perfecere, non damnas, sed etiam ut seruētur, postulas? At qui q̧ ista sint formidolosa, & uel summe prouidenda et prospicienda, ea autem, ob quæ illos accusasti, irridenda inde uidebitis. Num erant in Elide nonnulli, qui res ciuitatis expilarant? utique. est'ne igitur ibi aliquis qui in horum communione fuerit, qui populum dissoluerunt? nullus? quid cum Olynthus manebat, non aderant aliqui, qui istiusmodi ingenij essent? ego certe arbitror, at propter hos Olynthus'ne perijt? nequaquam, quid præterea, Megaris non'ne aliquem furem esse putatis? & qui publica compilet? necessario quidem, & id palàm factum fuit, at quis ex ipsis earum rerum, quæ ibi euenere, nunc author fuit? nullus. Verumenim qui'nam ac cuiusmodi sunt hi, qui tot tantaq; flagitia patrarunt? qui se ipsos exstimant dignos esse, ut Philippi hospites & amici appellentur, qui ad præturā & præfecturam se idoneos esse censent, qui se cæteris longe superiores esse oportere ducunt. Non'ne Perilaus palàm accusatus fuerat Megaris apud trecentos, q̧ ad Philippum accessisset, & cum Pteodorus processisset, ipsum depoposcit, uir & opibus & genere ac gloria uel inter Megarenses primus, atque rursum eum ad Philippū emisit, deindeq; is uenit militibus externis adductis, ille autem intra urbem ista moliebatur. non enim est, non est,

quod magis præ ceteris sit cauendum, q̃ ne quis permittatur, ut in populo emineat. mihi aliquis ne seruetur, ne'ue damnetur, quem hic aut ille concupierit, sed quem facta saluum faciant, contra'que is condignam à uobis sententiam ferat, quã par est consequatur, id nanque populare est. Præterea uero multi apud uos in occasionibus effecti potentes fuere, Callistratus ille, rursum Aristophon, Diophãtus, alij ante istos, uerum quis'nam ex his factiosus unquam fuit? Apud populum in iudicijs, nemo uestrum in hodiernam usq; diem, neq; legibus neq; iureiurando superior euasit, ne itaq; hunc ne dimittatis in præsenti. Quòd enim ista uos magis & merito cauere debeatis, quàm his fidem adhibere, Deorum uaticinationem perlegam, qui multo magis ciuitatem seruare semper uoluerunt q̃ eos, qui præfuere. recita uaticinationes. VATICINATIONES. Deos uiri Athenienses auditis, quæ uobis prædicunt? si itaq; uobis bellum gerẽtibus ista deperdita fuere, impetatores obseruandos fore aiunt, belli nanq; duces sunt prætores, q; si pacem feceritis, qui Reipublicæ præsunt, custodiri debent. hi nanq; uos regunt, his uos paretis, ab his timendum est ne seducamini. Atque ciuitatem ad id attendere oportere ait uaticinatio, ut unam eandemq; sententiam omnes habeant, & hostibus ne rem gratam faciant. Vtrum'ne igitur uiri Athenienses putatis is, qui tot facinora commiserit, si seruetur, an uero si pœnam luat, uoluptatem Philippo sit allaturus. ego quidem reor, si saluus fiat. ait quoq; uaticinatio, continuo studendum esse, ne hostes lætentur. Omnibus igitur uno consensu mandat, ut eos puniant, qui hostibus quoquo pacto deseruierint, Iupiter, Dione, O=

mnes Dij extra urbem sunt, qui uos insidijs petant, intra uero, qui illorum sunt administri. insidiantium ergo munus est donare, inseruientium dona capere, & eos qui acceperint seruare. praeterea quoq; humana ratione, id quis perspicere posset, q; omnium insidiosissimum & formidolosissimum est, si is qui rebus praesideat cum eis permittatur consuetudinem habere, qui non eadem cum populo sentiat. quibus enim modis Philippus reru omnium compos factus fuerit, ac quibus res maximas quae successere peregerit, animaduertite. ab his nanq; qui actiones uendebant, eas emendo, eos uero qui in ciuitatibus praesidebant, corrumpendo, & ipsos extollendo. haec igitur utraq; irrita facere si hodierna die uelitis in uestra siuu est potestate, si uidelicet eos qui istos defendut, minime audire uelitis, quinimmo ipsos nullius apud uos authoritatis esse ostédatis. nunc enim se rerum dominos iactat, cum uero qui se diuendidit, puniatis, atq; hunc ipsum omnes inspectent. Cuilibet enim merito irasceminí uiri Athenienses, qui istiusmodi fecisset & socios & amicos & tempora prodidisset, quibus ex rebus omnia apud quenq; ut bene aut male se habeant pendent. non tamen ulli potius neq; iustius q̃ huic est succensendum. qui enim cum se ordini illorum, qui Philippo diffidebant, inseruerit, solusq; ac primus omnium aduerterit, q; ille totius Graeciae communis hostis esset, transfuga factus est, & proditor, ac de repente à partibus Philippi stetit, quo pacto is dignus non est ut saepius conficiatur? uerumtamen q; ea ad hunc modu se habeant, ne is quidem poterit repugnare, quis enim est, qui Ischandrum ab initio ad uos adduxerit, quem huc ab amicis ciuitatis, qui erant in Arcadia.

uenire dicebat? quis est, qui Philippum in Græciam & Pelo ponnesum insidias parare uociferauit, uos autem dormire? quis est, qui pulchra & prolixa ac multiplici illa oratione cõcionatus fuerit, et Milciadis ac Themistoclis decretum perlegerit, nec non & iusiurandum illud Epheborum in templo Aglauri recitauerit? non ne is fuit? quis est, qui uobis suaserit, ut ad mare rubrum legationes mitteretis, q̃ Græcia à Philippo insidijs circũueniretur, uestra autem interesset ista prospicere, neq; res Græcas destituere? non ne fuit Eubulus, qui decretum tulit, qui uero in Peloponnesum legatũ egit, non ne hic Aeschines? illuc porro profectus quæ disseruerit, & fuerit concionatus, ipse uiderit. quæ autem uobis retulerit, uos omnes noui, q̃ meministis. Barbarum nanq; sæpenumero & pestem Philippum cum appellaret, conciones habebat. & q̃ Arcades uobis congratularentur, renunciauit, si rebus animum adhiberet & expergisceretur ciuitas Athenarum illud autem uel maxime indigne tulisse aiebat, q̃ Atrestidi à Philippo uenienti dum recessisset, occurrerit, cum quo mulieres & pueri ad XXX, numerum ambularent, ipse cum id esset admiratus q̃ uiatorem quendam rogasset, quis ille uir esset, et quæ turba cum eo? postea uero quàm audiuisset, quoniam Atrestides à Philippo eiusmodi Olynthiaca mancipia dono accepisset, & abiret, ei pergraue id uisum fuisse, & lacrymasse, ac Græciam deplorauisse, q̃ male se haberet, quæ talem sibi calamitatem infligi pateretur, ac uobis suasit, ut aliquos in Arcadiam mitteretis, qui eos accusarent, qui Philippi negotia gererent. ab socijs enim audiuisse dicebat, q̃ si ciuitas eius rei curam habitura foret, & legatos emisis-

ſet, illi pœnam daturi eſſent. iſta tunc itaq; honeſte & admodum pro exiſtimatione ciuitatis orabat, poſtea uero q̃ in Macedoniam peruenit, & ſuum ac Græcorum inimicum Philippum aſpexit nunquid ſimilia, aut quæ ad ea accedant perfecit? multum etenim abeſt, uerum neq; de maioribus mentionem faciendam, neque triumphos commemorandos, neque cuipiam ſuccurrendum. eos uero, qui hortarentur de pace cum Philippo ineunda cum reliquis Græcis conſulendum fore, ſe mirari, q; de ueſtris peculiaribus commodis aliũ quempiam perſuaderi oporteret, quoniam Philippus ipſe ô Hercules, omnium hominum Græciſſimus in dicendo eloquentiſſimus, & Athenienſium amantiſſimus eſſet, quoſdam uero ineptos in ciuitate uſq; adeo moroſos homines eſſe, ut eos nõ pudeat, ipſum conuitijs inſectari, & eum Barbarum appellare. fieri'ne igitur poteſt, ut idem uir, qui eadem, quæ ille prius dixiſſet, hæc dicere auſus fuiſſet, niſi eſſet corruptus? quid uero eſt? ille qui tunc Atreſtidem odio habuit propter Olynthiorum liberos & mulieres, nunc ſuſtinet idem quod Philochrates agere, qui ingenuas Olynthiorum uxores huc contumelioſe perduxit. atque ita eum propter uitæ impuritatem cognoſcitis, ut mihi ad præſens neceſſe non ſit, aliquid de eo turpe moleſtum'ue dicere, ſed ſimul ac illud tantum dixero, Philochratem mulieres conduxiſſe, dum uos omnes ſciatis, & qui circunſtant, quæ poſtea ſint conſequuta, ac quòd illas miſeras & infelices miſeramini, probe noui, quarum Aeſchines miſertus non fuit, neque ob eas Græciam deplorauit, q; apud ſocios à legatis contumelia fuerint affectæ, uerum pro ſe ipſo deflebit tali legatione functo, &

lus sanè id diceret, immo q, ea omnia à Barbaris occupata fuissent. Deinde quo'sne aliquis quidem ex hostibus his præconijs & laudationibus priuaret, earum Aeschines uos meminisse non concedet, qui ex illis geniti estis, ut ipse argentum accipiat? Cæterum cum reliquorum commodorum nulla sit defunctis communio, rerum profecto bene gestarum laudatio, eorum, qui ita laudabiliter mortui fuere, est ueluti ꝓpria merces quædam, neque enim tunc eis amplius cum inuidia est depugnandum, quibus laudibus cum iste eos orbare uelit, ipse dignus est, ut de gradu dignitatis deyciatur, atque hanc de eo uindicationem sumite pro maioribus uestris. Attamen eiusmodi sermonibus ô prauum caput facta maiorum cum fueris latrocinatus, & oratione illis detraxeris, rem totam perdidisti, qua tamen ex re multa agri iugera colis, & uir eximius euasisti. illud præterea non omitto, q, antequam omnibus malis Rempublicam affecisset, se scribam fuisse fatebatur, & uobis gratiam habere, q, ei suffragati fuissetis, seq; modeste gerebat, postea quàm uero infinita mala intulit supercilia extulit, ac si quis, Aeschinem scribam egisse dixerit quamprimum eius est inimicus, & male ait audiuisse, & per forum deambulat pallio ad talos demisso, & buccas inflando pari cum Pythocle gressu incedit, atq; unus ex his uobis iam est, qui se hospites faciunt & amicos Philippi, quiq; desideret à populari statu liberari, ac qui præsentium rerum constitutionem procellam & turbinem quendam esse existimet, qui tamen tunc adhuc tabularum publicarum Armariũ reuereretur, uolo itaq; uobis per capita recensere, quẽadmodum Phillippus uos urbibus expoliarit, istis Deorum

inimicis assumptis, è re autem uel summe esse uidetur, si uniuersa fraus à principio disquiratur & consideretur. Ab initio enim cum pacem appeteret, & eius regio à latronibus dissipata fuisset, & emporia essent intercluſa, ita ut nullum ille bonorum omnium usum haberet, illos, qui pro eo humaniter uerba haberent, misit, Neoptolemum, Aristodemum, Ctesiphontem. Vt uero ad eum peruenimus nos qui in legatione eramus, hunc statim mercatus fuit, ut in dicendo adiutor, in agendo autem administer esset scelerati Philochratis, ac si quis è nobis iure agere uellet, ut eum deprimeret. ad uos quidem epistolam conscripsit, qua uel maxime pacem assequi posse arbitrabatur, sed nihilo magis tamen qcq̄ magni neq; ita agere contra uos ei licuisset, nisi Phocenses oppressisset. id uero non admodũ facile factu erat. res autem ipsi quasi fortuito in eam occasionem deuenerant, ut uel nihil eorum, quæ euenire uolebat, esset perfecturus, uel necesse foret, ut ementiretur, peieraret, & eius improbitatis Græcos omnes & Barbaros testes faceret. si etenim Phocenses in societatem recepisset, & eis iusiurandum unà uobiscum reddidisset, fœdera, quæ cum Thessalis & Thebanis erant, quamprimum transgredi necesse fuisset, ex quibus istis quidem Bœotiam se expugnaturum iureiurando affirmarat, illis autem eorum imperio Pylæam subiecturum. sin uero eos non admisisset, sicuti non suscepit, uos minime permissuros, ut ipse ingrederetur, putabat, quinimmo ad Pylas præsidium laturos, quod nisi fuissetis decepti, utiq; fecissetis. quòd si id eueniret, sibi non dari rebatur, ut prodire posset, atq; ea non ab alijs ipsi, ut scitaretur, opus erat, uerum ipsemet eius rei

testis sibi constabat. Quando enim primum Phocenses Philippus superauit, & eorũ conductos milites fudit, ducemq; & imperatorem Onomarchum, tunc cum ex uniuerso humano genere nullus uel Græcus, uel Barbarus Phocensibus præter uos opem tulerit, non solum ingressus non est, aut ingressus, quicquam eorum, quæ uoluit, non peregit, sed ne propius quidem accedere potuit. Nunc uero profecto planè nouerat, cum res Thessalorum ab eo dissiderent, & Pheræi primum ipsum non sequerentur, Thebani autem superati & bello deuicti fuissent, & trophæum de eis constitutum esset, se ingredi non posse, si uos auxilia mitteretis, neq; si id armis aggredi tentarit quicquam se esse perfecturum, nisi dolus aliquis adhibeatur. Quo pacto itaq; neq; palàm uidebor peierare, & quæcunque uoluero, perficiam? quó nam pacto? ita, si aliquos Athenienses inueniam, qui Athenienses ipsos decipiant. huiusce enim dedecoris non amplius ego consors fiam. Exinde illius legati uobis dicebant, quòd Phocenses in socios Philippus non admittebat. isti autem id excipientes, t alia pro concione aiebant, quòd aperte honeste non posset Philippus Phocenses in societatem recipere ob Thebanos & Thessalos. si autem rerum compos fiat, & pacem assequatur, quæ in præsenti pacisci ipsum uellemus, tunc ea conficiet. Pacem ergo sub ea spe, & artificio, & calliditate à uobis absq; Phocensibus nacti fuere. Subsidium deinde in Pylas impediendum ipsi erat, pro quo auxilio quinquaginta triremes in unum paratæ erant, ut si Philippus aduentaret, ei uos occurreretis. Quo pacto igitur? quá nam arte ad eam rem rursus utendum erat? tempora uestra erant auferenda, & res eo

conducendæ de improuiso q, ita impenderent, ut si uelletis, exire non possetis. itaque isti ea fecisse apparent. Ego uero, ut sæpenumero uos audiuistis, cum ante proficisci non possem, & nauigium conduxissem, enauigare prohibitus fui. Sed & Phocenses Philippo fidere oportebat, & se ipsos ei tradere sponte sua, ut nulla mora rebus intercideret, neque aliquod aduersum decretum à uobis proueniret. Proinde q, Phocenses seruabuntur, ab Atheniensibus legatis annunciabitur. quare etiam siquis mihi diffidat, istis fidem habebit, & se ipsum eis concredet Athenienses uero ipsos nos accersemus, ut omnia, quæcunque uoluerint, dum sibi adesse putarint, nihil quòd contra nos sit, decernant. hi uero ea nomine nostro referent, & promittent, ob quæ, etiam si quodlibet contingat, non moueantur. Per eum modum & eiuscemodi artibus ab his supra quàm dici posit, perditis hominibus res omnes profligatæ fuerunt. At qui statim loco eius, q, Thespias incoli uideretis, Orchomenum & Coroneam direptas fuisse audiuistis. loco eius, quòd Thebæ deprimerentur, eorumq; petulantia & arrogantia excuteretur, Phocensium sociorum uestrorum mœnia diruta fuere, Thebani autem fuerunt, qui illa euerterunt, qui uerbis ab Aeschine fuerant dissipati. loco eius, quòd Euboea pro Amphipoli traderetur, propugnacula aduersus nos in Euboea Philippus præmunit, Gerastoq; & Megaris insidias struere non desistit. loco eius, quòd Oropum uobis restituturus esset. Pro Drymo & ea regione, quæ ad Panactum est, egredi cogimur armati, quod Phocenses quousque incolumes fuerunt, non fecimus. loco eius, q patria sacra in Templo statuerentur, & pecuniæ

Deo exigerentur. Qui ad præsens sunt Amphictyones effugiunt, & expulsi sunt, eorumq; regio uastata fuit. qui autem superiori ætate nunquam fuere, Macedones, Barbari, nunc Amphictyones esse, per uim aggrediuntur. siquis uero de pecunijs sacris mentionem faciat, de loco edito præceps deijcitur. Ciuitas Oraculorum præfectura dispoliata fuit. Resq; omnes quasi ad ænigma ciuitati nostræ euenerunt. ille quidem nihil est ementitus, & quæcunque uoluit, omnia perfecit. Vos cum ea speraretis, quæ uotis forè nũcupatis optassetis, eorum contraria accidisse uidistis. & cum in pace degere uideamini, grauiora sustulistis, quàm si in bello fuissetis. hi autem ob eas res pecuniam possident, & in hodiernam usque diem pœnam aliquam non dederunt. Quód autem ista captis nũmis sine controuersia prodita fuerint, eorumq; omnium præmium hi fuerint consequuti. Varijs modis id iam diu uobis planum factum fuisse ego existimo. & uereor ne contrarium quàm uelim faciam, dum nimis diligenter ea ostẽdere conor, uobis molestus sim, cũ uos ipsi iampridem illarũ rerum conscij sitis. Attamen illud præterea etiam audiatis. Extat'ne aliquis, quem uos uiri iudices, ex legatis, quos huc Philippus misit, statua ænea donaretis? quid? in Prytaneo eum'ne aleretis? aut quouis alio dono afficeretis? quo de Republica benemerentes prosequi consueuistis? ego quidem non censeo, quid ita? Neque enim uos ingrati estis, neque iniurij homines, neque improbi, sed quoniam omnia pro Philippo, nihil autem pro uobis fecere, dicere & uere & iuste possetis. deinde cum uos ad eum modum apud uos statuendum esse arbitremini, Philippus non idem sentiet? Sed istos tot tan-

tem, illi uerba dando, deceperit, & uos ea spe suspensos detinendo, quòd omnia Philippus esset acturus, quæcunq; uoluerimus, omnia perdiderit, quodq́; dum alij prædicerent, eum obseruandum esse, qui tot in rebus iniurius fuisset, is tamen ei semper affuerit, patrocinium impendendo. hæc ego accuso, hæc recordamini, quoniam si æquam pacem & iustam uiderem, ac homines in ea uersatos nihil mercatos fuisse, neque postea aliquid ementitos, hos laudandos, & corona donandos hortarer. sed siquis Imperator aduersus uos peccauit, nihil id habet commune cum præsenti iudicio reddendæ rationis de legatione. Quis enim dux Halum? quis Phocenses perdidit? quis Doriscum? quis Cersobleptem? quis sacrum montem? quis Pylas? quis uiam per socios & amicos ad Atticam usq; Philippo strauit? quis Coroneam? quis Orchomenum? quis Eubœam abalienauit? quis pauloante Megaram? quis Thebanos potentes effecit? nulla enim horum tot tantarumq́; rerum per prætores perijt. nihil uobis consentientibus in pace concessum habet Philippus, sed per hos, horumq́; illiberalitatem omnia interiere. si ista itaq; uitarit, uos autem seducat, & quæcunq; potius quàm ea dicat, illo uos eum modo excipite. num prætori iudicium dicimus? num his de rebus in iudicium uocaris? ne dicas. siquis præterea alius in causa fuerit, ut Phocenses perierint, sed quòd tu pariter author non fueris, ostendito. Quid uero, si qua in re Demosthenem iniuriam attulisse modo dicas? uerum. quando suæ functionis rationes reddebat, cum non accusabas? ob id ipsum enim dignus es, ut conficiaris. Ne dicas quid honestum utileq́; esse pacem ipsam. nemo enim te arguit, quòd ciuitas pacem fece-

rit, sed non turpiter & probrose in multis nos fuisse decepto, & omnia perijsse, ista recense. earum nanq; rerum omnium quòd tu effector fueris, nobis es redargutus. quid ergo eum qui in præsentem usq; diem tantopere laborarit, laudibus extollis? si ab eo per hunc modum caueritis, quid dicat, non habebit, sed frustra hic uocem efferret, & summe uociferabitur, at qui & de eius uoce aliquid forte dicere ab re non est. ob illud nanq; ipsum admodum gloriari audeo, quasi uobis pronunciatione sit impositurus. mihi autem uidemini rem omnium absurdissimam uos esse facturi, si cum fabulam Thyestis, & Troiæ calamitatem representaret, eum eieceritis & exploseritis è theatris, & fermè lapidibus obrueritis, ita ut tandem à tertiarum partium actione desisteret, cũ uero nõ in Scena, sed in rebus publicis & maximis in ciuitate infinita incommoda attulerit, tunc ad eum quasi suauiloquentem aures admouebitis? nequaquam. Videte ne quid amentes uideamini, sed illud aduertite, quòd si de præcone ꝓbando agatis, tunc num uoce sit canora, est perquirendum, si de legato, ac eo, qui ad res publicas pertractandas se admitti petat, num æqua sit animi moderatione, & pro uobis quidem magno atq; elato animo, inter uos autem æquali existat, sicuti ego Philippum nõ suspiciebam, sed captiuos cum suspicerem, eos redemi. nihil enim ego subuerebar, iste autem ad eum prouoluebatur, & cantilenas canebat, nos autem aspernabatur. Insuper cum uideritis eloquentiam, aut uocis canorum illud, siue quampiam eiuscemodi optimam facultatem in eo homine, qui probus et liberalis existat, omnes congrutulari debetis, & excolere. id etenim & in commu-

nem

nem uobis reliquis utilitatem tendit. Cum uero in illiberali et improbo, & quæstuosissimo, cum auersari oportet, animoq; acerbo & aduerso audire, quoniam improbitas si authoritatem à uobis nacta fuerit, ciuitati perniciosa existit. Contemplemini ex quo is probatus fuit, in quo rerum statu ciuitas reperiatur. reliquæ itaq; facultates satis per se absoluuntur, & sibi sufficiunt. at illa dicendi, si uos, qui auditis, restiteritis, retunditur. huic itaq; ita aures præbete, quasi peruerso, corruptoq;, & minime uera dicenti, quàm itaq; non ob alias solum, sed & ob eas, quas cum Philippo res habemus, prorsus hunc damnari conueniat, perpendite. si enim ad id uenire compelletur, ut iuste cum ciuitate se gerat, mores mutabit. nunc quidem proposuit plerosque circumuenire paucis obsequio exhibito, quòd si hos perijsse cognouerit, multis è uobis, & qui omnia in potestate habetis in cæteris obsequi uolet, siue in eadem, in qua nunc est licentia et procacitate persistet, eos, qui ad omnia eius uota præsto futuri sunt, eiecturi estis, si hos sustuleritis. Si enim pœnas se luituros putantes ista admiserunt, hos, si quid à uobis eis remittatur, quid facturos putatis? Quem Euthycraten, quem Lasthenem, quem superaturi non sunt proditorem? qs ciuis non longe cæteris hominibus futurus est deterior? cum uideat his, qui omnia uenalia habuerint; pecuniam, authoritatem, subsidium, Philippi amicitiam superesse? his uero, qui se modestos præbuerunt, & suam præterea pecuniam insumpserunt, molestias, offensiones, inuidentiam à nonnullis creari? Ne id permittatis, neq; enim ad gloriam, neq; ad pietatem, neq; ad salutem, neq; ad aliud quicquam uobis confert, hunc ut

absoluatis, sed ut puniendo omnibus & ciuibus & Græcis exemplum proponatis.

ARGVMENTVM INNOMINATI IN ORATIONEM AESCHINIS DE EMENTITA LEGATIONE.

Athenienses cum bellum gessissent cum Philippo, tandem ab Aristodemo, & Neoptolemo, ac Ctesiphonte persuasi fuere, ut pacem cum eo facerent. Ac duas legationes miserunt, priorem quidem, ut de pace tractaret, posteriorem uero, ut iuramenta reciperet. in quibus ambabus legati erant Demosthenes & Aeschines. ut itaq; ex posteriori legatione reuersi fuere, ex ea.s. quæ fuit ad iuramenta recipienda, detulerunt ementitæ legationis Aeschinem Demosthenes & Timarchus. Timarchum igitur cum ante contentionem ementitæ legationis Aeschines, quòd muliebria pateretur, accusasset, ignominia affecit. aduersus Demosthenem autem defensionem agit. Nonnulli aiunt, ambas has Orationes conscriptas, sed non actas fuisse. alij uero, etiam habitas, Aeschinemq; XXX. suffragijs perclitatum fuisse, ne damnaretur. Verum Eubulo Tribuno ei patrocinium impendente euasisse. attamen non ita de eo omnes statuisse, quòd Philippi partes non sequeretur, ut & ipse in Procemio significat, & Demosthenes in ea, quæ de corona est, Oratione. In primo itaq; procemio à concilianda iudicum beneuolentia, aduersarium & accusationem ad calumniam tra-

hendo, quòd ſcilicet & magno cum periculo, & falſo crimen intendiſſet. In ſecunda autem procemij conceptione materiam in accuſatione comprehenſam calumnioſam facit, & aſſeueranter affirmat, quaſi ipſi etiam ſciāt, quòd hoc ipſi m confictum crimen eſſet, iſtaq; ad calumniam aduerſarij dicuntur: quæ autem ſequuntur, eodem pacto ſunt in ipſius beneuolentiam & aduerſarij odium expoſita.

AESCHINIS ORATIO DE EMENTITA LEGATIONE.



VOS ROGO uiri Athenienſes, ut me dicentem beneuole audire uelitis, ratione habita tum magnitudinis periculi, tum numeri criminum, aduerſus quæ me defendi oportet. machinationis quoque & inſidiarum accuſatoris, nec non & eius crudelitatis, qui apud uiros iuratos litigantium utrunq; pari lege auditurs admonere auſus fuerit, ut ne uocem quidem periclitantis ſuſtinerent, atq; iſta profecto dixerit, non iracundia percitus, cum nemo ex his, qui falſo criminantur, illis: quibus nō iure negotium exhibent, iraſcatur, neq; qui iuſti ſunt delatores, reum quicquid dicere uelit, prohibeant. Non enim au-

tea quidem accusatio apud auditores obtinet, prius quàm reus defensione exposita, quæ ei obijciuntur crimina diluere nequiuerit. Sed puto Demosthenes iusta accusatione non delectatur, neq; ad id se paratum esse uoluit, sed ut iracundiam uestram prouocaret. Atq; largitionis accusauit, cũ ad eam suspicionem generandam idoneus non esset. Eum enim qui iudices ex causa largitionis ad iram impellere uelit, ipsum oportet ab eiusmodi rebus multum abesse. Mihi uero Demosthenis orationem audienti contigit uiri Athenienses, neq; unquam sicuti hodierna die timuisse, neq; magis quàm nunc indignatum fuisse, neq; tam uehementi lætitia esse cõmotum. Extimui enim, & æstuo adhuc in præsenti, ne aliqui uestrum me ignorent oblectati his insidiarum plenis, atque malignis contentionibus. Ex me autem ipso excessi, & criminationem grauiter tuli, cum me contumeliæ & petulantiæ in liberam & Olynthiam genere mulierem admissæ reprehendit. Lætatus autem fui, cum ipsum, dum in hoc crimine uersaretur, explosistis, atque eorum, quæ in uita modeste egi, mihi gratiam reportasse existimo. Ac uos quidem commendo, & summopere colo, qui uitæ rerum magis fidem adhibetis quàm inimicorum criminationibus. Sed ipse tamen à defensione aduersus ista non desistam. siquis enim aut illorum, qui foris astant, sit persuasus. nam ferè plerique ciuium adsunt, aut uestrum, qui iudices estis, quòd ipse quicquam eiusmodi commiserim, non in ingenuum solum, sed ne in uulgare quidem corpus, reliquam certe uitam mihi iniucundam puto. Et si procedente defensione non conuicero, accusationem falsam esse, & eum, qui accusare ausus fuit, impium & calumniatorem

esse, quamuis cæteris in rebus nihil peccasse uisus fuero, me morte mulcto. Inaudita mihi & illa oratio uisa est, & perq̃ iniqua, cum uos rogauit, an fieri posfit in una eademq; ciuitate, ut Philocrates morte fuerit damnatus, ꝙ se ipsum reum prodens iudicium fieri non sustinuerit, ipse autem absolutus fuerim. Ego uero ob hanc ipsam rem uel maxime iuste seruatum me esse existimo. etenim si is, qui se ipsum cōdemnat, neque sui præsentiam exhibet, delinquit, qui certe se calculis subijcit, uitamq; legibus & ciuibus exponit, non delinquit. De reliqua porro accusatione uos uiri deprecor, quòd si quid prætermisero, & de memoria exciderit, me interpelletis, palamq; faciatis quid à me audire uelitis nullo præiudicio habito, ueluti ipse crimen commiserim, sed pari animi æquitate auscultetis. Ambigo quippe unde primum exordiar, ob accusationis confusionem. Videte quæso an uobis uidear condigna pati. Ego enim ad præsens in uitæ periculo sum cōstitutus, magnam uero orationis partem confecit contra Philocratem et Phrynonem, atq; alios, qui unà legationem obierunt, pariterq; Philippum et pacem, atq; Eubuli administrationes in Republica factas, in his porro omnibus ego collocatus fui, at solus Demosthenes in Oratione sua Reipublicæ curator fuisse apparet, cæteri proditores. in nos enim contumelia uti non destitit, falsaq; conuitia, non mihi solum, sed & alijs infligere. Quem autem ita ignominia affecit, & cōtemnit rursus mutata ratione, ubi tulerit occasio, ueluti Alcibiaden, aut Themistoclen in iudicium uocans, qui gloria plurimum Græcos excelluerunt. Phocensium ciuitates me uastasse criminatur, Thraciæ locum illum à uobis exemisse, è re-

gno quoq; eiecisse Cersoblepten uirum amicum & socium ciuitatis. Conatus etiam est me persimilem ostendere Dionysio, qui Siciliæ tyrãnidem inuasit, atq; multo studio & uociferatione uos est adhortatus, ut ferum animal obseruaretis, & Siculæ sacerdotis somnium explicauit, atq; ita rem in altum exaggerauit, ut me calumnijs ad inuidiam traxerit, causas rerum gestarum ad meas orationes, non ad arma Philippi referendo. Aduersus tam audacem hominem & monstrosum difficile est & singula quæq; ab eo dicta memoria repetere, & cum periculo contra inexpectatas calumnias orationem habere, qua autem putauero mihi uerba lucidissima haberi posse, & notissima uobis, ac plena æquitatis, inde exordiar, ab Orationibus uidelicet de pace habitis, & ablegationis electione. Ita enim profecto uel maxime & ego recordabor, & dicere potero, & uos rem percipietis. Vos quippe uniuersos existimo hoc ipsum meminisse, quòd Eubœensium legati, postea quàm de pace cum ipsis incunda ad populum disseruere, dixerunt, quòd & Philippus ipsis mandasset, uti uobis renunciarent, quòd se uobis reconciliari uellet, & pacem facere. Non multo post Phrynon Rhamnusius captus est à latronibus ludis Olympicis, ut ipse conquærebatur, deinde redemptus cum huc reuertisset, uos rogabat, ipsi ad Philippum ut legatum designaretis, ut si quo pacto posset redemptionis pretium recuperaret. uos persuasi ei Ctesiphontem legatum delegistis. cum à legatione huc reuersus est Ctesiphon uobis ea retulit, quorum gratia missus fuerat. ad hæc præterea, quòd Philippus inuitus quidem bellum uobiscum gerere uideatur, à belloq; ad præsens recedere uelit.

Ista cum Ctesiphon referret, magnamq́; admodum benignitatem insuper explicaret, populus cum id ex animo susciperet, & Ctesiphontem laudaret, nullusq́; aduersaretur, decretum tunc Philocrates Agnusius tulit, ac uniuersus populus cōsentiens sanxit, ut Philippo huc mittere liceret pro pace legatos & caduceatores. antea siquidem id ipsum à nonnullis fuerat prohibitum: quibus id curæ erat, sicuti res ipsa declarauit, accusant autem isti decretum, quòd contra leges sit latum, ac Lycinium accusationi præstituunt, in pœnam centum talenta deponunt, ac postmodum in forum prodit accusatio. Philocrates, cum grauiter se haberet, uocat sibi in patronum Demosthenem. me uero minime, prodiens osor Philippi Demosthenes totam diem in defendendo consumpsit, ac postremo euadit Philocrates. Delator autem, nè quintam quidem suffragiorum partem tulit, atq; ista uos omnes nouistis. Sub ea autem tempora Olynthus capitur, ac plerique ciuium nostrorum comprehensi fuere, è quibus fuit Iatrocles. Ergocharis frater, & Eucrates Stromichi filius. pro quibus cum supplices accesissent eorum cognati uos rogabāt, ut eius rei curam haberetis. prodeuntes autem in concionem eorum adiutores fuere Philocrates & Demosthenes, non autem Aeschines. nunciumq́; mittunt Aristodemum Histrionem ad Philippum, quia ipsi notus erat, & in eam artem benigne deditus erat Philippus. Vt è legatione redijt Aristodemus, quibusdam negotijs impeditus, Senatum non adijt, sed Iatrocles ipsum è Macedonia redeundo præuenit à Philippo sine pretio dimissus, cum illius captiuus esset. Tunc plurimi indignabantur, quòd legationem Aristodemus non renū-

ciasset, cum ab Iatrocle de Philippo eademmet uerba audirent. Postremo in Senatum ingressus Democrates Aphidnæus Senatum induxit, ut Aristodemum uocaret. unus porro ex Senatoribus fuit Demosthenes accusator meus. Venit Aristodemus, et cum magnam admodum beneuolentiam Philippi erga ciuitatem retulisset, adiecit quoq;, quòd ciuitatis socius esse uellet. Atq; ista non in Senatu tantum, sed & corâm populo nunciauit, cum tunc nihil Demosthenes dicendo repugnaret, uerum & Aristodemum corona donandum decreuisset. His ad populum dictis, decretum tulit Philocrates, uos legatos ad Philippum eligere debere uiros numero X. q Philippo de pace, deq; his edisserẽt, quæ Philippo et Atheniensibus communiter conferant. Designatisq; X. legatis, ego à Nausicleo ꝓpositus fui, ab Philocrate autem Demosthenes, qui modo Philocraten accusat, ita uero ad negotia capessenda promptus erat, ut ad Senatum retulerit (legationem nobiscũ ut Aristodemus absq; pœnæ metu obiret) legatos ad eas ciuitates fore designandos: in quibus Aristodemus in cõtrouersiam uenturus esset, qui pro eo pœnas deprecarentur. atque quòd ista uera sint, cape decreta, & testimonium Aristodemi recita, ac cita apud quos fuerint testificati, ut iudices uideant, qui Philocratis socius fuerit, quiq; populum suadendum fore censuerit, ut dona Aristodemo conferrent. DECRETVM, TESTIFICATIONES. Prima igitur rerum omnium institutio, non per me, sed per Demosthenem & Philocraten extitit. In legatione autem conuictu nostro uti studuit, non me persuaso, sed illis, qui mecum erant Aglaocreõte Tenedio, quem ex socijs ele-

geratis & Iatrocle. In itinere uero me ait id admonuisse, ut ferum animal Philochratem scilicet unà obseruaremus, rem confictam asserens. Quomodo enim ego Demosthenem aduersus Philocraten euocarem, quem noueram patrocinium Philochrati impendisse, cum accusaretur illicitæ rogationis, ipsum uero ad legationem à Philocrate fuisse propositum? Præterea non in his sermonibus tantum qui in legatione aderamus, sed & in tota illa p[ro]fectione coacti fuimus ferre Demosthenem intolerabilem & molestum hominem, qui cogitãtibus nobis, quid nos legatos dicere oporteret, Cinone᷈q; aiente, q[uod] timeret, ne iura sua disserendo Philippus nos superaret, uberrimos se rationũ fontes habere promittebat, et de iuribus Amphipolis & initij belli, eiusmodi se dicturũ aiebat, ut os Philippi arido siccoq; iunco suturus esset, atq; persuasurus Atheniensibus, ut Leosthenem admitterent, Philippo uero, ut Atheniensibus Amphipolin redderet. ne autem lõgior existam huius insolentiam percurrendo, quamprimum in Macedoniam peruenimus, nos ipsos ita constituimus, cum ad Philippum ingrederemur, ut seniores priori loco dicerẽt, ac cæteri deinde, quibus per ætatem liceret, nostrum autem iunior, ut ipse dicebat, Demosthenes erat. postea quàm introuocati fuimus, atque ad ista mihi animum uel summopere aduertite, inde enim detestandam hominis inuidiam perspicietis, & non ferendam animi deiectionem atq; malignitatem simul, eiusmodi quoq; insidias aduersus uiros contubernales & eandem legationem obeuntes, quas ne contra quidem inimicissimos quis uel inconsulto admitteret. Sales quippe ciuitatis & publicam mensam se plurimi (inquit) facere, cum

indigena non sit. dicetur enim, immo neq; inter uos natus existat. Nobis autem, quibus sacra maiorumq; sepulchra hac in patria constant, familiaritatesq;, & uobiscum liberæ consuetudines, ac nuptiæ legitimæ, affinesq; & liberi (in ipsarum quidem medio Athenarum fide uestra digni existimati fuimus, nunquam enim nos elegissetis) in Macedoniam uenientes repente euasimus proditores. iste uero nullam non uenalem corporis partem habens, neq; unde uocem emittat, ueluti alter sit Aristides, qui cũ Græcis tributa præscripsisset, iustus cognomẽto est habitus, ægrè fert largitiones, & detestatur. Audite quæso uerba nostra, quæ pro nobis habuimus, ac rursus ea, quæ magnum ciuitatis leuamen dixit Demosthenes, ut ordine & paulatim obiecta crimina diluamus. Laudo nos omnes mirum in modum Athenienses, q; uos iuste ac cum silentio auditis, quoniam si quid eorum, quæ crimini data sunt, minus confutauero, non uos sed me ipsum accusabo. Postea uero quàm ætate prouectiores pro legatione dixerãt, & ad nos oratio deuenisset, & quæcunq; illic à me dicta fuere, & ad ea insuper, quæ à Philippo responsa sunt, populo palàm, atq; omnibus Atheniensibus renunciaui. nunc itaque per capita uobis illa recensere aggrediar. In primis huius patriæ beneuolentiam, erga ipsum narraui, ac beneficia, quæ uos Amyntæ Philippi patri contulistis, uel nullo prætermisso, uerum omnia ordine commemorando, deinde ea, quorum ipse testis erat beneficio affectus. Amyntas enim cum nuper obijsset, & Alexander ex fratribus cum maior natu esset, Perdiccasq; & Philippus pueri essent, Euridiceq; eorum mater ab his prodita esset, qui eius amici uidebantur, Pausa-

hias uero exul cum esset, ad regnum inuadendum descendea ret, ea occasione cum admodum polleret, & multi ei opem ferrent, Græcamq; manum haberet, Anthemuntemq; cepisset, & Thermam, ac Strepsam, aliaq; loca, Macedonesq; non conuenirent, uerum plurimi à Pausania starent, sub ea tempora Iphicratem Imperatorem suffragijs delegere Athenienses aduersus Amphipolin, cum ciuitatem Amphipolitæ ipsi tunc haberent, & regione potirentur. ad ea loca paucis primum cum nauibus dum peruenisset Iphicrates ad rerum magis explorationem, quàm ciuitatis obsidionem, tunc inquam ego, ipsum ad se accersiuit Euridice mater tua, atque sicuti omnes, qui aderant, dicunt, cum Perdiccam fratrem tuum intra manus Iphicratis constituisset, te uero ad eius genua, infans cum esses, posuisset, dixit, Amyntas istorum pater pupillorum, dum uiueret, te filium adoptauit; Atheniensium uero ciuitate familiariter admodum usus fuit, ita ut tibi & priuatim euenerit horum pupillorum fratrem, communiter autem amicum nostrum esse, ac postmodum ualde supplices præces effudit pro uobis, proq; se ipsa & Regno, in summaq; pro salute. Ista cum audisset Iphicrates, Pausaniam expulit ex Macedonia, uobisq; dominatũ seruauit. Tertioq; loco dixi de Ptolemæo, qui rerum curator constitutus cum esset, quàm ingratam grauemq; rem peregisset, edocui, quòd pro Amphipoli primum ciuitati fuerit aduersatus, ac cum Thebanis, dissidentibus Atheniensibus, societatem contraxerit, atq; rursus q̃ Perdiccas ad regnum euectus pro Amphipoli contra ciuitatem bellum gesserit, ac uestram nihilominus humanitatem, iniuria cum affecti essetis, oratione recen-

ſui, quòd cum in pugna Perdiccam cepiſſetis (Calliſthene pro Athenienſibus Imperatorem agente) inducias cum eo feceratis, ad id ſemper ſpectando, ut quod iuſtum eſſet, conſequeremini, atque calumniam huiuſmodi diluere tentabam, palàm faciendo, q; populus Calliſthenem non ob belli intermisſionem cum Perdicca factam occiderat, uerum alijs de cauſis, ac rurſus aduerſum Philippum ipſum uerba facere ueritus non fui, cum increpando, q; ipſe contra ciuitatem bellum excepiſſet, omniumq; earum rerum, quas dicerem, teſtes præbebam illorum epiſtolas & populi decreta, ac Calliſthenis inducias. Ac de antiqua quidem regionis poſſesſione, atq; earum, quæ IX. dicebantur uiæ & de Theſei filijs, ex quibus Acamas in dotem ab uxore regionem ipſam habuiſſe dicitur, tunc par erat commemoraſſe, ita dictum quoq; eſt diligentisſime, quoad fieri potuit, in præſens uero fortaſſe neceſſe eſt, ea uerba concidere, quæ enim non in antiquis fabulis ſed per ætatem noſtram geſta denotabant, eorum mentionem habui. Lacedæmoniorum enim ac cæterorum Græcorum conuentu congregato, cum ex his ipſis unus eſſet Amyntas Philippi pater, aſſeſſoremq; pro ſe miſiſſet, & ad arbitrium ſuum ſuffragium ferre poſſet, decreuit Amphipolin, quæ Athenienſium erat, cæteris cum Græcis capere ab Athenienſibus ipſis, atq; id commune Græciæ decretum, & qui in id ſuffragium tulerant, teſtes produxi, at à quibus Amyntas Philippi pater, in conſpectu omnium Græcorum abſtinuit, non uerbis tantum, ſed & ſuffragio, iſta te (dixi ego) qui ex illo genitus es, iniquum eſt uelle adipiſci, quòd ſi illam merito te habere aſſeris, quia eam in bello ceperis, ſi aduer

ſus nos bellum gerendo ciuitatem captiuam feciſti, ut dominus quippe poſsides iuſta belli ratione. Quòd ſi ab Amphipolitanis Athenienſium urbem cepiſti, non res illorum tenes, ſed Athenienſium regionem. Iſtis atque alijs uerbis expoſitis, iã ad Demoſthenem legationis actio, quæ ad ipſum ſpectabat, deuenit, & omnes attenderunt, ueluti miram quandam eloquentiæ uim eſſent audituri. Atque quantum ad Philippum eiusq́; ſocios attinet, quemadmodum poſtea intelligere licuit, admirabiles quædam promiſsiones explicatæ fuere, itaque omnibus ad audiendum diſpoſitis, Beſtia eiuſmodi exordium proloquitur, & obſcurum, & præ timiditate emortuum, & cum paululùm altius repetijſſet, quàm primum conticuit, atque hæſitauit. poſtremo uero ab oratione excidit. id ut uidit Philippus, quòd is tam male affectus eſſet, & bono animo eſſe iusſit, ac quòd minime putaret, ſicuti in theatris, ob id ei mali quicquam eueniſſe, uerum ut quiete & paulatim recordaretur, ac diceret ſicut in animo conſtituerat. Is uero poſtea quàm ſemel deciderat, & à ſcriptis aberrauerat, ſeipſum recuperare non potuit, uerum cum rurſus dicere tentaſſet, in idem recidit. cum uero ſilentium factum eſſet, præco edixit, recedere debere, deinde nobis legatis unà coactis, ualde admodum triſtatus hic uir bonus Demoſthenes perdidiſſe me ait ciuitatem & ſocios, me autem non id ſolum obſtupeſcente, ſed & omnibus collegis, ac cauſam ſciſcitantibus, ob quam iſta dixiſſet, me rogauit, num rerum obiitus eſſem, quæ Athenis fiunt, & an non recorder populum eſſe afflictum & ualde auidum pacis, aut extolleris, inquit, ob decretas illas quinquaginta naues, nunquam

alioquin instruendas? ita enim Philippum irritasti, ac talia dixisti, per quæ non pax ex bello, uerum ex pace bellum implacabile sit sequuturum. cum uero ad ista ego respōdere cœpissem, ministri Philippi nos conuocarunt. ut autem ingressi fuimus, & consedimus, de quaq; re iam exposita, etiā ab initio exordio sumpto, dicere aggressus est Philippus. in his porro, quæ à me dicta fuerant, plurimum moratus fuit, nihil forte eorum, quæ dici poterant, ut puto, prætermiseram, atq; crebro in oratione nomen meum citabat. ad Demosthenem autem, qui ita ridicule discesserat, nulla in re sermonem conuertit. quæ res huic occupatio animi & molestia erat. postea uero quàm ad humanitatem orationem detorsit Philippus, & calumnia, quam iste aduersus me collegit, præsentibus impegerat, quasi futurus essem belli & discordiæ author, ei diffluerat. tunc sibi prorsus non constare uisus fuit, ita ut uobis ad hospitium uocatis perquam indecore se gesserit. cumq; domum ex legatione reuerteremur, præter omnium expectationem perhumane, erga unumquenq; repente se habuit in loquendo, quiá nā, itaq; esset caudatus, uel id quod dicitur Pollen, seu uersipellis, & huiusmodi alia uerba, prius fateor non noueram, nunc uero istum cum totius malignitatis interpretem nactus sim, ista didici. Cū nostrum enim quenq; sigillatim apprehenderet, huic quidem collectam se constituturum pollicebatur, ac proprijs sumptibus se opem laturum, illum uero militiæ præfectura donaturum, mihi certe cum eblandiretur, naturamq; meam beatam diceret, ac uerba, quæ dixeram, efferret, in laudando nimius erat, atq; adeo permolestus. Cum autem uos omnes unà larissæ cœna-

remus, falsè de se eiusq; hæsitantiâ, quæ ei in oratione contigerat, loquebatur. Philippum certe omnium, qui sub sole existunt, hominum eloquentissimum esse aiebat. Ego quoq; dum quid eiusmodi commendarem, q ad ea omnia, quæ nos dixeramus, memoriter responderat, & Ctesiphon, utpote qui omnium nostrum maior natu esset, longam quandam eius antiquitatis & annorum numeri commemorationem cum fecisset, addidissetq; q tā diutino tēpore & uita tam suauem uenustumq; hominem nunquam uidisset, is Sysiphus manibus plaudendo, ista tamen (inquit) ô Ctesiphon neq; tu præsente populo diceres, neque hic ipse (me quippe appellando) Atheniensibus ea referre auderet, q scilicet Philippus eloquentia & memoria ualeret, nos stupore quodam affecti cū essemus, & insidias minus prospiceremus, quas paulopost audietis, in pactionem ferè quandam conclusit, ut uobis ista renunciaremus, à me quoq; illud uel summopere est deprecatus, ne referre postponerem, q & Demosthenes aliquid dixerit de Amphipoli. horum igitur, quæ hactenus dixi, qui in legatione unà fuerunt, mihi testes existunt, quos hic lacessere, & calumnijs prouocare per accusationem non destitit. quæ autem ex hoc suggestu uobis coràm uerba habita fuere, uos illa audiuistis, ita ut mihi mentiri non liceat. id quidem uos rogatos uelim, ut & reliquam orationem cordi sit auribus percipere, q certe quisq; uestrum studeat, quæ ad Cersoblepten attinent, intelligere, & causas, quæ de Phocensibus feruntur, aperte noui, atq; ad ista festino, sed nisi ea, quæ ista præcesserunt, audieritis, ne illa quidem æque assequemini, q si mihi in periculo uitæ constituto facultatem (ut

uoluero) ad dicendum dederitis, & me (idoneis indicijs receptis, q. nulla in re peccarim) seruare poteritis, & ex his, quæ in confesso sunt, ab aduersarijs opposita perspicietis. ut autem huc peruenimus, & in Senatu per capita legationem recitauimus, ac literas à Philippo nobis traditas ei dedimus, in Senatorum præsentia nostrum laudator extitit Demosthenes, uestamq; Deam iurauit ciuitati congratulari, q. eiusmodi uiros in legationem emisisset, qui eloquentia & fide ita in dicendo ualerent, ut urbe ipsa digni existerent, de me autem quid eiusmodi dixit, q. spem eorum, qui me ad legationem elegerant, non fefellissem, ac postremo loco sanxit, nostrum quenq; oleæ corona donãdum fore beneuolentiæ gratia, quã erga populũ ostendissemus, ac postera die nos ad conuiuium in Prytaneum euocandos esse. q. autem nulla in re uobis fuerim ementitus mihi in manus desumat scriba decretum, ac legat collegarum legationis testimonia. SENATVS CONSVLTVM quod tulit Demosthenes COLLEGARVM TESTIFICATIONES. de his, quæ dicta fuerunt. postea quàm igitur legationem populo renunciauimus, Ctesiphõ nostrum maior natu cum primus prodijsset, ac uerba quædam retulisset, ea quoq;, quæ cum Demosthene composuerat, ut uobis referret, extulit, de Philippi uidelicet allocutione, eiusq; forma, atq; inter pocula hospitalitate, secundoq; loco Philocrates pauca quædam & Dercyllus dixissent, ego in medium accessi. & ubi reliquam legationem exposui, in eum quoq; sermonem incidi, quem inter collegas me habiturum professus fueram, quòd scilicet memoriter; & eloquenter Philippus loquutus esset,

eiusq;

eiusq́; deprecationis oblitus non fui, quam fecerat Demosthenes, q, si quid nos de Amphipoli prætermisissemus, ipse dicere permitteretur. postremusq́; inter nos omnes surrexit Demosthenes, ac portenta quædam, ut consueuerat, gestu effutiens capite perfricato, dum uideret uerba à me dicta populum obsignasse, & admisisse, utrunq;, inquit, se admirari & auditores & legatos, quòd hi consultandi, illi uero consulendi tempus inutiliter consumerent, & in rebus proprijs pertractandis superuacua loquacitate delectarentur. nihil enim facilius esse aiebat, quàm legationem referre. uolo autem uobis, inquit, ostendere, quomodo rem geri oporteat, pariterq́; populi decretum legi iussit, eoq́; lecto, ait iuxta hoc decretum emissi fuimus, atq; hæc eadem obiuimus, quæ hic descripta existunt. sume uero & literas, quas, cum uenimus, tulimus à Philippo. ut lectæ fuere, habetis, inquit, responsum, atq; inde uos consulite. Cunq; hi ob eam rem tumultuarentur, q, uehemens & nimis concisus fuisset, plurimi uero, q, improbus & nimium inuidus esset: atq; aduertite quæso, inquit, q̃ compendiose & reliqua quæq; recitabo. uisus est Aeschini ait memor & eloquens esse Philippus? at non mihi, uerum si quis eius fortunam abstulerit, illamq́; alteri addiderit, utiq; eo non multo inferior uideretur. uisus est Ctesiphonti aspectu illustris esse? mihi certe non humilior uidetur Aristodemus histrio, qui nobiscum adfuit & legationem simul obiuit. Memorem quis eum esse ait? uerum & cæteri. At idoneus compotor erat, sed & Philocrates, qui nobiscum fuit, magis idoneus. Locum quis diceret mihi relictum esse, ut loquerer de Amphipoli? sed neq; nobis neq; mi-

hi Orator iste locum dicendi fecisse uideri posset. ista igitur meræ sunt, inquit, nugæ. ego certe legem sanciam, atque cum caduceatore, qui à Philippo uenit, fœdus iniri decerno, necnon & eius cum legatis, qui ab ipso huc uenturi sunt, & præfectos Prytanei, ut illi uenerint, duos continuos dies consilium cogere debere non solũ pro pace sed & societate ineunda, nosq; legatos, si eo digni existimabimur, laudandos fore, & ad conuiuium conuocandos esse in Prytaneum in sequentem diem. q autem uera dicam, sume decretum, ut cernatis uiri Athenienses eius & iniquitatem & inuidiam, ac rerum cum Philochrate communionem, eiusq; mores, quàm insidiosi infidiq; sint. atq; huc uoca collegas, eorumq; recita testificationes, & decreta Demosthenis. DECRETA DEMOSTHENIS. Non hæc igitur solum Demosthenes decreuit, sed et postea in Senatu statuit, legatis, ut à Philippo uenerint, ad Dionysia festa spectandum locum esse tribuendum. recita & hoc decretum. DECRTVM DEMOSTHENIS. Lege quoq; testimonium collegarum in legatione. ut sciatis Athenienses, Demosthenem, non ut pro ciuitate dicat, promptum esse, sed semper aduersus conuictores & contubernales meditari. TESTIMONIVM. cõmunionem igitur eorũ, quæ in pacis tractatu gesta sunt, nõ inter me & Philochraten, sed inter Demosthenem & Philochratẽ intercessisse reperietis: fidem autem eorum, quæ dicta sunt, satis superq; uobis factam esse existimo. renunciatæ enim legationis uos mihi testes estis, quæ in Macedonia dicta sunt, quæq; in itinere colloqui solebamus, collegas uobis testes exhibui. accusationem porro Demosthenis, quam

paulo ante habuit, uos audiuistis, & recordamini, cuius initium à concione sumpsit, quam dixit de pace. omnia enim, quoad istam partem attinet, cum ementiretur, eam occasionem nactus grauiter est indignatus: illa quippe uerba in horum legatorum præsentia dicta esse ait, quos Græcia ad nos miserat, dum ipsos populus accersiuisset, ut & unà cũ Atheniensibus aduersus Philippum, si opus foret, pugnaret, ac pacis, si id cõducere uideretur, particeps esset. Aspicite quæso in re tam grandi fallaciam & incredibilem hominis impudentiam. illorum etenim legatorum, quos in Græciam emiseratis, bello adhuc nobis cum Philippo durante, designationis tempus, quando emissi fuere, & tunc in legatione agentium nomina in tabulis publicis descripta extant: ipsi uero homines sunt non in Macedonia, sed Athenis. externis autem legationibus aditum ad populum Senatus decernit. Iste uero ait à Græcis huc legationes missas esse? In hoc itaq; suggestum ꝑdire ne desinas Demosthenes, atq; in hac mea actione nomen cuius uolueris ex Græciæ ciuitatibus recense, ex qua huc ais legatos uenisse, ac Senatusconsulta, quæ pro ipsis habita fuerint, profer è curia, ut legantur. cita quoque Athenienses legatos in testes, quos ad ciuitates emiserant: quòd si testati fuerint, illos præsentes, non autem in peregrinatione fuisse, cum pacem ciuitas fecerat, aut ipsorum in Senatum conuentum & decreta produxeris sub eo tempore, quo ais illa facta fuisse, descendo, & morte plecti uolo. Recita & sociorum decretum quid dicat, quo manifeste ita scriptum est. Cum populus Atheniensis de pace cum Philippo ineunda sanciuerit, legatiq; nondum adsint, quos populus in

Græciam emiserat, ut ciuitates pro Græcorum libertate solicitarent, socijs uisum est. posteaquam uenerint legati, & legationem retulerint, Atheniensibus & socijs Prytanei præfectos duas cōciones ex lege indicere debere, in quibus Athenienses de pace deliberent, quodq́; populus statuerit, id commune sociorum scitum fore. Recita & consessorum consultum. CONSESSORVM CONSVLTVM. mihi refer & Demosthenis decretum, quo sancit, per præfectos pretorio post festa Liberalia, quæ in urbe fiunt, ac concionem illam, quæ in Liberi die festo celebratur, aduocari debere, primam XIIII. alteram XIII. Calendas, præscriptis temporibus, eas conciones anticipādo, antequā è Græcia legati reuerterentur: atq; sociorum consultum suasit, cui fateor me assensisse, ut uos de pace tantum consuleretis. Demosthenes addidit, q; & de societate. lege his decretū. DECRETVM DEMOSTHENIS. utrūq; decretum audiuistis Athenienses, ex quibus conuincitur Demosthenes, legationes, quæ in peregrinatione erant, q; aduentassent, dixisse, & cum uos uelletis sociorum consulto auscultare, illud uobis irritum reddidit. hi quippe palàm edixerant; ciuitatem Græciæ legationes expectare debere, ac Demosthenes non uerbis tantum expectari prohibuit: sed, cū omnium turpissime & celerrime immutasset, re & decreto iniunxit, in consilium eundum esse: dixit autem q; cum Philocrates priorem concionem habuisset, ac postridie ego suggestum ascendissem, pacem; quam ille suaserat, improbauerim, uelut infamis esset, ac ciuitate indigna; quodq; sequenti die rursus Philocrati assenserim, & eius diei bono usus eū

tu recesserim, cum uobis persuasissem, his animum adhibendum non fore, qui uos ad bella maiorumq; triūphos adhortarentur: ac q̃ Græcis auxilia ferenda non essent. Itaq; q̃ non solum falsa, sed & quæ fieri non possunt, detulerit. Primum ipse aduersus semetipsum Demosthenes testimonium feret: alterum omnes Atheniẽses, ac uos, qui recordabimini: tertium accusationis indignitas: quartum uir dicit fide dignus unus ex his, qui Rempublicam administrant, Amyntor, cui decretum ostenderat Demosthenes, atq;, an scribæ traderet, communicarat, in quo non contrarium eius, quod retulerat Philocrates, sed idẽmet descripserat. Sume itaq; decretum, & illud recita, dico Demosthenis, ex quo apparet decreuisse, q̃ priori concione rem in consultationem deduci uoluerit, posteriori autem, ut præfecti prætorio sententias ferrent, de me autem uel nullum uerbum fecisse, q̃ Philocrati assensum præbuerī. DECRETVM DEMOSTHENIS. decreta enim, ut ab initio descripta sunt, manent, calumniatorum autem uerba, ut quotidiana tulerit occasio, proferuntur. Orationem meam in duas secat, cum ex decreto & pro rei ueritate una fuerit. facultas enim loquendi in sequenti concione mihi non permittebatur: præfecti quoque prætorio inhibebant, ne loqui liceret. quid quæso proficere uoluissem, si eadem, quæ Philochrates, animo concepissem. accusassem eisdem audientibus priori concione, quæ nocte postmodum interiecta comprobassem? utrum'ne quòd ipsa commendari, aut, illum adiuuare uellem? at neutrum reportare par erat, sed ut ab omnibus odio haberer, nihil uero conficerem. Aduoca & Amyntorem Erchien-

ſem, ac teſtificationem recita: quẽadmodum ſcripta eſt, eam uolo uobis percurrere. Teſtatur Amyntor Aeſchini. Cum deliberaret populus de pace cum Philippo incunda, iuxta Demoſthenis decretum in poſtera concione, quo tempore orationem habere non liceret, ſed pacis ſocietatisq́; decreta confirmabantur: in ipſo concilio aſsidentem Demoſthenem ſcitum in ſcriptis redactum ipſi teſti oſtendiſſe, in quo Demoſthenis nomen continebatur, præterea q́; cum eo ipſum communicaſſe. an illud ſcribæ daret à præfectis prætorio poſtmodum comprobandum: ita quoq; id ipſum ſe habere, ut ſub eademmet conditione pacem & ſocietatem contrahendam cenſeret, ſub qua tulerat Philocrates. cita mihi & Amyntorem Erchienſem: quòd ſi hunc contendere neglexerit, mulctam indicas. TESTIMONIVM AMYNTORIS. Teſtificationem igitur audiuiſtis Athenienſes. conſiderate quæſo num me Demoſthenes, an contra potius ſe ipſum ipſemet ſub nomine meo accuſare uobis uideatur?. uerum, quoniam accuſationem meam ad calumniam detorquet, uerbaq́; à me dicta malam in partem interpretatur, neque refugerem, neq; quæ dicta ſunt negarem. nam ob ea mihi minime pudendum eſſe, ſed magis gloriandum cenſeo. uolo autem tempora ad memoriam ueſtram reducere, quibus de eis deliberabatis. Initium belli ſumpſimus ab Amphipoli. contigit autem Imperatorem noſtrum eo in bello quinque & LXX. ſocias ciuitates amiſiſſe, quas Timothus Cononis filius acquiſierat, ac in commune concilium attulerat. animo enim propoſui cum fiducia loqui, libereq́; & uere loquẽdo ſeruari. quòd ſi aliter id actum fuerit, me morti traden-

dum statuatis: neque enim illud metuerem. ac cum CL. triremes è nauali eduxisset, illas non retulisse, atque ista in controuersijs, quæ quotidie de Charete fiunt, accusatores uobis obstrepunt. mille autem & quingenta talenta non in milites, sed in Ducum petulantiam insumpsisse in Deiaren scilicet, & Deipyron, atque Polysonten, fugitiuos homines ex Græcia collectos, & in eos etiam, quos circa suggestum & concionem conductos haberet, qui miseris insularibus tributum quotannis imperabant, atque nauigia & Græcos ex communi mari abducebant, ita ut auctoritatis & imperij Græcorum loco ciuitas nostra cuiusdam infamis perfugij & latronum nomine fuerit insignita. Philippus autem cum se ex Macedonia mouisset, non item pro Amphipoli nobiscum dimicabat, sed pro Lemno & Imbro, atque Scyro, quæ nostræ erant possessiones, ciues nostri peninsulam, quæ omnium consensu Atheniensium erat, deserere coacti sunt. plures repentinas conciones aduocare uobis necesse fuit cum tumultu & terrore, quàm per leges statæ essent: ita uero res dubiæ & periculosæ erant, ut Ctesiphontem Pæanicum unum ex amicis & socijs Charetis scitum ferre oportuerit, ut Antiochus, qui rerum publicarum curam gereret, celerrime enauigaret, Imperatoremq́; quæreret, qui copiarum præfectus erat, ac, si forte in illum inciderit, diceret, populum Atheniensem admirari, quòd Philippus in Pœninsulam Atheniensium pergeret: Athenienses autem nesciant, ubi Imperator sit & exercitus, quem emiserant. quòd autem uere ista recenseam, decretum audietis. belli recordabimini, pacem à bellorum Ducibus, nō à legatis exigetis. DECRETVM.

POPVLI, QVOD TVLIT CEPHISOPHON. Eiusmodi quippe fuere ciuitatis tempora, quibus de pace orationes habitæ sunt. cumq; Oratores ad eam rem destinati consurgerent, nihil, quod ad salutem ciuitatis pertineret, dicere aggressi fuere. uerum quòd in arcis uestibulum prospiceretis uos hortabantur, naualisq; pugnæ in Salamina habitæ recordaremini, sepulchrorumq; & maiorum uestrorum, ac triumphorum. ego porro fatebar horum omnium memoriam fore repetendam, recta tamen superiorum consilia imitanda esse, eorumq; errata & importunam contentionem uitandam. pedestre prælium in Platæis aduersus Persas confectum, & certamina circum Salamina habita, pugnamq; Marathoniam, & apud Artemisium nauale bellum; Tolmidæq; præturam hortabar sequendam fore; qui, cum mille Athenienses delectos haberet, per mediam Peloponnesum nobis infensam tuto præteriit. fugiendam autem esse expeditionem in Siciliam, quam Leontinis opem laturi emiserant, cum tunc hostes regionem nostram inuasissent, & Deceliam aduersus nos muniuissent, atq; postremo ab ea temeritate temperaretis, cum bello inferiores ipsos, ut pacem agerent, Lacedæmonij prouocarent; & præter Atticam, Lemnum, & Imbrum, ac Scyrum haberent eorum legibus subiectas, nihil eorum facere uoluerunt, uerum decertare, cum uiribus defecti essent, delegerunt. Cleophon uero Lyrarum opifex, quem pleriq; compedibus uinctum recordabantur, cum turpiter in ciuium numerum ascitus esset, & pecuniarum largitione populum corrupisset, gladio eius collum abscissurum minabatur, siquis pacis mentionem fecisset.

demum eo ciuitatem adduxerunt, ut libenter pacem fecerit. cum rebus omnibus priuati essent, & mœnia demolirentur, præsidiumq; & prætorem Lacedæmonium recepissent, ac popularem statum illis XXX. permisissent, qui mille quingentos ciues indemnatos interfecere, eiusmodi amentiam confiteor me tunc prædicasse uitandam esse. quæ uero paulo ante dixi, imitanda fore. ista, non ab alienis, sed ab omnium mihi charissimo perdidici. Atrometus enim pater meus, quem tu conuitijs insectaris, cum neq; noueris, neq; uideris ea ætate, quis nam esset, & præsertim tu ô Demosthenes, qui ab materno genere, ex Scythis pastoribus descendis, sub XXX. Tyrannis exulauit, & populum ipsum simul restituit, ac matris meæ frater, mihi uero auunculus Cleobulus Glauci Acarnei filius unà cum Demæneto Buzygo nauali prælio Chilonem Lacedæmoniorum nauarchum pariter superauit. ut mihi liceat familiæ meæ ciuitatisq; solitas clades his auribus audire. Obijcis præterea mihi concionem habitam in Arcadia in præsentia infinitæ multitudinis, & legationem, quódq; à proposito diuerterim; ais, cum ipse illiberalis existas, &, ut sic dicam, infamis transfuga. egò enim in bello Arcadas, quoad potui, & reliquos Græcos aduersus Philippum solicitaui, cum nemo ciuitati opem ferret. uerum hi, quodcunq; euenisset, despicerent. alij simul nos inuaderent. Oratores, qui in ciuitate erant, pecuniarum subministratorem ad quotidianos sumptus bellum sibi facerent, fateor populo suasisse, ut Philippo reconciliaretur, & pacem faceret, quam tu nunc censes ignominiosam esse, cum arma nunquam attigeris, hanc ego existimo multo meliorem

fore quàm bellum. Legatos enim Athenienses spectare oportet tempus, quo legationem obierint: Imperatores copias, quarum sunt ductores. Nam statuas erigitis, & primas sedes, ac coronas, & epulas in Prytaneo conceditis non his, qui pac nunciarint, sed qui in bello fuerint uictores. quod si bellorum rationes ad legatos pertinuerint, munera uero erunt Imperatorum, id efficietis, ut bella sint perpetua, & atrocia futura. nemo enim legatum agere uolet. De Cersoblepte, & Phocensibus, ac cæteris, ob quæ præterea ad calumniam raptus fui, reliquum est, ut dicam. Ego enim Athenienses cum in prima tum in posteriore legatione quæ uidi, ut uidi, uobis retuli, quæq; audiui, ut ad aures peruenere. quæ igitur sunt, quorum alia uidi, alia de Cersoblepte audiui? Vidi quippe ipse ac unà legati omnes Cersobleptis filium obsidem stare apud Philippum, atq; adhuc insuper id ita perseuerat. contigit autem, cum priorem legationem obibamus, ut ego cum reliquis legatis huc concederemus, Philippo uero, ut in Thraciam exiret, apud uos autem, ut profiteremur, quousq; uos de pace deliberaretis, ne peninsulam armis ingrederetur. illa itaq; die, qua pacem constituistis, nulla prorsus est habita mentio de Cersoblepte. at nobis delectis ad iuramenta petenda necdum profectis in secundam legationem, concio aduocata fuit, in qua Demosthenem, qui me ad præsens lacessit, sorte eductum fuit præsidem consilij fore. In hac concione Critobulus Lampsacenus proposuit, se à Cersoblepte missum, petereq;, ut Philippi legatis iuramenta præstarent, & Cersobleptes inter socios uestros conscriberetur. hæc dicta cum essent, Aleximachus Galea decretum tradi-

dit præsidibus consilij legendum, in quo descriptum fuit, ei, qui à Cersoblepte uenerat, iuramenta ad Philippum cæterosq; socios reddenda fore. quo decreto perlecto; atque ista existimo uos omnes recordari, consurrexit Demosthenes è cæteris præsidibus, atq; dixit, decretum id neque pacem firmare, neq; eam soluere, neq; se socios agnoscere, qui sacra pertingant, ut in fœderibus fieri consueuit. atq; eis rebus alteram concionem impendi debere. uos cum reclamassetis, atque ad suggestum præsides conuocaretis, ita eo inuito decretum extitit confirmatum. quòd uera dicam, cita, qui scripsit decretum, Aleximachum, & consilij præfectos Demosthenis consessores, & testimonium recita. TESTIMONIVM PRAESIDVM CONSESSORVM DEMOSTHENIS. Qui igitur hic paulo ante lacrymari uidebatur Demosthenes Cersobleptis recordatus uidetur eum à societate excludere. ut uero, quæ tunc aderat, concio dimissa fuit, ad iuramēta astrinxere Philippi legati in uestro tabernaculo prætorio. ausus autem fuit in præsentia uestra dicere accusator, q̃ ego Critobulum à sacris repulerim, qui legatus uenerat è Cersoblepte, ei rei cũ socij interessent, & populus in suffragia iret, ac Duces considerent, unde tantas uires acqsiui? uel quo pacto res silentio inuoluta fuisset? quòd si ego id agere ausus fui, id uero tu permisisti Demosthenes? & forum clamore, & uociferatione non implesti, cum me intuereris, ut modo ais, legatum à sacris arcere? Aduoca duces ô præco & consessores sociorum, ac eorum testificationes audite TESTIFICATIONES. At qui graue est, Athenienses, siquis ade

uersus eum uirum, qui non priuati ciuis, sed publicam, ut ita dicam, personam gerat, eiusmodi ementiri audeat, maxime cum de eius capite agatur. aut quo pacto non iure meritóq; maiores nostri in capitalibus iudicijs, quæ in Palladio fiebāt, palàm facere consueuere, dum uictimas concidentes, qui suffragijs euiserant, sacramento obstringebant, atq; etiam nūc id uobis patrij est moris, quòd qui pro eis suffragium tulissent, uera iustáq; decreuissent, ac non ementirentur. quòd si minime id factum esset, ita eos perditis, ut ipse eiusq; familia sit execrabilis, iudicibus uero multa bonáq; deprecemini, atq; id perquam recte & ciuiliter Athenienses. Si enim nullus sit uestrum, qui uelit alterius morte etiam iusta se polluere, profecto ab iniusta cæde se abstineret, ut uel uitam alicuius, uel opes auferat, uel honorem. quas ob res ipsos nōnulli interfecere, alij publico supplicio affecti fuere. Nunquid igitur Athenienses mihi ueniam dabitis, si cinædum ipsum appellauero? ac non admodum corpore purum? adde quòd ne ea quidem parte, unde uocem emittit. deinde, num & reliquam accusationem, quæ ad Cersoblepten pertinet, uel manifesto ostendam mendacium continere? Pulcherrimum enim id esse existimo, atq; his, qui apud uos in calumniam trahuntur, uel summe conducibile, quòd tempora, & decreta, atq; eos, qui illa confirmarint, publicis literis continuo asseruatis. hic enim in conspectu uestro professus est, uel ex hoc ipso res Cersobleptis dilapsas fuisse, quòd cum ego legationis ducem agerem, & apud uos secundam concionem habuissem, ipso suadente, quòd nos in Thraciam pergeremus, Cersoblepte obsesso, ut Philippo testatum id relinqueremus, ista fa-

cere noluerim. uerum in Oreo moratus fuerim, dum mecum collegæ commeatus pararent. audietis porro Charetis epistolam, quam tunc populo misit, quòd Cersobleptes regnum perdiderat, ac sacrum montem Philippus occuparat VII. KL. Martij. hoc uero ipso mense Demosthenes in populo præsulatum egerat, cum VIII. KL. unus è legatis dinumeraretur. EPISTOLA. Non modo itaq; sequentibus eius mensis diebus moram traximus, uerum & mense Martio profecti fuimus. atq; eius rei Senatus testimonium exhibebo. ipsius enim extat decretum, quod mandat legatos proficisci debere ad iuramenta. recita Senatusconsultum. SENATVSCONSVLTVM. Insuper, lege quo tempore id actum fuerit. TEMPVS. Intelligitis, quòd III. Non. Martij decretum extitit confirmatum? Cersobleptes autem quot ante diebus mensis, qui præcesserat, imperium amisit, prius quàm ego proficiscerer? ut testantur Chares Imperator, & Epistola, si tamen Februarius Martium præcedit. Poteram igitur ego Cersoblepten seruare, qui antequam è domo discederem, perierat? deinde, putatis hunc aliquid ueri dixisse, aut eorum, quæ in Macedonia gesta fuere, uel quæ in Thessalia, utpote qui curiam, & publica monumenta, & tempora, & conciones ementiatur? atque Cersoblepten, Athenis cum præses esses, fœderis expertem feceris, in Oreo uero eius misererearis, & hoc tempore me largitionis accuses, cum tu prius Areopagitici consilij iudicium subiueris? neq; uulneris accusationem persequaris, quam in Demomelen Pæanieum consobrinum tuum instituisti, cum tibi caput præcidisses, atq; apud nos gloriaris, uelu-

ti id nesciamus, quòd Demosthenis filius spurius existas gladiorum opificis? id praeterea dicere aggressus fuisti, q cum ad Amphictyones legationem eiurassem, illam uiolarim. & hoc quidem decretum recitas, illud uero omittis? ego quidem cum ad Amphictyonas legatus delectus essem, & aegrotarē, ac magna cum promptitudine eam, à qua ueneram, legationem retulissem uobis coràm, legationem rursus obire non repudiaui: uerum quoad per me fieri posset, legatum me acturum pollicitus fui. cumq; ad Senatum collegae mei se contulissent, fratrem, & ex fratre nepotem meos, ac medicū misi, nō ut me essent excusaturi, neq; enim lex pmittit, populi scita in Senatu eiurare, sed ut aegritudinem meam significarent: ut uero collegae, quae Phocensibus cōtigerant, intellexere, pedem retro retulerunt, aduocataq; concione, cū iam ipse adessem, et cōualuissem, populusq; nihilominus me cogeret legationem obire, eos omnes, qui ab initio delecti fuerāt, nihil ementiri debere apud Athenienses cōstitui: & istius legationis me non accusas, cum rationes reddiderim, sed ad eam uenis legationem, quae ad iuramenta missa fuerat; de qua aperte & legitime me defendam. tibi enim ac omnibus, qui mendacia confingunt, conuenit, tempora transferre, mihi uero ordine dicere, orationis inde exordio sumpto: quando ad iuramenta profecti sumus, & legationem obiuimus. Primum enim cum X. essent legati, ac undecimus à socijs uobiscum missus esset, nullus cum eo, quādo in posteriorem legationem egressi fuimus, simul contubernio uti uoluit: neque in itinere fieri potuit, ut in eodem hospitio diuersaretur. cum ex priori legatione notauissemus, q ipse his omnibus insidias parasset. de profectione

igitur in Thraciam nulla est habita mentio, neque enim decretum id nobis iniunxerat, uerum hoc solum, ut iuramenta reciperemus; & alia quædam, neq; quicquam eorum, quæ ad Cersoblepten attinent. cum profecti illuc essemus, agere permittebatur, cum iam omnia gesta essent, ut paulo ante au diuistis: neque is aliquid ueri retulit, uerum mentitur, & cũ re uera nulla in re criminari possit, monstra fingit. duo autem homines eum insequebantur, qui stragula ferebant. in horum altero, quẽadmodum ipse dicit, argenti talentum inerat, ita ut legationis collegæ antiquas de eo appellationes recordarentur. cum enim puer esset ob turpem quæstum & lasciuos gestus Battalus est nominatus. at puerilem ut excessit ætatem, & tutorum condemnationem in X. talentis sibi reportauit, Anguis uocatus fuit. in uirum euasus cõmune improborum cognomentum calumniatoris .s. est consequutus. proficiscebatur autem captiuos, ut dicebat, atq; id in præsentia uestra professus modo fuit, redempturus. ut Philippum intellexit nullam eo in bello Atheniensium redemptionem unquam admisisse, & ab omnibus illius amicis audiret, quòd si pax fieret, cæteros quoq; captiuos ipse foret dimissurus. cum multi autem essent, qui fortuna ea aduersa usi essent, ipse talentum attulit, quod ad unum uirum neque eum admodum diuitem liberandum sufficeret. postea uero quàm fuimus in Macedonia, & unà conuenimus, & Philippum è Thracia adesse deprehendimus, lectum est decretum, iuxta quod legationem obiueramus, atque ea, quæ nobis ad iuramenta accipienda demandata fuerant, adnotauimus. ubi postquam nemo magnis de rebus mentionem habuisset, uerum circa minora

tempus consumeret. ego ea uerba feci, quæ uobis ut referam necesse est. atque per Deos Athenienses ueluti & accusationem, ut accusator dicere uoluit, audiuistis. ita & defensionem ordine audiatis. & eandem potestatem mihi facite, quam à principio in iam habitis Orationibus audiendis fecistis. qđ enim pauloante pollicitus fui Athenienses, dum legati coacti essent, dixi. unum, quod uel maxime à populo fuerat iniunctum, graui cum probro ignorare mihi uideris. Iuramenta enim recipere, ac cæteris de rebus disserere, & de captiuis uerba facere, etiam si ciuitas ad ministros misisset, ipsisq; fidem adhibendam decreuisset, omnia factum iri non dubito. de rerum autem summa consulere, quæcunq; in rem uestram sunt, id operis prudentium esse legatorum. quippe aiebam ego de expeditione in Pylas, quam in apparatu esse conspicitis. quòd autem ea de re non imperite coniecter, non modica horum uobis argumenta præbebo. adsunt enim Thebanorum, ueniunt autem Lacedæmoniorum legati. nos uero peruenimus populi decretum afferentes, in quo descriptum extitit, legatis agere licere, etiam quodcunque aliud poterint, dum id è re fuerit. uniuersa autem Græcia ad id spectat, quod futurum est. si itaque tibi honestum esse populus putasset, libere in decreto ad Philippum efferre, Thebanorum iniuriam delendam, & Bœotiorum mœnia erigenda esse. ista utique in decreto petijssent, nunc autem sibi refugium ad incertitudinem reliquerunt, si non impetrarent, & periculum sibi in nobis faciundum existimarunt. qui bonum enim publicum affectant, par non est, ut locum aliorum legatorum occupent, quos loco nostri Atheniensibus mittere licet,

& ipsi

& ipsi Thebanorum simultates euitent, quorum unus cum fuisset Epaminundas imperator, nulla ratione habita ad Atheniensium dignitatem, in Thebanorum multitudine palàm dixit. Arcis Athenarum uestibula ad Cadmeæ terræ ditionem redigenda esse. ista cum ego interea dicerem, ingenti clamore excepit Demosthenes, quemadmodum omnes, qui aderant legati nobiscum, sciunt. ut reliquis enim eius criminibus illud addatur, Bœotiorum partes sectatur. quæ igitur ab eo dicta fuere sunt eiusmodi. Is homo seditionis & audaciæ plenus existit. ego fateor remissus esse, & periculosa procul uereri. illud tamen denuncio, ne ciuitates ad dissentiendum inter se impellamus, ne nos legati ulla in re nimium curiosi simus. hoc proficere existimo. Proficiscitur in Pylas Philippus, ego occultor. nemo armorum Philippi causa me in iudicium uocabit. sed si quid eorum dixero, quibus opus non sit, aut quicquam eorum fecere, quæ mandata non essent. Postremo omnium decreuere legati, ut quisque nostrum sigillatim cum rogasset, quod utile esse putaret, id diceret. quòd uera dicam, aduoca mihi legationis collegas, & ipsorum recita testimonium. TESTIMONIVM. Postea quàm igitur Athenienses in Pellam legationes conuenere, & aderat Philippus, & Athenienses legatos præco euocauit. primum quidem prodijmus non ætatis ordine, quemadmodum in priori legatione, quod apud nonnullos celebre est, & ciuitatis decus esse uidebatur, uerum, ut Demosthenes tulit, impudentia, qui cum omnium se uel maxime iuuenem esse diceret, eum ordinem, quòd primus diceret, aiebat se minime prætermissurum, neq; alijs id concessurum, in me uidelicet id

alludendo, utpote qui Philippi aures præoccupassem, ac cæteris loquendi facultatem non reliquissem. cum autem calumniam quandam aduersus collegas dicere cœpisset, subiecissetq́;, quòd non omnes eisdem de rebus, neq; pari animorum consensu uenissemus, exposuit officia, quæ ipsi cum Philippo constabant. Primum, cum Philocratis decretum defendit, quando illicitæ rogationis absolutus fuit, quòd Philippo legatos ad Athenienses mittere liceret pro pace obtinenda. Alterum, cum decretum legit, quod ipse scripserat, ut præco, & Philippi legatio fœdus inire posset. Tertium, illud cum decreuit, statis diebus populum rogandum esse pro pace, & eiusmodi enthymema Orationi adiecit, quòd primus os illis, qui pacem excluderent, obstruere uellet, non uerbis, sed temporum dinumeratione. deinde alterum subintulit decretum, scilicet, ut populus de societate consuleretur. ac post hæc, & illud, de prima sessione Philippi legatis in liberalibus ludis danda: atq; addidit curam erga eos habendam: & puluinarium suppositionem, ac custodias quasdam, & uigilias ob eos, qui inuiderent, & eius laudis studio contumeliam inferre uellent: atq; ista prorsus ridicula, ob quæ collegæ præ pudore occultabantur, quòd legatos Philippi hospitio suscepisset, quòd ipsis, cum recederent, multorum rhedas conduxit, & in equo apparuit, non tenebris, ut cæteri, inuolutus: uerum palàm rerum obsequium aperte demonstrauit. Illa iam apprime distinguebat. non dixi, quòd pulcher esses: mulier enim rerum omnium pulcherrima est, neque quòd uehemens compotor: cum eam spongiæ laudem esse arbitrarer, neq; quòd memor: cum eiuscemodi laudationes sophistæ, qui ope-

ram suam in id mercede locat, esse putarem. ne longior sim: istiusmodi fuere. quæ in conspectu legatorum uniuersæ (ut ita dicam) Græciæ dixit, ob quæ, non uulgares risus concitati fuerunt. postea quàm quieuit, & silentium actum extitit, coactus ego fui Orationem habere post huiusmodi imperitiam & ignominiosæ assentationis immodestiam: & cum pauca necessario præfatus essem, aduersus eã criminationem. quam ipse contra collegas ante extulerat, dixi, quòd nos Athenienses legatos miserant, qui non in Macedonia pro uobis ipsis defensionem susciperemus, sed qui domi uita, probati ciuitate digni esse uiderentur. & cum pauca quædam de iuramentis, ad quæ recipienda ueneramus, ante dixissem, & reliqua percurrissem, quæ uos mandaueratis. præcellens enim & eloquentissimus Demosthenes nullius rei necessariæ mentionem habuit. ita de expeditione in Pylas uerba feci, & de sacris, & de Delphis, & de Amphictyonibus: & id uel maxime contendi, ne Philippus aliquid de his, quæ ibi essent, armis statuere permitteretur, sed suffragio ac iudicio, quòd si id fieri non posset (illud enim manifeste patebat) aderat quippe exercitus, & collectus erat. dixi, quòd illi, qui pro Græciæ sacris consulturus esset, multam conueniret prouidẽtiam adhibere in causa pietatis: ac eis, qui de patrijs institutis dicere uellent, animum intendere, pariterq; Templi constitutionem à principio percensui, ac primum ex Amphictyonibus conuentum factum, & ipsorum iuramenta perlegi; quibus cautum erat apud ueteres, ne aliquam Amphictyonicam ciuitatem euertere liceret, neq; à lustralibus aquis arcere, siue belli, siue pacis tempore. quòd si quis ea transgressus es-

ſet , expeditionem in illum faciendam eſſe, & ciuitates ſolo æquandas, quòd ſi quis aut prædatus res ſacras fuerit, aut qua in parte conſcius, ſiue quid aduerſus ea, quæ in Templo *eſſent, conſuluiſſet, de eo & manibus, & pedibus, & uoce, ac totis uiribus pœnam ſumendam fore: diraq́; iuramento inerat imprecatio. his lectis palàm, feci, quòd mihi ſententia inerat, iuſtum eſſe, urbium* Bœotiarum *uaſtationem negligendam non fore, quòd & ipſæ* Amphictyonicæ *& iuratæ eſſent, nationes* XII. *numero enumeraui: quæ* Templi *participes erant,* Theſſalos, Bœotios, *non* Thebanos *ſolos* Dorienſes, Iones Perrhæbos, Magnetas, Locros, Oetæos, Phtiocas, Maleenſes, Phocenſes. *et harum unãquamque oſtendi paria ſuffragia ſortitam eſſe, & ſi maxima minimæ conferatur, utpote eum, qui ex* Dorio & Cytinio *uenisſet, æque cum* Lacedæmonijs *poſſe.* Duo *enim quæq; natio fert ſuffragia, rurſus ex* Ionibus Eretrienſem & Prieneum *pares* Athenīēſibus *eē, atq; ita de cæteris. initiū igitur huius expeditionis ſanctum & iuſtum docui. coactis autem in æde* Amphictyonibus, *ac quibus ſalutis & ſuffragij poteſtas erat authores diripiendi à principio* Templi *pœnas luere debere cenſui, non earum patriam, uerum ipſoſmet, qui proprijs manibus ſcelus patrauerant, ac qui conſilium præſtiterant. ciuitates uero, ſi reos in iudicium dederint, impunitas eſſe. quòd ſi immiſſo exercitu* Thebanorum *iniurias ratas feceris, àb his, quibus ſuccurreris, gratiam non conſequeris. tantis enim haud poſſes eos beneficijs afficere, quantis prius* Athenienſes *accumularunt, quorum ne recordantur quidem, uerum quos deſerueris, iniuria afficies: atq; ita ini-*

micos magis quàm amicos tibi parabis. Sed ne in his uerbis, quæ tunc dicta fuere, referendis nimium commorer, nunc, si omnia in conspectu uestro recensuero, illa exacte & per capita enumerando, finem faciam. Fortuna enim & Philippus euentorum domini erant, ego uero beneuolentiæ uestræ & Orationum. à me ergo iusta, & quæ uobis conferrent, dicta sunt, res autem successere, non ut optabatis, uerũ ut Philippus egit. is'ne igitur, qui nihil boni agere in animo proposuerit, dignus est, ut celebretur, an qui nihil, quod fieri potuit, prætermisit? multa in præsenti consulto prætereo, cum tempori non conueniant. Dixit enim, q fuerim ementitus, cum dixissem, intra paucos dies, Thebas depressas fore, ac quòd Euboœnses terrefecerim, cum uos in spes quasdam induxissem. Quid uero faciat, animaduertite Atheniẽses. Ego enim cum essem apud Philippum, postulaui, cum uero ad uos uenissem, nunciaui, q dignum fore existimarẽ, ut Thebæ Bœotiæ essent, non contra Bœotia Thebarum, id me non nunciasse, sed promisisse ait. Dixi in præsentia uestra, q Cleochares Chalcidensis uestrum & Philippi concordiam tam repente factam admirari uideretur, ita ut quod nobis fuerat iniunctum, quodcunque boni potuissemus per decretum efficeremus. paruarum enim ciuitatum ciuibus, sicut ipsis res arcanas maiorum terrorem incutere dicebam. ista me (inquit) non narrasse, sed q Eubœeam traditurus esset, pollicitum fuisse. ego enim ratus fui eam ciuitatem, quæ de summa rerum consultura esset, nullius rei, quæ à Græcis diceretur, imperitam esse debere. Quin etiam criminatus fuit illam rem asserens, q cum ipse uera renunciare uellet, à me & Philochrate

fuerit prohibitus. ego uero uos libenter rogarem, quis ex Atheniensibus, qui unquam in legationem fuerit emissus, ea, pro quibus legatum egisset, unquam populo referre uetitus fuerit? atque ita cum fuisset grauiter affectus & ignominiose tractatus à collegis, hos tamen decreto tulit laudãdos fore, & ad epulas inuitandos. Demosthenes igitur ex posteriori legatione reuersus, in qua ait res Græciæ subuersas fuisse, non per decretum solum nos extulit laudãdo, sed & cum ego in conspectu populi uerba renunciarem, quæ tunc de Amphictyonibus & Bœotijs habita fuere, neque ut in præsenti uerba conciderem & festinarem, sed diligentius quàm fieri poterat, singula quæq; recitarem, & populus id uel summe admitteret, à meq; & cæteris collegis interpellatus esset & rogatus num uera & eadem ... quæ Philippo dixeram, Atheniensibus referrem. omnibus attestantibus & me collaudantibus collegis, cum post omnes surrexisset, non me, ait, ut ibi dixeram, ita dicere in præsenti, uerum illic duplo melius dixisse, atque eius rei uos, qui suffragium laturi estis, testimonium mihi ferre potestis. at qui quod nam tempus illo cõmodius ipsi dabatur, siqua in re ciuitatem decepissem, me è uestigio redarguendi? ais enim priore legatione me te ipsum latuisse, q, aduersus ciuitatem cõspirassem? in posteriori uero id deprehendesse, in qua tum mihi patrocinium impendere uideris, & cum illam pariter accuses, ais te minime accusare: istam uero, qua itum est ad iuramenta recipienda, damnare nosceris. uerum si pacem uituperas, tu quoq; societatem decreuisti: & si Philippus aliqua in re ciuitatem decipiebat, ob id mentiebatur, ut pacem, quæ ei utilis erat, consequeretur? prior

itaq; legatio habuit eiusmodi tempora, posterior uero ob ea, quæ gesta fuerant, facta fuit; quæ nam igitur erant deceptiones? ista nnim esse præstigiatoris hominis ex his, quæ tunc dixit, aduertite, me (inquit) quadam scapha noctu per Lydiam fluuium ad Philippũ nauigasse, et epistolam quæ postmodum huc uenit, Philippo scripsisse. Leosthenes profecto, qui hinc ob quosdam calumniatores exulabat, epistolã commode illi scribere non poterat? quem nonnulli asserere non uerentur post Callistratum Amphidnæum præ cæteris uel maxime in dicendo ualuisse, non ipse Philippus? aduersus quem pro nobis orationem Demosthenes habere non potuit, non Bysantius Python? qui uel celeberrimus in scribendo erat. at (ut reor) res me ipso præterea egebat. Ais quoq; q cum Philippo interdiu sæpe solus cum solo colloquebar, modo criminaris, q noctu per fluuium nauigauerim, usq; adeo nocturna epistola res indigebat. Quòd uero nulla in re uera dicas, ueniunt, qui sunt testimonium laturi, quibus cum uiuebam, Aglaocreon Tenedius, & Iatrocles Pasiphontis filius, quibuscum deinceps reliquum omne tempus noctu quiescebam, qui mihi conscij sunt, uel nullã prorsus noctem ab eis unquam abfuisse, sed ne noctis quidem partem. adducimus & mancipia, illaq; quæstioni subijcimus, & si ita accusator concesserit, dicere desino, iamq; lictor aderit, & in conspectu uestro, si iusseritis, torquebit. At fieri potest, ut per reliquam diei partem ista peregeris, ad XI. enim urnas ad imensum diem causa mea agitur, q si unquam seorsum ab his contubernalibus me cubasse etiam torti dixerint, mei ne misereamini, uerum surgentes interficite, q si ementiri Demosthenes con-

uictus fueris, talem pœnam rependito, confiteare te muliero masculum esse istis coràm, & minime ingenuum. euoca huc mihi ad hoc suggestum seruos, & collegarum testimonium perlege. TESTIMONIVM EVOCATIO. postea igitur quàm euocationem non admittit, neq; enim eam per seruorum tormenta fieri diceret, sume mihi hanc Philippi epistolam, quam Philippus misit, patet enim q; summopere ciuitatem illudit, ob quam scribendam noctes insomnes ducebamus. EPISTOLA. Audite Athenienses, quòd iuramenta, inquit, reddidi legatis uestris. & eius socios, qui præsto fuerunt, nominatim descripsi, ac non ipsos solum, sed, & eorum ciuitates, illos uero socios, qui intempestiue uenissent, se ait ad uos missurum. ista igitur non'ne putatis Philippum interdiu sine me scribere potuisse? At qui per Deos iste mihi uidetur uel id solum cogitare, ut à uobis, dum orationem habet, probetur, si uero paulopost & si post omnes Græcos improbissimus appareat, id tamen ei parum curæ existit, quis enim huic homini in re aliqua fidẽ adhibere posset? qui asserere ausus fuerit, q; Philippus nõ sui ipsius ductibus sed meis concionibus intra Pylas prodierit, atq; uobis quandam dierum supputationem percensuit, quibus ego legationem renunciassem. Phalecij autem Phocensium tyrãni præcones, quæ hic agerentur, retulissent, Phocenses uero cũ mihi credidissent, ipsum intra Pylas admisissent. Ista itaque accusator confinxit, sed res Phocensium euersæ sunt, primum ita fortuna uolente, quæ rerũ domina est cunctarum, deinde propter temporis tractum, & decennale bellum, quod quidem tpis spatiũ et Phocensium Tyrannorũ res romasculo

auxit pariter & destruxit. in regno quidē collocati sunt, cum sacras pecunias contingere ausi fuissent, & Respublicas per externos administrarent. intercidere uero pecuniarum defectu, postea quàm in alendo milite peregrino proprias opes consumpsere. Tertium ipsos deiecit, quæ de more indigentes exercitus comitatur seditio. Quartum Phalecij earum rerum quæ euenturæ essent, ignorantia. Thessalorū enim & Philippi exercitus conspiciebatur, non multo autem tempore, anteq̄ nobiscum pax fieret, Phocensium legati ad nos uenerant, ipsis ut opem ferremus, postulantes, & propterea se tradituros pollicentes Alponum, & Thronium, & Nicæam loca uel præcipua inter omnes aditus in Pylas. cumq; uos decreuissetis Proxeno Imperatori Phocenses ea loca dare debere: & quinquaginta triremes instruendas esse. ac eos qui XXX. annos nati essent, exire, ut loca Proxeno assignarēt, uinxere tyranni legatos, qui nobis loca præsidijs apta dare promiserant: & cum caduceatoribus. qui seclusa libamina afferrebāt, soli ex Græcis Phocenses fœdus sancire noluerunt: rursusq; Archidamus Lacedæmonius cum paratus esset ea loca recipere, & custodire, minime paruerunt, uerū illi responderunt, se de Spartæ rebus non autem de suis grauiter timere: Atq; hucusq; Philippo reconciliati non eratis: quinimmo eadem die & de pace consultabatis, & epistolam Proxeni audiebatis, q. ei loca tradere noluissent: ac q. qui libamina nunciarant, solos, ex cæteris Græcis Phocenses fœdera nō recepisse pronunciarunt: sed & legatos, qui huc uenerant, uinxisse. quòd autem uera dicam. aduoca mihi caduceatores: ac eos, qui à Proxeno Imperatore ad Phocenses legatum egerunt, Ca

listratem et Metagenem: & audite Proxeni epistolã. EPISTOLA. auditis Athenienses tempora quæ lecta fuere ex publicis tabulis: & ex testibus: qui nobis testimonium dixerunt, q, priusquam ego legatus designatus essem, Phalæcus Phocensiũ tyrannus nobis & Lacedæmonijs diffidebat: Philippo autem fidem præstabat. at hic solus, quod euenturum erat, ignorabat? uos enim ipsi in publicis rebus quomodo affecti eratis? non'ne omnes sperabatis, Philippum Thebanos depressurum fore? cum eorum temeritatem intueretur, et uires tam infidorum hominum augescere nollet. Lacedæmonij non'ne nobiscum aduersus Thebanos in legationem profecerunt? & tandem palàm non'ne restiterunt in Macedonia: & Thebanorum legatis minati fuere? ipsi uero Thebanorum legati non'ne dubij erant, & timebant? Thessali nõ cæteros deridebant? cum à se exercitum stare dicerent? ex socijs Philippi quidam in conspectu nõnullorum ex nostris non dicebant, q, Philippus Bœotiæ ciuitates instauraturus esset? Thebani rebus omnibus prorsus diffisi non exiuere? ista cum uideret Philippus non nobis epistolam scripsit, q, omnibus copijs egrederemini his auxilium laturi, qui merebantur. qui uero nunc bellum affectant: & pacem ignauiam appellant, pace & societate uobiscum contracta, ne uos exiretis non prohibuerunt? cum illud se timere dicerent: ne milites uestros in obsides Philippus acciperet. utrum itaq; ego maiores nostros uetui ne populus imitaretur, an tu, & qui tecũ contra Rempublicam conspirarunt? atque num tutior & melior exitus Atheniensibus fuisset, quando Phocenses quasi furibundi uagebant, & cum Philippo bellum gerebant: Alponumq; de-

tinebant: & Nicæam nondum Philippus Macedonibus trã diderat: ac libationes seclusas, quibus opem laturi eramus, non recipiebant: Thebanos uero post terga reieceramus. cũ Philippus quidem accerseret: sed fœdera et societas nobis inita forent: & Thessali ac alij Amphictyones in expeditione erant. non multo melior hæc uobis occasio extitisset, quàm illa. in qua per ignauiam pariter & maliuolentiam tuam omnia ex agris Athenienses intra urbem conuexerant, cum tertiam ego legationem agerem ad communem Amphictyonum conuentum: ad quam me non designatum dicere audes profectum fuisse: cumq; nondũ esses inimicus, in hodiernam usq; diem ementitæ legationis me deferre noluisti?non enim scaues,ne capitis pœnam subeam. cũ itaq; Thebani assiderẽt, deprecarentur, ciuitasq; uestra te ꝑpter tumultuaretur:et & pedites Athenienses non adessent: ac Thessali Thebanis adiuncti forent ob imprudentiã uestram pariter & inimicitiam aduersus Phocẽses: quæ etiam ab antiquo tẽpore Thessalis constabat, quando Phocenses, quos ex eis obsides acceperant, interfecissent. & Phalæcus, anteq̃ ego, & Stephanus, et Dercylus ad Amphictyonas legati uenissemus, sub inducijs abijsset: et Orchomenij formidarẽt, et fœdera corporibus ꝑprijs postularent, ut ex Bœotia abirẽt: adessentq; Thebanorũ legati, ingenitaq; existeret non dissimulãda inimicia Philippo aduersus Thebanos & Thessalos: tunc res interciderunt non mea sed proditionis & cum Thebanis hospitalitatis tuæ causa. magna quippe reor huiusmodi rerum argumenta me esse præbiturum si enim aliqua ex his uera essent: quæ tu ais, Bœotij me accusassent: & qui ex Phocensibus supersunt: quos

partem eieceram, partim, ne quasi postliminio rediret, prohibueram, in præsentia cum ad ea, quæ contigerunt, non respiciant. sed beniuolentiam meam intuiti, qui ex Bœotijs reliqui sunt, unà coacti mihi patronos conduxere. ueniunt ex Phocensium urbibus legati: quos ego, dum tertiam ad Amphictyonas legationem agerem, seruaui. cum Oetæi dicere ausi fuissent, quòd eorum adolescentes ex aliquo edito loco præcipitari deberent: & ad Amphictyones produxi, ut defensionem aliquam consequerentur. Phalæcus enim Tyrannus sub inducijs dimissus fuerat, ij uero innoxij morituri cũ essent, me defendente euaserunt. quòd uera dicam aduoca Mœmnasonem Phocensem & collegas legationis, & eos, qui ex Bœotiorum fuga selecti sunt, huc ascende Lipare & Pythyon: eandemq; gratiam mihi reddite in me eximendo à uitæ periculo, quam uobis exhibui. DEFENSIO BOEOTIORVM ET PHOCENSIVM. *quid non igitur indigne uexor. cum (si Demosthene Thebanorum publico hospite & omnium Græcorum improbissimo accusante & Phocensibus ac Bœotijs me defendentibus conuictus essem) is dicere non erubuerit, q; ipse in meas rationes incido. ait enim me dicere solere, quòd Timarchum condemnauerim: quoniam omnes de eo famam acceperint, q; se prostituissent. cum tamen inquit q; Hesiodus Poeta bonus dicat.*

Non moritur fama omnino, quam turba uirorum
Plurima uulgauit. quoniam est ipsa una dearum.

Hancq; ipsam Deam ad præsens uenire dicũt ad me accusandum. quòd omnes aiunt, me à Philippo pecunias accepisse. Optime nostis Athenienses, q; plurimum differunt fama atq;

calumnias. fama enim nihil commune habet cum suspitione. suspitio uero & calumnia Germanæ existunt. uerum apertius utranq; ipsarum definiam. fama quidem est, cum ciuium multitudo sponte sua nulloq; impulsu aliquid asserat, tanquam id factum fuerit. Calumnia uero est, cum apud multos uir unus criminatione iniecta & in uniuersis concionibus & in Senatu aliquem infamat. & famæ perindæ, ac Dea sit, publicæ sacrificamus. Calumniatorum autem uelut maleficorum hominum publicæ delationes habentur. ne itaq; pulcherrima turpissimis commisceas. Ob multa quidem ex his: quæ mihi obiecta fuere, indignatus fui, tum uero maxime, cũ me proditorem esse reprehenderit. unà etenim cum his ipsis criminibus me ferum & animi ab humanitate alieni esse ut constaret, necesse esset, ac quàm plurimis alijs peccatis antea obnoxium: cum tamen uitæ meæ, quotidianiq; uictus uos æquos æstimatores esse existimem. quæ uero plerisq; uestrum incognita, his tamen, qui recti sunt animi, maxima uidentur, horum plurima, quæ improbanda non erunt, ut ex meis uidere possitis, in medium adducam. ut sciatis, quæ pignora, cum in Macedoniam legatus abij, domi reliquerim. Tu porro Demosthenes ista in me non uere narrasti, ego autem, ut à puero institutus fui, & iuste illa explicabo. Hic mihi pater est Atrometus omniũ ferè ciuium natu maior, quatuor enim & nonaginta iam uixit annos: ac ei, cum iuuenis esset, euenit, priusquam opes bello amisisset, ut se corpore exerceret. cum uero à XXX. eiectus esset, ut in Asia militaret, & in aduersis strenue se gesserit. ex ea quippe tribus parte ortum habuit: quæ earundem ararum cum Eteobutadis socia

erat. unde Palladis Polliadæ ſacerdos creari ſolet. populum quidem (ut pauloante expoſui) reduxit. omnes quoq; ingenuos fuiſſe mihi contigit à matre cognatos: quæ nunc ob oculos meos pro mea ſalute timens ac dubia uerſatur. uerum Demoſthenes, mater certe mea XXX. regnantibus in Corinthum cum eius uiro exulauit, & calamitatum ciuilium particeps fuit. tu dubius an uir eſſes, cum & ego ambigam, uir ne ſis, tanquam aciei deſertor es delatus: & delatorem Nicodemum Aphidnæum cum pecunijs corrupiſſes, euaſiſti: quem poſtea cum Ariſtarcho cum interfeceris manibus impuris, forum ingrederis. Philochares iſte ex fratribus noſtris ætate prouectior cum non per ocium uitam traduxiſſet, ut tu uitio dabas, ſed in Gymnaſijs ſe excoluiſſet, & ſtipendia cum Iphicrate emeritus eſſet, tertio ab hinc anno aſſidue rei bellicæ ducem agat, accedit uos deprecaturus, ut me ei incolumen reddatis. Aphobetus iſte cum inter fratres noſtros iunior exiſtat, & legationem ad Perſarum regem ex urbis dignitate pro uobis egerit: beneq; & legitime prouentuum ueſtrorum curam geſſerit, cum ipſum publicæ adminiſtrationi præfeciſtis, & cum pater effectus filios genuerit iuxta legitimas ſanctiones, neq; Noſioni, ut tu, uxorem accũbere faciat, hic adeſt contumelias tuas aſpernando, confictum enim opprobrium in aures non penetrat. Auſus fuiſti erga affines meos dicere, ita impudens es & longe omnium ingratiſſimus, quòd Philodemum Philonis patrem & Epicratis non diligis, neque uereris: cuius opera inter tribules aſcitus fuiſti, ut ſciunt antiquiſſimi quique ex Pæanieis. Obſtupui equidem, quòd Philoni conuitiari auſus fueris, at-

que id in conspectu modestissimorum hominum huius ciuitatis, qui huc, ut pro utilitate Reipublicæ iudicarent, ingressi fuere, quiq; magis ad uitam utriusq; nostrum, quàm ad uerba attendunt. Vtros magis eos optare speras pedites decem mille, qui Philoni similes essent, & uiribus ita ualerent, animisq; ita saperent, an Catamytos triginta mille, qualis es tu, & istiusmodi uitæ institutionem Epicratis Philonis fratris probro tribuis? ac quis eum unquam uidit aliquid agere indecore, aut interdiu, ut tu ais, in liberalium ludorum pompa, noctu'ue. Non enim diceres, quòd latuerit, cum non ignoraretur. Mihi porro Athenienses ex Philodemi filia & Philonis sorore ac Epicratis tres filij constant, una fœmina & mares duo: quos ego huc accedẽs cum alijs adduco, uel unius rei rogandæ causa, uniusq; argumenti: quo nunc ad iudices utar. Rogo Athenienses, an uobis uidear præter patriam & amicorum consuetudinem, sacraq;, & sepulchra maiorum: quorum aliquis mihi est usus, hos omnium hominum mihi charissimos Philippo prodere uelle? ac multo pluris illius amicitiam, quàm istorum salutem facere? qua uoluptate allectus? uel quid ego unquam indecori, pecuniarum causa egi? non enim Macedonia malos bonos'ue facit, sed natura. neq; alij sumus ex Macedonia uenientes. sed ijdemmet: quos emiseratis. adiunctus fui in Republica administranda homini supra quàm dici potest, præstigiatori & improbo: qui nunquam, ne inuitus quidem, uera dicit. præcedit, cum quid emẽtiri uelit, uerba iusiurandum, accedente oculorum impudentia, ac quæ facta non sunt, non solum ac si facta essent, enarrat, sed & diem, qua dicit ea facta fuisse: additq; iusiu

per alicuius nomen confictum, ueluti is præsens fuisset, eos exprimendo, qui uera dicunt. una in re feliciter agimus: qui nihil deliquimus, quòd in monstruosis moribus explicandis, & nominibus componendis mente caret. Videte quæso dementiam simul et hominis imperitiam: qui eiusmodi de Olynthia muliere mendacium commentus aduersus me fuit, ob quod, dum diceret, à uobis est explosus: nam hunc, qui plurimum ab istis rebus abhorrebat, apud eos, qui illum bene nõuerant, criminabatur. Considerate uero, quamprocul ad id crimen obijciendum se accinxit. est enim quidam Aristophanes Olynthius, qui frequenter in hanc urbem nostram se conferre assueuit. huic cum à quibusdam commendatus esset, & intellexisset, quòd in dicendo ualeret: & propterea ipsum supra modum reuereretur, eum allexit, & persuadere uoluit, quòd uobis coràm aduersum me falsum testimonium ferret, & in medium prodiret, ut conquæreretur, & diceret, quòd in mulierem quandam eius familiarem & captiuam petulanter me gesserim, quingentas ei drachmas se ei daturum tunc promisit, alias insuper quingentas, cum testimonium dixisset, isq́; (ut ipse exposuit) respondit, quòd non inique, sed melius quàm posset in se defendendo, & illi necessitati occurrendo prouideret, quòdq́; ab eo more ipse admodum alienus esset, ac quicquam tale nunquam se facturum dicebat. Quòd uera dicam, Aristophanem ipsum testimonium dicentem producam. aduoca mihi Aristophanem Olynthium, & testimonium recita, eosq́; qui ipsos non audierunt, & mihi retulerunt Dercyllum Agnusium, Autoclis, & Aristidem Cephisium Euphileti filios. TESTIMONIVM. Te-

stes

stes iurantes & testimonium ferentes auditis. eas itaq; detestandas orandi artes, quas hic iuuenibus pollicetur, & quibus in præsenti contra me usus fuit, ad memoriam reuocate, dum lacrymaretur, & Græciam deploraret, Satyrumq́; Comicum Histrionem extolleret, quòd nonnullos eius hospites captiuos factos, cum Philippi uineam foderent, & uincti essent, à Philippo in conuiuio impetrasset. ista cum præfatus esset, uocem illam acutam & impiam extulit, quàm graue esset, quòd cum is, qui Carionas & Xanthias repræsentare solitus erat, ita ingenuus & magnanimus fuerit. ego uero, qui tam potentis urbis consiliarius essem, quiq; innumeros Arcadas consilio regerem, ab iniuria non continuerim, cum quidam ex socijs Philippi hospitio nos excepisset, uerum ira percitus crinibus pertractam mulierem captiuam apprehenso loro flagellauerim. uos igitur, si ei fidem præstitistis, aut Aristophanes si turpi accusatione iniuste me detulit, propterea ipse peream? Sinetis ergo hunc tam sceleratum non tam in ciuitate quàm inter nos uersari? & concionem subuerti patiemini? dum uero decreta feruntur, per hũc uota facietis? exercitumq́; pedestrem aut naualem emittetis? At qui Hesiodus ipse ait,

Sæpe uirum propter peccantem concidit omnis
Vrbs: quem non teneat pietas hominum'ue Deorum.

Ad ea præterea, quæ dicta sunt, illud adiungam, siqua est inter mortales improbitas, qua Demosthenem nõ excellere ostendam, morte plectar. uerum quia existimo quòd multa & permolesta reum comitantur, & eius animum ab ira periculum reuocat ad uerba de salute facienda, mentemq́; cõ

dirigit, ne quid eorum, quæ obiecta sunt, prætermittat, uolo uos pariter & meipsum quæ opposita fuere memoria repetere. rem quanq; quæso Athenienses percurrite, quam ob legem, quam tulerim, in iudicium uocer, quam'ue abrogarim, aut quid ne fieret, uetuerim, quæ'ue fœdera pro ciuitate iniuerim, aut quas de pace sanctiones deleuerim, seu siquid uobis displicuisset, ipse præterea ad Senatum retulerim. Pax aliquibus Oratoribus minime placuit. at qui non'ne eis tunc repugnare licebat, non autem in præsentia me criminari? ditescebant nonnulli per bellũ ex tributis uestris et publicis redditibus, nunc uero otiamur. at pax non alit ignauiam. deinde non qui iniuria affecti fuere, sed qui Rempublicam damno affecere, ei, qui pacis author fuit, pœnam irrogabunt? & uos, qui adiuti estis, eos, qui Reipublicæ profuere, destituetis? Concinui ego unà cum Philippo (at accusator ait) cantilenas, quòd Phocensium urbes dirutæ essent. at quo argumento quis id palàm facere posset? accersitus quippe fui unà cum cæteris legatis ad hospitalia conuiuia, ac qui fuerant conuocati & conuiuæ erant, adnumeratis, quæ ex Græcia uenerant, legationibus, non minus ducentis fuere. inter hos (ut fertur) ego uisus fui: qui non tacerem (ut ait Demosthenes) uerum concinerem: cum neq; ipse adesset, neq; eorum aliquem, qui interfuisset, testem exhibeat: eáq; re ego deprehensus fui? nisi forte ut in choris præcinuerim. si igitur tacebam, falso me accusas, quòd si patria adhuc incolumi existente, ciuibusq́; nulla in re communi male affectis simul cum cæteris legatis Pæana cecini, cum Deus uenerare tur, Athenienséq; nulla ignominia afficerentur, pie utiq; agebam, &

nihil iniurius eram, quinimmo iure seruari deberem, deinde ob hæc ego talis sum, ut mei non sit miserendum? tu uero pius existimeris, qui eorundem libaminum, eiusdemq; contubernij socios àccusare non uerearis. Mihi quoq; exprobrasti, q, in administranda Republica temere me gesserim. siquidem, dum priorem ad Philippum legationem egissem, Græciam aduersus eum concitarim. at qui si id reprehendendum putas, cæteros quoq; Athenienses communiter accuses necesse est. Bellum gerebatis cum Lacedæmonijs post cladem in Leuctris acceptam, ijsdem opem tulistis. Thebanos exules in patriam reducebatis, rursusq; cum his in Mantinea pugnauistis. cum Eretriensibus & Themisone bellum gesfistis, eosq; deinde seruastis, infinitosq; propemodum alios ex Græcis ad eum modum tractastis. uiros enim & urbes ad id, quod optimum est (ut tempora ferunt) conuerti necesse est. bonus Senator quid quæso agere debet? non optima quæq; (ut occasio tulerit) ciuitati consulere? at improbus accusator quid dicat oportet? non tempora supprimendo ut actiones reprehendat? Is, qui natura ꝓditor est, qua ex re quæso spectādus est, non'ne itaq;, ut tu te erga quoslibet, qui tibi occurrerūt, & fidem præstarunt, gesfisti: qui pecunia corruptus forensem actionem aduersarijs litigatoribus edideris. mercede accepta pro Phormione Nūmulario Orationem conscripsisti: quam Apollodoro, qui Phormionem in iudicium capitis uocarat, palàm fecisti. ingressus fuisti fortunatas ædes Aristarchi Moschi filij. hasq; perdidisti, cum ante tria talenta ab ipso Aristarcho exule abstulisses: quæ in eius exilij uiaticū satisfactura erant, eam infamiam non ueritus: quam, q,

eius ætatis iuuenilis amator esses, generares: quod tamen re uera non erat. iustus enim amor improbitatem non admittit. ista & his similia ad proditorem pertinent mentionem uero alicubi fecit de militia: meq́; egregium militem appellauit. ego enim non huius maledicentiæ causa, sed ut præsenti periculo occurrerem, de his mihi copiose dicere licere existimo. ubi enim, aut quando, seu apud quos desertor fuerim, hodierna die hæc ipsa commemorabo. Ex pueris ut excessi, duos annos huiusce regionis lustrator fui: eiusq́; rei adolescentes, qui unà nobiscum eiusmodi negotio præfecti erant, testes uobis exhibebo. cumq́; primam militiam, quæ per uices fieri dicebatur, absoluissem, eamq́; deductionem cum coætaneis & peregrinis Alcibiadis militibus: quæ in Ophliuntem missa fuerat, fecissem, nobisq́; periculum circum illam uallem: quæ Nemeadis dicitur, creatum foret, ita decertaui, ut à ducibus fuerim laudatus. reliquas quoq; expeditiones: quæ postea successere: quæq; gentilitiæ, & uicissitudinariæ dicebantur, perfeci: in eaq́; pugna quæ in Mantinea commissa fuit, certaui non per ignominiam, sed ex ciuitatis dignitate. Expeditiones præterea feci in Eubœam. ita insup grauī cū periculo inter extraordinarios milites in Tamynis pugnaui, ut ibi corona donatus ab imperatoribus fuerim, itidemq́; rursus à populo, cum huc uenissem, urbisq́; uictoriam retulissem, & Temenides tribus Pandionis centurio: qui huc mecum legatus ab exercitu fuerat destinatus, quo pacto in re periculosa me gessissem, renunciasset. q uera dicam, sume illud decretum, & aduoca Temenidem: & qui mecum in expeditione pro ciuitate fuere: Phocionemq́; Imperatorem,

non tãquam patronum, nisi his aliter libuerit. cum adhuc red dendæ rationis sit obnoxius, uerum ut testem huic calumniatori, si fuerit ementitus. DECRETVM. TESTIMONIA. Cum primus itaq; urbis uictoriã uobis nunciarim, liberorumq́; uestrorum uirtutem, illam uel in primis gratiam à uobis peto, uitæ scilicet meæ salutem, cum populo nõ fuerim infestus, ut ait accusator, sed improbos odio habuerim, neq; permiserim, ut maiores Demosthenis imitaremini, neq; enim extant, sed ut consilia, quæ Reipublicæ conferrẽt, sequeremini, fuerim adhortatus. ea enim si altius repetiero, paulo apertius rem exponam. In primis enim ciuitas nostra maxima in celebritate fuit post naualem pugnam cum Persæ in Salamine habitam: & cum muri à Barbaris prostrati fuissent, & pax nobis constaret cum Lacedæmonijs, in populari regimine permansimus. cum uero à nonnullis excitati essemus, & bellum aduersus Lacedæmonios eduxissemus, & multas passi essemus erumnas: per Miltiadem Cimonis filium caduceatoris officio fungentem: qui erga Lacedæmonios se pro publico hospite gerebat, quinquaginta annorum fœdera contraximus, eisq; per tres ac decem annos usi sumus. Per id temporis Peiræum muro cinximus, rursumq́; ad Aquilonem murum tendentem construximus: centumq́; triremes ultra eas: quæ nobis constabant, fabricauimus: trecentosq; equites insuper instruximus: ac trecentos Scythas sagittarios comparauimus: popularisq; status firmus nobis manebat. cum autem administratio Reipublicæ nostræ ad nonnullos illiberales deuenisset homines: & qui moribus modesti non erant, rursus in bellum incidimus cum Aeginetis: &

cum ob id non modica damna passi essemus, pacem summo studio affectauimus. emisso Andocide ad Lacedæmonios, alijsq; legatis XXX. annorum pacem egimus, quæ populum in sublime euexit. mille enim talenta numeratæ pecuniæ in arcem congessimus: trigintaq; rursus triremes compegimus: & naualia extruximus: milleq; & ducentos equites comparauimus, totidemq; sagittarios: & oblongus murus ad austrum munitus extitit, ac nemo popularem statum miscere ausus fuit, rursusq; cum Megarensium gratia bellum mouere adducti essemus, & regionem diripi ferremus, alijsq; plerisq; commodis priuaremur, pacem sumus deprecati: illamq; per Niciam Nicerati filium impetrauimus: atq; per ea tempora septem milia talenta in arcem retulimus ob hāc ipsam pacem: triremesq; ad enauigandum aptas & integras non minus trecentis habebamus. tributum porro uobis singulis quibusq; annis plus mille ducentorum talentorum accedebat: Cheronesumq;, & Naxum, & Eubœam possidebamus, plurimasq; colonias sub ea tempora deduximus, & cum tot commodis feliciter ageremus, ab Argiuis inducti bellum pro eis aduersus Lacedæmonios eduximus, & tandem ex oratorum cauillosa contentione in ciuitatis custodiam, & quadringentos illos, ac in impios ipsos XXX. incidimus non pace acta, sed ex his: quæ nobis imperabantur, compulsi, rursus cum Rempublicam prouide regeremus, & populus ab arce reuertisset, Archinusq; & Trasybulus cum essent tribuni plebis, iureiurando uos adegissent, ut iniuriarum inter nos habitarum memoriam deleremus. cum uero omnes Rēpublicam prudentissime agere arbitrarentur, tūc demum

populus incensus uires collegit. homines enim noui ascriptitij ciues effecti cum morbum continuo ciuitati inferrent, & bellum ex bello suis administrationibus oriri facerent, in pace res periculosas uerbis prouidebant, animosq; ambitiosorum hominũ & ad rixas proelium concitabant, in bello certe ne arma quidem ipsa attingebãt. Censores autem & classis praefecti cũ elapsi fuissent suscipiendis ex meretricibus liberis incumbebant, & ignobiles ob eorum calũniam effecti fuere, ita ut Rẽpublicam nostram ad extrema pericula redegerint, ac popularis status nomen non moribus, sed assentatione excolebant, cum pacem, qua Respublica cõseruatur sustulissent, bellorum turbine inter se pugnando: per quae populus dissipari solet. hi quippe nunc in me unum conuersi ueniunt, & aiunt Philippum pacem emisse: & per ea foedera omnia nostra anticipasse, eã uero pacem, quam sibi conferre aduertisset, ipsum transgressum esse. me porro non uti legatum, sed ueluti Philippi sponsorem accusant: & à me tanquam pacis, & omnium dictorum authore euentorum rationem exposcunt. hoc ipso, quem in decretis ferendis laudatorem habui, in foro utor accusatore. unus cum ipse sim ex X. numero legatis, solus rationes reddere cogor: mecumq;, qui uos deprecantur, adsunt, pater: à quo spem eius senectutis ne auferre uelitis, fratres: qui à me seiuncti sibi amplius uiuendum esse negarent: cognatiq; & hi infantes: qui adhuc sunt periculorum expertes: quiq; misericordia digni essent, siquid nobis aduersi eueniret: pro quibus ego deprecor, & supplex rogo, ut eorum admodum curam habeatis, & ne eos inimicis, molliq; & effoeminato homini ad eius iracundiam cõdonetis.

Deos quidem primum rogo & obtestor, ut me seruent, deinde uos: quorum in manu est suffragatio, & apud quos aduersus quodlibet crimen obiectum, ut mei memoriam haberetis, me defendi: atq; precor, ut me tueamini. orationumq́; scriptori, & malo alioquin Scythæ ne tradatis. quoti enim quiq; uestrum patres estis familias, aut fratrum iuniorum curam habetis, recordamini, quàm celebri cohortatione ad temperate uiuendum in eo iudicio: quod de Timarcho habitum fuit, usus fuerim. ab reliquis uero omnibus: quibus ego iniuriosus non fui, cum mediocris fortunæ fuerim, & modeste uobiscum uixerim, in ciuilibus bellis solus præ cæteris aduersus uos non conspirarim, illud peto, ut à uobis salus mea custodiatur, utpote qui ipse omni cum beniuolentia pro ciuitate legationes obiuerim, ac solus calumniatorum turbines sustinuerim: quos pleriq;, qui animo clari in bello fuerunt, sufferre non potuerunt. mors enim timenda non est, uerum ignominia est formidolosa: in qua moriendum sit. Qui enim miserendum non est, cum uultum inimici irridentis oporteat intueri: & auribus maledicta percipere. Attamen audacter actum est: uitaq́; periculo exposita fuit. Apud uos educatus fui. uestris in contubernijs uixi. nemo uestrum meis libidinibus aliquo incommodo ob habitationes uestras affectus extitit, neq; patria eiectus fuit, me in cõspectu populi accusante, dum recensiones fierent, aut, cum reddendæ rationi obnoxius esset, capite est diminutus. si pauca quædam dixero, mox descendam. Ego uiri Athenienses, quod neminem uestrum offenderim, id in mea potestate habui. ne autem accusarer, fortuna domina fuit: quæ in manibus calumniatoris & Barbari

hominis me constituit: qui & sacris, & fœderibus, & mensa contemptis, cum eos extimesceret: qui in futurum ipsum essent oppugnaturi, aduersus nos uenit, præmeditata oratione me falso criminando. q̄ si eos custodire uolueritis: qui pacis, & tranquillitatis uestræ fuere propugnatores, multos habebitis adiutores: qui in commodum Reipublicæ, & pro uobis prompto animo pericula subibunt. testatum autem in eam rem uoco Eubulum inter urbanos & modestos uiros uel unum patronum, Phocionem uero inter imperatores, qui & iustitia pariter cæteros excellit, ex necessarijs autem, & coæuis Nausiclem, ac reliquos omnes: quibuscum amicitia coniunctus, eorum deniq; studiorum particeps fui. mea quidem oratio habita fuit, caput uero meum uobis committimus ego & leges.

DE CONSTITVTIONE CAVSAE ORATIONIS AESCHINIS CONTRA CTESIPHONTEM EX INNOMINATO.

CONSTITVTIO Orationis est negotialis ex scripto, sicut & illa, quæ est p̄ Ctesiphonte et de Corona. Locos uidelicet negotialis eosdemmet continet, qui & ibi habentur, ut legitimum in tres leges distributum, iustum in quatuor tempora distinctum. Vide quàm concluse exorsus est, ut patronos & defensores à causa abalienaret, sicut & Demosthenes. Quidam dixere

quòd procemium probationem non habet. igitur ne conclusio quidem quærenda est, uerum non est sine probatione. Est enim principium probatio eius. s. ne æqua & usitata fierent in ciuitate. siquidem propositionis causa est probatio propter illud, ne æqua in ciuitate fiant, illud per forum prensationes, probationem esse necessario dicendum fuerit. Habet & conclusionem ibi. Ego autem fidens uenio usq; eo, plus legibus & æquitate ualere.

INCERTI AVTHORIS ARGVMENTVM ORATIONIS AESCHINIS CONTRA CTESIPHONTEM DE CORONA.

Ctesiphon decretum scripsit, quòd Demosthenes Pæanieus Demosthenis filius aurea corona donaretur, quodq; corona ludis Bacchanalibus prædicaretur inter Tragœdos et in Theatro, quòd. s. & rebus gestis & concionibus de populo Atheniēsi optime meritus esset. Hoc decretum detulit Aeschines uelut latum contra leges, & treis generales locos adducit. Vnum quidem, quòd Demosthenem contineat rationibus referendis obnoxium corona, in magistratu dum esset, donari, cum lex iubeat, obnoxium in magistratu minime corona donari licere, & hic locus respicit naturam causæ & essentiam. Secundus locus est, quòd scripserit in Theatro coronam prædicandam fore, cum tamen lex uetet, aliquem in Theatro corona donari, & is locus in qualitate uersatur. Tertius locus & postremus est, quoniam & falsa scripserit

in decreto. neq; enim honestum, neq; probum uirum, neq; corona dignum ait esse Demosthenem. atq; is locus ad caput item illicitæ rogationis est reducendus, quoniam lex extat, quæ prohibet falsa in decretis inseri. Est autem hic locus & à qualitate. Hi uero tres loci treis aduersas recipiunt sublationes & refutationes, quia ad primum duplici uia respondet Demosthenes, quòd in magistratu non esset, neq; enim murorum refectio magistratus est, sed ministerium quoddam & cura. quòd item si & magistratus esse concedatur, quoniam ex suis ipsius pecunijs in eam rem sumptum fecerit, ac nihil ex publico ærario acceperit, dicendum non esse ait, quòd rationibus referendis obstrictus esset. Et utraq; ex his rationibus est à qualitate. Aduersum has rationes locum adducit à coniectura, non tamen illum probat. Si quidem ait non de sua pecunia impendisse, uerum in eam rem X. talenta habuisse à Senatu, & hæc refutatio est à natura rei & essentia. Secundo autem loco obijcit Demosthenes alteram legem iubentem, prædicationem in Theatro fieri posse, si populus decretum sanxisset, cui respondet Aeschines, eam legem non esse de ciuicis sed de coronis peregrinis. quæ ratio sumpta est item à natura rei atq; essentia. Ad tertium autem locum multa particulatim affert, ob quæ putat Demosthenem in quatuor tempora defensionem suam partiturum, quascunque res gestas ad ea quatuor tempora reducendo. Primum igitur tempus esse ait, cum primum bellum confectum fuit aduersus Philippum de Amphipoli. Secundum esse pacis. Tertium secundi belli, & cum clades accepta fuit in Chæronea. Quartum quidem præsens instansq; tempus ait esse, ubi cō-

tinentur adminiſtrationes Reipublicæ factæ per Demoſthenem in gratiam Alexandri. Primo igitur tempore ait ipſum fuiſſe authorem turpis & cum ignominia contractæ pacis, et quòd ciuitas eam fecerit, non expectato communi Græciæ conuentu. Altero autem tempore, quòd ipſe bellum aduerſus Philippum excitauerit. Tertio quidem tempore, quòd ipſe in cauſa fuerit belli pro templo moti, & omnium eorum, quæ Phocenſibus euenere, & calamitatis in Chæronea acceptæ, cum perſuaſiſſet eis, qui à bello contra Philippum moto recedebant, ut unà cum Athenienſibus in aciem & ad congreſſum prodijſſent. Poſtremo autem tempore ait, quòd per illud tempus ad Alexandri commodum Rempublicam rexerit Demoſthenes, atꝗ poſt iſta & uniuerſam Demoſthenis uitam carpit, & Cteſiphontis, quamuis eam leuiter. qua in re petit, ut Cteſiphon ipſe ſe ipſum ac per ſe defendat. Loci quidem huius Orationis ſunt, qui ſuperius expoſiti fuere. in ea tamen contentione ſuperior fuit Demoſthenes. reprehendunt tamen nonnulli Aeſchinem, quòd non inſtiterit in accuſatione illicitæ rogationis, ſed quòd momorderit adminiſtrationem Demoſthenis, uiri alioquin eiuſmodi, qui bene Rempublicam rexerit. Verum ipſe huius contrario innititur, cum ita dicat, Supereſt mihi ea pars Orationis, qua maxime innitor. hoc autem eſt uelamentum illud, propter quod petit ipſum corona donari. hanc autem partem nunquam, quòd ſatis fuerit, perfecit, quoniam grandem opinionem & fidem apud omnes creauerat Demoſthenes, quòd ipſe præclariſſime Rempublicam adminiſtraſſet, merito exiſtimatum eſt, eas Orationes Aeſchinis de illicita rogatione uiſas iri frigidas.

& nullo numero esse, nisi contrariam opinionem eorum animis ingenerassent, quòd uidelicet Demosthenes maleuolo animo esset erga populum Atheniensem, quódq; indigne & uitiose Rempublicam administrasset, propterea huic rei maxime studuit, & in hac parte Orationis plurimum uersatus est. Aliquis reprehendere posset Procemium huius Orationis, quòd sit Tragicum, & superuacaneum, & magis Epilogi simile.

ARGVMENTVM M. T. CICERONIS IN ORATIONEM AESCHINIS CONTRA CTESIPHONTEM DE CORONA, SVMPTVM EX LIBRO DE OPTIMO GENERE ORATORVM.

CVm lex esset Athenis, nequis populi scitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu prius, quàm rationes retulisset, & altera lex eos, qui à populo donarentur, in concione donari debere, quia in Senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosq; refecit pecunia sua, de hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaq; donatio fieret in Theatro, populo conuocato. qui locus non est concionis legitimæ, atque ita prædicaretur, eum donari uirtutis ergo beneuolentiæq;, quam erga populum Atheniensem haberet. Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quòd contra leges

ſcripſiſſet, ut & rationibus non relatis corona donaretur, et ut in Theatro, & quòd de uirtute eius & beneuolentia falſa ſcripſiſſet, quoniam Demoſthenes nec uir bonus eſſet, nec benemeritus de ciuitate. Cauſa ipſa abhorret illa quidem formula conſuetudinis noſtræ, ſed eſt magna. habet enim & legum interpretationem ſatis acutam in utranq; partem, & meritorum in Rempublicam contentionem ſanè grauem. Itaq; cauſa fuit Aeſchini, quoniam ipſe à Demoſthene eſſet capitis accuſatus, quòd legationem ementitus eſſet, ut ulciſcendi inimici cauſa nomine Cteſiphontis iudicium fieret de factis, famaq; Demoſthenis. non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo, quòd ciuis improbus, ut optimus laudatus eſſet. Hanc mulctam Aeſchines à Cteſiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, ſed iudicium factum eſt aliquot annis poſt, Alexandro iam Aſiam tenente, ad quod iudicium concurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe. Quid enim aut tam uiſendum, aut audiẽdum fuit, quàm ſummorum Oratorum in grauiſsima cauſa accurata, & inimicitijs incenſa contentio? quorum ego Orationes, ſi, ut ſpero, ita expreſſero, uirtutibus utens illorum omnibus, ideſt ſententijs & earum figuris & rerum ordine uerba perſequens eatenus ut ea non abhorreant à more noſtro, quæ ſi è Græcis omnia conuerſa non erunt, tamen ut generis eiuſdem ſint, elaborauimus. erit regula, ad quam eorum dirigantur Orationes, qui Attice uolunt dicere. ſed de nobis ſatis, aliquando enim Aeſchinem ipſum Latine dicentem audiamus.

AESCHINIS ORATIO CONTRA CTESTESIPHONTEM DE CORONA.

QVAE *fuerint parata, & ad repugnandum composita uiri* Athenienses *conspicitis, quæq; factæ sint in foro prensationes, quibus aliqui usi fuere, ne æqua & usitata fierent in ciuitate.* Ego *autem fidens uenio* Dijs *primum deinde legibus atq; uobis, nullam ratus ambitionem plus legibus & æquitate ualere.* Vellem *igitur* Athenien. *Senatum,* Quingentos *&* Cōciones *recte ab his, qui præsident gubernari : & leges, quas* Solon *tulit de decoro ab* Oratoribus *seruando, obtinere.* Primum *quidem, ut* Senatori *cuiq; ex ciuibus liceret, sicuti leges præscribunt, cum in suggestum composite ascendisset, sine tumultu & perturbatione, ut facultas tulerit, quæ utilia sunt* Reipublicæ, *consulere, deinde, ut ex reliquis ciuibus is, cui per ætatem licuerit, per se, si uelit, & ex parte de quaq; re sentētiam dicere possit. hoc enim pacto, ut mihi uidetur, ciuitas optime regeretur, & iudicia minus frequentarentur.* Postea *uero quàm omnia, quæ prius ex confesso honesta habebantur, interciderunt, nonnulliq; sententias facile dictant, præter leges, alij uero hæc ipsa decreta confirmant, qui non*

merito iureq; sortiti sunt, ut præsideāt. sed ex ambitione subsellia complent. aliquis uero ex alijs Senatoribus si forte plane electus fuerit, ut præsideat, qui uestra decreta, ut par est, amplexetur, hunc isti, qui, fieri non potest, ut Rempublicam communem sed suam ipsorum propriam existiment, læsæ Reipublicæ deferre minantur, priuatos in seruitutem redigendo, dominatum sibi uendicando, iudicia, quæ lege fiebant, sustulerunt, ea uero, quæ à decretis pendebant, ut libet, irrita faciunt. Vox illa præconis honestissima pariter & modestissima silentio inuoluta est. quis ex his, qui sunt in ciuitate supra quinquagesimum natus annum sententiam dicere uelit? ac iterum quis ex alijs Atheniensibus? Oratorum uero indignitatem non amplius coercere ualent, neq; leges, neq; præfecti pratorio, neq; præsides, neq; Tribus, cui præsidere cōtigerit, quæ decima pars est ipsius ciuitatis. Hæc autem cum ita se habeant, & occasiones eiusmodi ciuitati occurrāt, quales eas esse uos suspicamini, una superest pars Reipublicæ, siquid ego cognitione assequi possum, Rogationum uidelicet contra leges latarum delatio, si certe & hanc abstuleritis, uel his, qui eam auferunt, assenseritis, prædico uobis, quòd his indulgendo paulatim Rempublicam imprudenter perdetis. Bene quidem nostis Athenienses, quòd apud omnes homines tres sunt Reipublicæ species, Tyrannis, Paucorum potentia, & Popularis status. Tyrannides quidem & paucorum dominatus iuxta mores regnantium. Ciuitates uero quæ sunt sub populari statu, legibus latis regūtur. Nemo igitur uestrū hoc ignoret, uerū palàm quisq; sciat, quod cū in forum uenerit accusatio rogationum contra leges latarū, is qui ea die iudicaturus,

laturus est, laturus quoq; est suffragium de sua ipsius libertate loquēdi, ꝑptereaq; legislator primo ordine iurisiurādi posuit, quod his præstatur, qui futuri sunt iudices, secūdū leges decernam, illud qdem recte animaduertens, q̃ cū leges ciuitati fuerint cōseruatæ, ipse quoq; popularis status saluus manet, quæ uos cum memineritis, oportet contra leges rogantes odisse, ac nullum ex huiusmodi criminibus putare paruum, sed quàm maximi esse momenti, neq; quenquam hominum ab hoc uestro iure pati eximere, neq; prætorum tutelas, qui cum iam pridem quibusdam oratoribus fauerint, Rēpublicam lædunt, neq; externorum militum præces, quos cum quidam excitent, ex iudicijs elabuntur, Rempublicam, cui insistunt, exlegem reddendo, sed sicut quemlibet uestrum puderet, eam classem deserere, quam in bello ex ordine nactus esset, ita nunc uos pudeat, eius ordinis desertores esse, qui hodierna die à legibus in custodiam popularis status uobis præstitutus existit. illud quoq; ad memoriā reuocasse oportet, q̃ in præsentia cum è ciuibus, qui ciuitatem uestram uobis crediderint & Rempublicam apud uos deposuerint, partim quidem adsint, & hoc audiant iudicium, partim uero absint peculiaribus negocijs detenti, quos cum uereamini, cum propter iusiurandum, quod præstitisse recordamini, tum propter leges, si Ctesiphontem euic crimus, & rogationes contra leges tulisse, & falsas ac ciuitati inutiles. abolete, ô Athenienses decreta contra leges edita, confirmate pro commodo ciuitatis popularem statum, castigate eos, qui aduersus legem & ciuitatem & commodum uestrum Rempublicam pertractant. q̃ si hanc mentem habueritis, ut uerba, quæ sunt de hac re dicenda, audiatis,

probe noui, quód iusta ac pia, & uobismet ipsis utilia decernetis ac toti ciuitati. De uniuersa igitur accusatione mediocriter uideor iam prius dixisse, de ipsis autem legibus, quæ aduersus obnoxios latæ sunt, contra quas hoc decretum Ctesiphō rogasse deprehēditur, breuibus dicere in animo est. superioribus enim temporibus cum nonnulli maximos agerēt magistratus, & publicos prouentus administrarent, & hos, ut libebat, largirentur, oratoresq́; è Senatu et ex populo eminus aucuparentur, redditiones rationum laudationibus & prædicationibus euitabant, ita ut in reddendis magistratuum rationibus ad maximam inopiam accusatorum, multo uero etiam magis iudicum fuerit deuentum. multi enim eorum, qui rationibus reddendis ualde admodum obstricti erant, cum in ipso pecuniarum publicarum furto deprehensi fuissent & conuicti, ex iudicijs aufugerunt, iure meritoq́;. uerecundabantur etenim puto iudices, si is ipse uir in eadem ciuitate, & eodem forte anno paulo quidem ante, in ludis publicis, cum laudari uisus fuisset, q uirtutis gratia atq; iustitiæ à populo aurea corona honestatus esset, hic ipse quidem uir capite minutus è foro exeat repetundarum causa, cum pro reddendis rationibus reus factus esset, proptereaq́; cogebantur suffragium ferre iudices de præsenti delicto, sed p populi uerecundia. Cum uero quidam scilicet legislator hæc prospexisset, legem tulit, & ualde quidem honestam aperte præscribentem, rationibus obligatos non fore coronandos, atq; cum hæc ita primo recte constituisset legislator, inueniuntur tn̄ quædam legibus potentiores rationes, quas nisi quis uobis exposuerit, imprudenter decipiemini. Quidam igitur sunt ex his, qui rationi-

bus obnoxios contra leges coronant, qui quidem natura modesti sunt, si quis iam est ex his modestus, qui præter leges rogationes ferunt, ueruntamen aliquid integumenti præ pudore obtendunt, aliquid enim decretis adijciunt, scilicet coronari obnoxium, postquam rationem & examen magistratus gesti reddiderit. At ciuitas quidem pari iniuria afficitur, nam licet examen anteponant laudationibus & coronis, is tamen, qui decretum tulit, manifesto fit auditoribus, q rogationem contra leges tulerit, uerecundia enim afficitur ob hæc, in quibus errauit. Ctesiphon autem ô Athenien. cum legem protriuisset, quæ lata erat de obnoxijs rationibus reddendis, & integumentum illud, quod modo uobis exposui, abiecisset, antequam rationem, antequam examen subiret Demosthenes, rogationem tulit, eum interea, dum magistratum gereret, coronari. Dicent quidem ô Athenien. aliam quandam rationem ei, quæ modo dicta est, contrariam, ut igitur quæcunq; aliquis, cum electus fuerit, ex decreto gesserit, id non est magistratus, sed cura & ministerium quoddam. eos enim magistratus esse aiunt, quos legislatores in templo sorte distribuunt, & illos, quos populus in comitijs prætores & præfectos equitum, & similes his magistratus suffragijs creare consueuit. reliqua uero omnia negotiationes quasdam ex decreto demandatas. Ego uero ad horum rationes legem uestram adducam, quam uos rogastis, per eam putantes sublata iri huiusmodi integumenta, in qua aperte descriptum est, magistratus, inquit, omnes, qui sortitione dantur, cum legislator uno nomine comprehendisset, & adiunxisset, omnes magistratus esse eos, quos populus sorte distribuit, & præfectos

inquit, publicorum operum, est enim Demosthenes muris reficiendis curator. maximi operis perfectus, ac omnes, quicunq; aliquid eorum quæ ad ciuitatem pertinent, plus triginta diebus administrant, & quicunq; iurisdictionis potestatem nanciscuntur, præfecti uero publicorum operum omnes iurisdictionis potestate utuntur, quid iubet lex hos facere? non ministerium præstare, sed cum ad magistratum admissi sint, ut in foro præsideant, cum et magistratus sortitione dati non sint improbati, at quia probati sunt, præsident, atq; rationem & administrationem in codicem referre apud scribam & hos curatores, quemadmodum & cæteros magistratus iubet. Quòd autem uera dicam, leges ipsæ uobis legentur. LEGES. Cum igitur Athenienses, quos legislator uocat magistratus, isti appellent negotiationes & curas, uestri est officij commemorare & opponere legem contra horum impudentiam, & ipsis obycere, q admittere non consueuistis perditum Rhetorem, qui audeat uerbis leges euertere, sed quanto magis quis fuerit eloquentia præditus, si rogationem contra leges dictauerit, tanto maiore indignatione dignus fiet. oportet enim Athenien. eandem esse Oratoris & legis uocem, cũ uero aliam habeat lex, diuersam iactet Orator, pro iure legis suffragium ferre oportet non pro dicentis impudentia. Ad eam iam rationem, quam euitari non posse credit Demosthenes, pauca dicere uolo, ita enim dicet, muris reficiendis sum adhibitus curator, fateor, uerum cẽtum libras largitus sum ciuitati, & maius opus confectum est. cuius igitur rei sum obnoxius rationem reddere? nisi quis dicat beneuoli animi rationem reddi debere, ad hanc excusationem iam

me audietis & legitime & è Republica respōdentem, in hac enim ciuitate, quæ ita uetusta existit, & quæ tanta est magnitudine, nemo est ex his, qui ut cunq; ad Rempublicam accesserint, quin rationibus reddendis sit obnoxius. Primum uos ea docebo, quorum præter opinionem ratio est reddenda, ut utriusq; sexus sacerdotes lex præcipit obstrictos esse rationibus reddendis, & summatim omnes, ac quoslibet seorsum, qui præmia corpore tantum acquirunt, ac eos qui pro uobis ad Deos preces emittunt, & non priuatim solum genera ipsa sed & communiter, Aedituos, caduceatores, & reliquos omnes. Rursus nauium præfectos obnoxios esse lex iubet, non eos, qui Respublicas administrant, nō eos, qui è uestris prouentibus multa quidem subtrahāt, pauca autem cum insumāt, largiri se dicant, cum uestra uobis condonent, sed eos qui sine difficultate rem paternam in magnificos sumptus pro uobis exposuerint. Nō solum igitur nauium præfecti, uerum & maxima in ciuitate consilia iudiciorum calculos subeunt. Primum quidē Areopagi Collegium apud Curatores lex mandat rationes describere easq; reddere, & eorum, quæ illic fieri assueuerunt, & rerum maximarū caput ad uestram cognitionem referre. Num igitur coronabitur Collegium Areopagi? id enim apud eos moris non est patrij. Non igitur id affectant? at ualde quidem, uerum non cōsueuere, maxime cum quis coràm eis iniuria quenquam non affecerit, si quis uero peccauerit, puniunt, uestri autem Oratores delitiose degunt. Rursus consilium quingentorum obligatum statuit reddendis rationibus legislator. Et ita uehementer his obnoxijs diffidit, ut statim in ipso legum exordio dicat, magistratum rationi-

bus reddendis obstrictum abesse nō oportere. ô Hercules excipiat aliquis, quoniam magistratum gessi, non licebit abesse? ne uidelicet cum publicas pecunias præripueris, uel ciuitatis negotia gesseris, fugā arripias, iterūq; obnoxiū nō permittit res suas dedicare, neq; pro donarijs suspēdere, neq; abalienare, neq; alias de re sua disponere, neq; alia q̃ plurima facere conceditur. ut uno uerbo dicā, patrimonia obnoxiorū legislator oppignerat, quousq; rationes ciuitati reddiderint? etiam, uerum si uir aliquis inuentus fuerit, qui neq; aliquid è rebus publicis compilauerit, neq; consumpserit, aliquem autem magistratum attigerit, huncne etiam rationem ad curatores referre lex mandat? At quonam pacto, cum is nihil acceperit, neq; consumendo rationem ciuitati abstulerit, ipsa excipit et docet lex quas rationes describere oporteat. præscribit enim hoc ipsum in rationem referri, q̄ neq; scilicet è publicis rebus quicquam subtraxi, neq; consumpsi. Nihil est enim eorum quæ sunt in ciuitate, quin illud subiaceat rationibus reddendis, quin de eo quæri, quin illud examinari queat. q̄ autem uera dicam leges auditote. LEGES. Cum igitur maxime animatus Demosthenes dixerit, q̄ cum sit elargitus, non est obnoxius, illud ipsi uos obijcite. At qui oportebat te permittere ô Demosthenes curatorum præconem hoc patrium & legitimum præconium prædicasse. Quis scilicet accusare uelit, sustine eum, qui è ciuibus tecum contendere uoluerit, q̄ non fueris elargitus, uerum è multis pecunijs, quas habes, in murorum refectionem paucas erogaueris, cum tamen à ciuitate ob hæc ipsa decem talenta receperis, ne tibi arroges magnificentiam, ne calculos è manibus iudicum extorqueas, ne

leges antegrediaris in administranda Republica, quas subjecta qui debes, hæc sunto accessiones dignitatis popularis status. Ad eas igitur communes excusationes, quas isti prætendunt, hactenus responsum sit. Quòd autem Demosthenes re uera erat obnoxius, cum iste decretum rogauit, nam cum quæstor Aerarij publici, dum muris reficiendis curator esset, neutrius istorum magistratuum rationem uobis reddidit, neque calculos datorum & acceptorum subiuit. hæc uero iam uos conabor ex literis publicis docere. Atq; mihi lege, quo prætore, quo mense, qua die, & qua concione populi suffragijs creatus est quæstor ærarij publici Demosthenes, qui medio in magistratu ipsum fore coronandũ rogationem tulerit, lege. RATIO DIERVM. At qui si nihil præterea ultra hoc ostenderem, iuste damnari posset Ctesiphon, tenent enim ipsum non mea accusatio, sed literæ publicæ. prius quidem igitur ô Athenienses custos ciuitati creabatur, qui per singulos magistratus rationes prouentuum in codicem populo referebat. Propter fiduciam autem ab Eubulo uobis contractam, qui quæstores creabantur, prius magistratum gerebãt, quàm Hegemonis lex ferretur de custodis magistratu. coactorum autem & naualium magistratum gerebant & armamentarium reficiebant, erant quoq; & uiarum curatores, ac totius ferè ciuitatis curam habebant, & hos quidem commemoro, non quòd eos accusem & damnem, sed illud uobis manifesto fieri studeo, quòd legislator, si quis unius etiam minimi magistratus rationum reddendarum obnoxius esset, hunc non prius coronari permittit, quàm rationes & calculos reddiderit. Ctesiphontem autem, cum Demosthenes omnes summatim

magistratus Athenis gessisset, non puduit rogationem promulgare, q; is coronandus esset. q; iste igitur murorum reficiendorum magistratum gereret, cum hic decretum rogauit, & q; pecunias publicas tractabat, & mulctas indicebat, quēadmodum cæteri magistratus, ac q; erat præfectus prætorio, horum uobis testes præbebo Demosthenem & Ctesiphontem, Prætore enim Cherunda. III. Calendas Maij. Coacta concione decretum tulit Demosthenes, tribus ad concionem uocādas fore IIII. & III. Nonas Maij. Ac in decreto præscripsit, ex quaq; tribu eligi debere eos, qui curatores futuri sint operum in muris reficiendis, & quæstores, & ualde quidem recte, ut ciuitas obnoxia haberet corpora, à quibus reposcitura esset consumptorum rationem. ac mihi quidem recita decreta. DECRETA. *Sed hæc retundendo statim respondebit, quòd neq; reficiendis muris curator sortitione electus est, neq; à populo suffragijs declaratus, ac de hoc multa uerba facient Demosthenes quidem & Ctesiphon. Oratio autem mea breuis erit, & clara, & quæ celeriter dissoluat istorum artificia. Volo autem in primis de his pauca uobis proloqui. Tres enim sunt species magistratuum, quorum una & omnibus clarissima est eorum, qui sortitione & suffragio populi magistratus declarantur. Altera uero ex his constat, quicunq; res ciuitatis pertractāt ultra* XXX. *dies, ac qui publicorum operum sunt præfecti. Tertia autem in lege descripta est, ac siqui alij ex electione fori præfecturam consequuntur, & hos constat uelut probatos homines magistratū gerere. Postea uero quàm quis detraxerit populi suffragijs declaratos, & sortitione*

datos magistratus superest, hos, quos Tribus ac tertiæ Tribuum partes, & quos populi ex semetipsis eligunt, ut publicas pecunias administrent, electos magistratus esse. id autem fit, cum ueluti in præsens aliquid Tribubus fuerit imperatum, uel ut uallum construant, uel naues fabricent. quòd autem uera dicam ex legibus ipsis docebimini. LEGES. Recordemini iam eorum uerborum, quæ prius dicta sunt, quod legislator eos ex Tribubus iubet magistratum gerere, qui in foro fuerint probati, Tribus uero Pandionis magistratum & murorum curatorem denunciauit Demosthenem, qui pro administratione paulominus X. talentis ad hos reficiendos recepit. Altera autem lex uetat, magistratum obnoxium coronari. Vos autem iurastis secundum leges decreta promulgare. Orator uero rogationem tulit, obnoxium.s.coronari debere, non adijciens, postquam rationes reddiderit, & calculos subierit. Ego autem euincam, id esse contra leges, cum uobis præbuero in testes leges simul & decreta, ac aduersarios ipsos. Quo igitur modo quis apertius hominem ostendere posset, rogationem legibus magis contrariam tulisse? quòd igitur & coronæ præconium in decreto iubeat contra leges fieri, & hoc quoque uos docebo. Lex enim palàm mandat, si aliquem Senatus coronauerit, id in Senatu prædicari, sin uero populus, in concione, alibi quidem nusquam. ac mihi recita legem. LEX. Hæc lex ô Athenienses & ualde honesta est. non enim arbitror legislatorem putasse Oratorem oportere apud externos iactari, sed contentum esse debere in ipsa ciuitate à populo honestari, & nõ in præconijs operam suam locare. sic enim statuit legislator

Ctesiphon autem quomodo? lege decretum. DECRETVM. Auditis Athenienses, quòd legislator præcipit, coram populo, in Pnyce, in concione à populo coronatum prædicari, alibi uero nusquam. Ctesiphon autem in Theatro, non leges solum transgressus, uerum & locum transferens, neq; Atheniensibus concionem agentibus, sed despicatis Tragœdis actus suos recitantibus, neq; in conspectu populi sed coram Græcis, ut nobis sint conscij, quem hominem honestemus. Ita igitur palàm cum rogationem contra leges tulerit, cum unà cum Demosthene restiterit legibus, fraudes parauit, quas, ne incaute fallamini, ego palàm faciam, & uobis enarrabo. Hi enim sicut dicere non poterunt, quòd leges non uetant eum, qui sit à populo coronatus, extra concionem prædicari, ita legem Dionysiacam in tutelam adducent, & quadam legis parte utentur, ut auditionem uestram aucupentur. & legem ad præsentem accusationem nihil ptinentem exhibebunt, ac dicent, quòd duæ extant in ciuitate leges de præconijs, una quidem, quam ego nunc præbeo, ne à populo coronatus, extra concionem prædicetur, expresse interdicentem. alteram uero huic dicent repugnare, qua potestas datur Tragœdis coronam in Theatro prædicandi, si ea à populo fuerit decreta. iuxta uero hanc legem dicent, Ctesiphōtem rogationem tulisse. Ego autem aduersus horum artes leges uestras uulgatas producam, quod itidem studiose efficiam per uniuersam accusationem. Si quidem id uerum est, & eiusmodi consuetudo in Rempublicam uestram inuasit, ut leges abrogatæ, inter eas, quæ ratæ sunt, descriptæ habeantur, ac duæ sint super eadem re inter se pugnantes. quid enim

est, quòd aliquis hanc amplius Rempublicam esse prædicet, in qua eadem leges fieri manent, itemq; nõ fieri. uerum hæc non ita se habent, neq; uos unquam ad tantam legum confusionem deuenistis, neq; de rebus huiusmodi cura non est ab eo legislatore habita, cui Rempublicam componere incubuit, uerum his, quibus legum ferendarum potestas erat, iniunctum fuit, ut singulo quoq; anno leges corrigerent in prætorio, exacte inquirentes & considerantes, siquæ lex alteri contraria esset, uel quæ abrogata inter ratas descripta, aut sicubi plures unà de quoque negocio scriptæ essent leges, ac si quid eiusmodi inuenissent in acta relatum, id iubent ex tabulis priorum Consulum exscribi, præsides autem consilij cõcionem cogere, cum Triumuiri iudicassent, Præfectum uero prætorio suffragationem populo dare, & has quidem leges abrogare, illas uero non tollere, ita ut una sit lex non plures in quoque negocio. uerum mihi recita leges. LEGES. Si igitur uerba Athenienses ab his dicta uera essent, ac duæ extarent leges latæ de præconijs, necessario arbitror, cum eas Triumuiri adinuenissent, Consules autem Triumuiris permisissent, earum legum altera abrogata fuisset, uel quæ prædicandi potestatem concedebat, uel ea quæ uetabat. Cum uero nihil eorum factum sit, manifesto quidem hi euincuntur, non solum falsa dixisse, sed & ea, quæ omnino fieri non potuissent. Vnde uero hoc mendacium excogitauerint, ego uos docebo, si prædixero, quorum gratia leges latæ fuerint de præconijs in Theatro pronunciandis. Cum essent in ciuitate Tragœdi, quidam ex eis præconium declarabant, cum populus in sententiam ductus non fuisset,

eo quòd hi quidem à Tribulibus coronati essent, alij uero à plebeis, nonnulli porro alij cum furtim præconium obtinuissent, uernas suos in libertatem asserebant, Græcos suæ manumissionis testes adhibēdo. quod uero inuidiosissimum erat, quidam in externis urbibus hospitalitates cum inuenissent, se prædicari obtinebant, quòd.s.populus eos coronasset, si ita occurrisset uel Rhodius, uel Chius, uel cuiusuis alterius ciuitatis, uirtutis quidem gratia, uel ob res uiriliter gestas, & hæc faciebant, non sicut hi, qui à Senatu nostro coronantur, uel à populo, cum uos in sententiam duxerint, & ex decreto magnam uobis gratiam acceptam tulerint, sed ipsi illud in animo cum sibi constituissent absq; aliquo scito uestro. Ex hoc autem more eueniebat, ut spectatores, choragiq;, & pugiles turbarentur. qui autem in Theatro prædicabantur, magis honestabantur, quàm hi, qui à populo coronarentur. his enim locus concionis præstitutus erat, ubi eos coronari oporteret, & alibi nusquam prædicari indictum fuerat, illi uero declarabantur in conspectu omnium Græcorum, at hi ex decreto, & cum uobis id persuasum haberent, illi autem absq; aliquo decreto. Hæc etenim cum legislator quidam conspexisset, legem tulit, illi, quæ est de his, qui à populo coronantur, nihil commune habentem, cum tamen & illam non sustulisset, neq; concio propterea turbata extitit, quāuis Theatrum. & quæ lex nihil prioribus legibus aduersetur, id enim minime licet. uerum de his, qui sine decreto uestro à Tribulibus & plebeis coronantur, ac de his, qui seruos suos manumittunt, & de coronis hospitalitatis gratia donatis, & quæ palàm prohibet mancipia in Theatro libertate donari,

à Tribulibusq́; & plebeis coronatum præconis uoce declarari, alioquin præconem ipſum infamia notari. Cum his igitur, qui à Senatu coronati erant, indixerit, ut in Senatum deferrentur, his autem, qui à populo, in concionem, eis, qui à plebeis et Tribulibus coronati eſſent, ne à Tragœdis prædicarentur, denegauit, ne quis, cum coronas & falſa præconia corrogaſſet, honorem conſequeretur. inſuper eadem lege uetuit, ne à quouis alio & plebeiorum & Tribulum abſente Senatu & populo prædicaretur. cum autem expreſſe iſta exceperit, quid aliud ſupereſt præter coronas, quæ ab externis dabantur? quòd autem uera dixerim, magnum uobis argumentum huiuſce rei ex legibus ipſis præbebo. Ipſam enim auream coronam, quæ in Theatro, in ciuitate præconis uoce declarata fuerit, ſacram fore Palladi lex iubet, cum eam auferat ab eo, qui coronatus fuerat. At quis auderet, tantam populo Athenienſi illiberalitatis notam inurere? quoniam non ciuitas, ſed ne plebeius quidem aliquis ita ſordidus eſſet, ut coronam, quam ipſe dediſſet, & quæ ſimul præconis uoce prædicata fuiſſet, eandem auferre uellet, & ſacram fieri, uerum exiſtimo conſecrationem ob id introductam eſſe, quoniam corona cum ab externa liberalitate puniret, ne externam beneuolentiam plurimi faceret, patriam autem poſteriori loco haberet, ſed illam, quæ fuerit in concione à præcone declarata, nemo unquam conſecrauit. uerum eam fas eſt poſſidere, ut non ipſe ſolum, ſed & eius poſteritas monumenti, quod domi haberent, recordati, nunquam eſſent animo infenſo in populum Athenienſem. Ac illud præterea adiecit legislator, peregrinam coronã in Thea

tro prædicari non licere, nisi id populus decreuerit, ut ciuitas, quæ uoluerit aliquem è ciuibus uestris coronæ munere honestare, legatos ad uos mittat, populum oret, ita ut uobis maiorem is, qui prædicatur, habere se gratiam intelligat, quàm his, qui eum coronassent, quoniam eum prædicari concessissetis. quòd autem uera dicam leges ipsas audietis. LEGES. *Postquam igitur, cum tamen uos decipiant dicunt, lege præscriptum esse, coronare licere, si id populus statuerit, illud eis obijcere recordemini.* Certe, *si quidem alia quæuis ciuitas te coronauerit, si tibi populus* Atheniensis *locum designauerit, ubi id fieri oporteat, tibi, extra cōcionem ut prædiceris, interdictum est. alibi ergo nusquam, quodcunque ad populum retulisti, quòd sit ex lege, nunquam ostendes, etiam si tota die uerba feceris.* Reliquum *mihi superest accusationis caput, quod maxime me solicitat. hæc autem est excusatio illa, propter quam ipsum dignum duxerit, ut coronaretur. ita enim ait in decreto.* Atq; *præconem in* Theatro *in conspectu* Græcorum *prædicare debere, quòd populus* Atheniensis *eum coronet uirtutis gratia, & ob res strenue gestas, & quod maximum est, quòd & factis & oratione populum summis beneficijs continuo afficiat.* Reliqua *iam oratio mihi futura est prorsus simplex, & quæ uos auditores dociles redditura est ad iudicandum. hoc quippe me accusantem uobis modo ostendere oportet, quòd laudes, quæ iactatæ sunt de* Demosthene, *falsæ existunt, & quòd nūquam author fuerit ea dicendi, quæ essent è* Republica, *neque in præsentia perseuerat ea agere, quæ populo conducant. si enim hoc ostēdero, huic meæ iustæ accusationi obnoxius cer-*

te erit Ctesiphon. Omnes enim leges probibent, nemini licere falsa in publicis decretis inserere, Reo quidem aliquid in partem huic contrariam est afferendum. Vos autem rationes perpendite. Res profecto ita se habet. Ego quidem, ut uita Demosthenis exquiratur, longiore opus esse oratione existimo. quid enim conuenit ista nunc referre, siue ea dixeris, quæ ipsi euenerint in uulneris accusatione, cum Demomelen Pæanieum ad consilium Areopagi detulisset, & huic tamen ipsi filius ex fratre esset. & quid cum caput rasum haberet, uel quid ea, quæ fecit in Cephisodoti militia, ac quæ in classis enauigatione ad Hellespontum, cum Demosthenes unus esset ex nauium præfectis, & prætorem naui circuntulisset, eiusq; fuisset conuiua, ac cum eo sacrificia libamentaq; fecisset, atq; ista ab eo rogatus esset, tãquam ei à patre amicus foret, Demosthenem non puduit, hunc ipsum Prætorem, perduellionis reum cum fecisset, in capitis iudicium euocare. Et quid ea, quæ fecit in causa Midiæ, & pugnorum, quos excepit in Theatro, dum Choragus esset, ac quòd in eum illatam contumeliam simul & damnationem populi, quam in die festo Dionysij de Midia fecerat, triginta minis diuendidit. Hæc igitur, & his similia mihi omittenda fore uidentur, non quòd iudicium ueſtrum euitare uelim, quòd hanc disceptationem effugiam, sed illud ueritus, ne id uos mihi obijciatis, licet uera sint. quæ à me dicuntur, ea tamen peranti qua esse, & de quibus nemo ambigit. At qui ô Ctesiphon, quando res maxime turpes ita sunt exploratæ & auditoribus cõpertæ, ut accusator non falsa dicere uideatur, sed antiqua, & ualde nota, decet'ne hunc aurea corona honestatum fu

se, an uero oporteat eum de gradu dignitatis deijcere? & tibi, cum falsa dixeris, & rogationem contra leges ferre ausus fueris, num conuenit iudicia illudere, an pœnam ciuitati pendere? De publicis uero delictis apertius dicere conabor. ac intelligo quidem Demosthenem, cum ipsis loquendi facultas dabitur, enumeraturum uobis coràm, quòd quatuor fuerint in ciuitate tempora, quibus ipsi Rempublicam administrauerunt, quorum unum & primum, quemadmodum egò quidem audio, recẽset, illud.s. quo tempore cum Philippo pro Amphipoli pugnabamus. hoc autem tempus pace & societate contracta designat. quam Philocrates Agnusius rogauit, atq; hic ipse unà cum eo, ut ego ostendam. Alterum tẽpus fuisse ait, quo pacem fecimus ad illam usq; uidelicet diem, qua Orator ipse, cum pacem, qua ciuitas gaudebat, euertisset, de bello mouẽdo rogationem tulit. Tertium tempus fuit, quo usq; ad cladem in Cheronea acceptam pugnauimus. Postremum uero tempus, quod nunc præsens imminet, hæc tempora cum recensuerit, me, ut audio, est appellaturus ac rogaturus. cuius nam ex his quatuor temporibus ipsum accusem, & quando ipsum dicam non è Republica in ea uersatum fuisse, ac si respondere noluero, sed capite obuoluto aufugero, se, ait, faciem meam detecturum, huc accedendo, & in hoc suggestum me reducturum, ac coacturum ut respondeam. Ne is igitur ui utatur, ac ut uos rem prænoscatis, ego tibi respondeo Demosthenes, & in conspectu iudicum & aliorum ciuium, quotcunq; iam, aliunde cum huc conuenerint, circumstant & etiam Græcorum, quibus cura est præsenti iudicio interesse. uideo autem non paucos hic adesse, uerum

ſe; uerum quot nemo unquam ad publicam cōtrouerſiam plu res conueniſſe recordatur, reſpondeo, quòd te omnium pariter quatuor temporum accuſo, quæ tu diſtinguis. Atq;, ſi dij uoluerint, & iudices æquo animo nos audierint, et ſi ego eorum meminiſſe potuero, quorum ſum tibi ualde conſcius, ſpero me iudicibus oſtenſurum, ſalutis, quam habet ciuitas, Deos fuiſſe authores, ac eos, qui humane & moderate res ciuitatis tractarunt, omnium uero calamitatum Demoſthenem authorem fuiſſe, & hoc ordine dicendi utar. Primum quidem de primo tempore dicam. Deinde de altero. Tertio de eo, quod iſta inſequitur. Poſtremo de præſenti rerum ſtatu. Atq; iam me ipſum colligo ad pacis caput, quam tu & Philocrates rogaſtis. uobis enim licuiſſet ô Athenienſes, priorem illam pacem cum communi Græcorum conuentu feciſſe, ſi quidam uobis permiſiſſent, ut legationes expectaretis, quas illo tempore in Græciam miſeratis, ut eam hortaremini participem eſſe Græcorum conuentus aduerſus Philippū ac tempore procedente, ut ex illorum uolūtate Græciæ principatum nanciſceremini, & his priuati fuiſtis per Demoſthenem & Philocratem, ac per horum corruptelas, quas acceperunt aduerſus Rempublicam ueſtram conſpirando. Quòd ſi aliquibus ueſtrum huiuſmodi Orationem audientibus repente ea uiſa fuerit incredibilis, ad eum modum reliquam audientiam impartiatis, quemadmodum, cum de pecunijs conſumptis diutius inter ſubſellia quæſierimus, ſi per nos ad ratiocinationem deuentum fuerit, cum prauam tamen opinionem de rationibus ipſis è domo in forum attuliſſemus. poſtea uero quàm ratio inita ſubductaq; fuerit, nemo ueſtrum ita

est natura obtusus, ut non abeat illud confessus, atq; consentiens pro uero, quod ratio ipsa subduxerit. ita quoq; nunc audientiam concedite, quamuis aliqui uestrum huiusmodi è domo prius in forum opinionem attuleritis. Quòd igitur Demosthenes nihil unquam dixerit pro Philippo, ac cũ Philocrate non conspirauerit, si quis ita animo conceperit, neq; absoluat, neq; condemnet, prius quàm rem audiat, neq; enim id iuri congruit. At si me breuibus quidem tempora recensentem, ac decretum, quod simul cum Philocrate Demosthenes rogauit, exhibentem audieritis, si ipsa ueritatis ratio Demosthenem euicerit, qui cum plura tulerit de Philocrate decreta de pace & societate ab initio ineũda, qui maximo cum dedecore Philippum adulauerit, qui legatos ab eo uenientes non expectauerit, qui populo author fuerit, ne in publico Græcorum conuentu pax fieret, qui Cersobleptem Thraciæ Regem uerum amicum & socium ciuitatis nostræ Philippo dedititium reddiderit, si hæc uobis palàm fecero, illud modeste à uobis deprecabor, ut mihi per Deos assentiamini. primum illud ex quatuor temporibus, haud recte scilicet ipsum Rempublicam administrasse. Dicam unde uos hoc maxime assequemini. Retulit ad Senatum Philocrates, ut liceret Philippo, huc mittere caduceatores & legatos, qui de pace agerent & societate. Hoc decretum quoniam contra leges latum esset, instituta est accusatio. cum uenissent tempora accusationis in iudicio prosequẽdæ, Lycinus, qui accusationem instituerat, eam persequebatur, Philocrates decretum defendebat. Demosthenes autem patrocinium simul præstabat, absolutus est Philocrates. post

hæc uenit tempus, quo Themistocles prætor designatus fuit, ac tunc Demosthenes Senatoria dignitate præditus Senatum ingreditur, ad quam dignitatem non sortitione, non electione assumptus fuerat, sed eam de industria emerat, ut toto tempore, quo futurus esset in Senatu, omnia pro uoluntate Philocratis & faceret & diceret, sicut res ipsa docuit. obtinet autem Philocrates aliud decretum, quo cautum fuerat, decem legatos elegendos fore, qui irent ad Philippum, & ab eo peterent, ut huc totidem legatos cum summa potestate pro pace ineũda mitteret. ex his unus erat Demosthenes, qui cum inde in hanc ipsam urbem reuersus fuit, pacis laudator erat, & reliquis collegis in legatione, itidem ut facerent, probabat, ac solus è Senatoribus cum caduceatore ac legatis à Philippo missis fœdus sanciendum fore rogauit, ea referens ad Senatum, quæ Philocrati placebant, Philocrates enim facultatem præbuit, ut huc caduceatores & legati à Philippo mitterentur, Demosthenes uero, ut cum legatione fœdera sancirentur. quæ uero hæc consecuta sunt, quæso mihi animũ uestrum diligenter attẽdite. tractabantur nõ per reliquos legatos, qui in multis postea à Demosthene ex mutatione calumnia sunt affecti, sed per Philocratẽ et Demosthenem, & merito quidem, cum simul legationem agerent, ac decreta simul rogarent. Primum quidem fecerunt, quod uobis expectandi non essent legati, quos emisseratis, ut Græciam cõtra Philippum incitarent, & id fecerunt, ne simul cum alijs Græcis, sed separatim pacem faceretis. Deinde quidem, quod non pacem solum, sed & societatem fieri cum Philippo decerneretis, ac id quidem fecerunt, ut si aliqui uestris copijs confisi

fuissent, ad supremam desperationem deuenirent, cum uiderent uos ipsos, qui cæteros ad bellum hortati essetis, domi non pacem tantum, sed & societatem decretis uestris sanxisse. postremo ut Cersobleptes Thraciæ Rex ne fœderibus comprehensus, néue societatis ac pacis aliquid cum eo commune esset, iam enim exercitus aduersus eum fuerat imperatus, hæc certe cum mercatus fuisset Philippus, nemini iniuriam faciebat: antequam enim fœdera & conuenta sancirentur, inuidiosum non erat, si, quæ in rem suam essent, procurabat. atqui Respublicas prodiderant, & cum Philippo communes fecerant, graui animaduersione digni erant, Demostenes enim, qui se nunc ait Alexandrum, & tunc Philippum odio habere, cum mihi exprobraret Alexandri hospitalitatem, rogat decretum, auferendo tempora ciuitatis, Consules concionem cogere debere. VI. Idus Februarij, cum tunc sacra Aesculapio fierent, ac decreti præludium habebat, in festo die, qua die nemo prius recordaretur eiusmodi quicquam factũ fuisse, aliquam tamẽ excusationem cum attulisset, ut uidelicet, inquit, si Philippi legati iam aduenissent, quàm citissime populus deliberare posit de legatis ad Philippum mittendis, cum ij nondum præsentes essent, concionem præoccupauit, tempora uestra præcidit, & negotium accelerauit, ne simul cum alijs Græcis, si legati uestri reuertissent, sed soli pacem faceretis. post hæc autem Athenienses cum Philippi legati uenissent, uestri autem recessissent, ut Græcos contra Philippum concitarent. tantum aliud decretum rogat Demosthenes, in quo scribit non de pace tantum, sed & de societate, uos non expectato uestrorum legatorum aduentu delibe-

rasse debere, sed statim aduenientc decimaoctaua & decima nona die post Bacchanalia, *quæ in urbe celebrantur. q; autem uera dicam audite decreta.* DECRETA. *Vt uero* Athenienses Bacchanalia *festa præterijssent, & coactæ fuissent conciones, in earum priori decimaoctaua die latum est scitum commune sociorum, cuius capita breuiter ego recensebo. primum quidem de pace tantum uobis deliberare licere, nomen autem societatis omiserunt, non q; obliti essent, sed q; pacem fieri, id ratione necessitatis magis, quàm honestatis, aggrediendum esse arbitrarentur. deinde cum mederentur corruptelæ* Demosthenis, *recte ei rei obuiarunt, siquidem ipsi decreto adiecerunt cuilibet* Græcorum *infra trimestre, ut se in eadem columna describi facerent simul cum* Atheniensibus, *licere, & fœderum participes essent ac conuentorum, quod cum facerent, duo maxima præuiderant. primum quidem igitur, ut tempus trimestre, quod sufficeret usq; ad aduentum è* Græcia *legationum, ei rei subministrarent. deinde ut* Græcos *ciuitati beneuolos redderent, si communem conuentum cum eis haberent, quibus ex rebus fiebat, si conuenta non obseruarentur, ne soli nos, ne imparati bellum gereremus, quæ uos in præsentia ut patiamini, id factum est per* Demosthenem. *q; autem uerum dicam cognoscetis, si ipsum scitum audieritis.* SCITVM SOCIORVM. *Huius decreti fateor me patronum fuisse & defensorem, ac omnes, qui priore concione suggestum ascenderunt, & populus inde recessit opinione ista imbutus, q; scilicet pax faciẽda esset. de societate autem, q; magis è re esset propter* Græ*corum imitationem, ut de ea consilium ne fieret, cum illa de-*

liberatio communis futura esset omnium Græcorum. Nox in medio cum intercessisset, ac postridie eius diei in concione adessemus, tunc cum Demosthenes suggestum præoccupasset, ac nemini ex alijs facultatem loquendi faceret, orationes, quæ hesterna die habitæ fuissent, nihil utilitatis allaturas dicebat, nisi itidem hoc ipsum psuasum haberent Philippi legati, atq; dicebat, se pacem non cognoscere sociorum absentium, neq; admitti oportere aiebat, & uerbi quidem recordor, ut loquutus est, propter iniucunditatem dicentis simul & eius nominis, q societas pacem abrumperet, neq; Græcorum cunctationes expectandas fore, sed ipsos uel bellum subire, uel pacem separatim facere oportere. ac postremo cum ad suggestũ euocasset Antipatrũ, interrogationẽ quãdã de eo rogauit, cũ illũ, quæ dicẽda essent, præmonuisset, ea uera ante docuisset, ad quæ in perniciem Reipu. rñderet tãdẽ hæc supiora fuerũt, uĩ afferẽte Demosthene eius oratione. et Philocrate decret tũ rogãte, quod uero ipsis reliquũ erat, Cersobleptem scilicet & Thraciæ regionem dedititiam fecisse, atq; hoc ipsum VII. Calendas Martij, peregerunt, priusquàm Demosthenes in posteriorem legationem proficisceretur ad iuramenta pacis accipienda, nam qui odio habere Alexandrum & odio habere Philippum præ se ferebat, is Orator bis egit legatum pro uobis in Macedonia, dum ei ne semel quidẽ agere licuisset, qui modo suaserat Macedones fore contemnendos, sedens in concione ea inquam, quæ coacta fuerat VII. Calẽd. Martij, cum esset præses ipse consilij, Cersobleptem dedititium consulto reddidit unà cũ Philocrate, clàm enim nobis Philocrates cum faceret, in decreto ad reliquos uersus il-

lud adscripsit, quod Demosthenes pro concione confirmauit. adscriptum enim fuerat, sociorum consessores iuraměta hac ipsa concionis die Philippi legatis præstare debere. à Cersobleptę, autem consessor nemo conuenerat, cum uero scripsisset consessores iurare debere, Cersobleptem, qui non consederat de fœderibus excepit. ꝙ autem uera dicam, mihi recita, quis fuerit is, qui hæc scripserit, & quis hæc, qui ueluti præses, confirmauerit. DECRETVM, PRAESES.

Pulchra ô Athenienses pulchra res est Rerumpublicarum uigilia, est enim immutabilis, & quæ non consentit his, qui in Republica se transfugas faciunt, sed eam populo potestatem condonat, ut cum uoluerit, eos, qui iam diu mali cum fuerint, mutatione quadam existiment se bonos esse, eos inquam agnoscat. Mihi uero superest assentationem ipsius ꝑcurrere. Demosthenes quippe cum ꝑ annum consulem in Senatu egisset, nullum unquam uisus fuit legationem ad primas sedes inuitasse, sed eo tantum tempore, ac tunc primum quidem in primis sedibus legatos collocauit, & puluinos subiecit, et lectos purpureos substrauit, ac simul luce palàm legatis in Theatrum præiuit, ita ut propter eius impudentiam & assentationem exsibilaretur, & cum Thebas recesserunt, eis tria mulorum iuga conduxit, & legatos ipsos Thebas deduxit, ac ita, ut ciuitas irrideretur, effecit. ut uero in rei argumento ꝑsistam, sume mihi decretum, qd' latum fuit de primis sedibus. DECRETVM. Is igitur ô Athenienses tantus ac tam immoderatus assentator primus qdem, cum per speculatores à Charidemo missos Philippi mortem resciuisset, ac diuinum insomnium sibi cõmentus esset, quasi nõ à Charidemo,

rem didicisset, ementitus est, sed à Ioue atq; Minerua, quos Deos cum in sequenti die peierasset, noctu tamen eit secum sermocinatos esse, & quæ futura forent, prædixisse, septima autem abhinc die cum eius filia à uita discessisset, antequam eam lugeret, & ei parentalia faceret, capite coronato & induto candido pallio solennia sacrificia peragebat, ac leges legibus aduersas rogabat, unicam miser ac primam gnatam patrem ipsum iterum ac tertio appellantem cum amitteret, atq; non exprobro calamitatem, sed mores percunctor. qui enim odio habeat filios, et pater sit malus, nunquam erit Reipublicæ bonus administrator, neq;, qui charissima & familiarissima corpora minime dilexerit, unquam uos, alieni cum sitis, pluris habebit. & qui priuatim iniquus est nunquam publicis in rebus æquus erit arbiter. neq; is, qui domi peruersus est, unquam in Macedonia, in legatione honestus & probus fuit. non enim mores, sed locum tantum mutauit. quomodo ergo ad istam rerum mutationem deuenit? hoc enim est alterum tempus, & quænam est causa, q Philocrates ab eademmet administratione rerum, quam gessit Demosthenes, crimine perduellionis damnatus uerit in exilium, Demosthenes autem præses constitutus est, ut aliorum sit accusator? & quo pacto tandem in has calamitates nos scelestus homo detruserit, hæc iam maxime audiēda fore, dignum existimo. Quamprimum enim Philippus intra Pylas uenit, & Phocidis urbem præter omnium opinionem euertit, Thebanos uero, ut tūc uobis uidebatur, primo tempore. deinde uestris bonis potentes reddidit, uos autem ex agris pterriti uasa intra urbem conuexistis, maximi horum authores fue-

runt legati, qui pacis causa in legationem ierant, multo ueˀ ro maxime aliorum Philocrates & Demosthenes, non solum quia legationem obiuerint, sed quod decreta tulerint. euenit autem per hæc tempora, ut Demosthenes & Philocrates inter se aliquantulum dissentirent pro his fermè quorum causa uos suspicati estis inter se eos dissidisse, eiusmodi autem cum orta esset dissensio ob ei insitam uitiositatem, quæ iam post hæc secuta fuere, cum timore et obtrectatione, quam gerebat aduersus Philocratem largitionis causa, ad Senatum referebat, ac illud certe existimabat, si collegarum in legatione et Philippi accusator conspiceretur, Philocrates uero si manifesto de medio tolleretur, reliqui autem collegæ si periclitarentur, se populo probatum fore, ac cum amicorum proditor fuisset & uir malus, fidelem Reipublicæ fuisse uisum iri. Cum autem, qui Reipublicæ propugnatores erant, illud conspicerent, hilari ac placido animo eum in suggestum euocabant, solum Demosthenem ciuem Reipublicæ incorruptum appellantes, hic uero prodiens exordia belli & tumultus in eos immisit. is enim ô Athenienses ille est, qui primus murum serrium inuenit, & Doriscum, & Ergiscem, & Murgiscem, ac Ganũ et Ganica loca, quorum ne nomina quidem prius noueramus, & eó res nostras adduxit, atq; ita constituit, ut si Philippus legatos non mitteret, ciuitatem nostram ab eo contemni diceret, si uero mitteret, eos ad uicem speculatorum mitteret non legatorum. quod si peteret controuersias in aliquam æqualem & similem ciuitatem cõpromitti, eius non fore æquum arbitrium dicebat uobis & Philippo. Allonesum nobis dabat Philippus, hic uero repugnabat, ne eam acciperetis, si

daret, non item si redderet, de syllabis disceptando. Atq; postremo cum eos coronasset, qui unà cum Aristodemo in Thessaliam & Magnesiam militauerant aduersum ea, quæ de pace conuenta fuerant, pacem qui item fregit, calamitatem autem & bellū parauit, certe. atqui æneis & adamātinis muris, ut ipse ait, regionem nostram cinxit Eubœēsium & Thebanorum societate. uerum ô Athenienses circum hæc tria, maxima iniuria affecti estis, & maxime id ignorastis, cum autem properem, ut dicam de magna Thebanorum societate, ut loquar ex ordine, primo de Eubœensibus mentionem faciam. uos enim ô Athenienses, cum multis & magnis in rebus iniuria affecti essetis à Mnesarcho Chalcidense Calliæ & Taurosthenis patre, quos iste nunc mercede accepta scribere audet esse Athenienses, itidemq; à Themisõne Eretriensi passi essetis, qui Oropum, pax cum esset, à nobis abstulit, harum iniuriarum cum sponte memoriam deleuissetis, posteaquàm Thebani in Eubœam expeditionē fecissent, tentarentq; ciuitates in seruitutem redigere, per quinq; dies ipsis opitulati estis & nauibus & pedestribus copijs, & prius quàm trigesimus dies eius diei laberetur. Eubœæ imperiū adepti Thebanos sub pactis conuentis dimisistis, ac ciuitates ipsas & Respublicas recte & iuste reddidistis, ipsis contracta fiducia eas commendando, rati iustum non esse, cum illi Atheniensium fiduciam securi essent, ut iniurias ad memoriam reuocaretis, & cum tantis beneficijs Chalcidenses à uobis affecti essent, non pares uobis gratias reddiderunt. At quamprimum in Eubœam expeditionem fecistis, ut Plutarcho succurreretis, primis quidem saltem diebus se uobis amicos esse simula-

bant, cum primum uero in Lamynas uenimus, & montem Cotylæum appellatum superauimus, tunc Callias Chalcidensis, quem Demosthenes mercede accepta pro amico oppignerabat, cum uideret exercitum Atheniensem inter quædam difficilia loca cõclusum, unde nisi pugnando uictores exirent, regrediẽdi facultas non dabatur, neq; auxilij spes erat uel terra uel mari, cum exercitum ex uniuersa Eubœa coegisset, et à Philippo accitis copijs, cum frater eius Taurosthenes, qui nunc omnium dexteras prehensat, & omnibus arridet, Phocenses milites conductos traiecisset, aduersum uos processerunt utpote nos de medio ablaturi, & nisi certe Deus aliquis exercitum primũ seruasset, deinde milites uestri, pedestresq; ac equestres uiri strenui ad locum in Lamynis equorũ excursioni destinatum stataria pugna superiores cum facti fuissent, hostesq; sub pactis conuentis dimiserint, ciuitas uestra eo in periculo fuit, ut turpissima passa fuisset. Quòd enim aduersa in bello eueniant, id malum non est, sed cum quis spe potiundi aduersariorum se indignorum frustretur, & in periculo positus fuerit, merito dicendum est eius duplo maiorem esse calamitatem, uerum uos, cum tam grauia passi essetis, rursus eis reconciliati estis. A uobis Callias Chalcidensis, parum temporis cum intermisisset, indulgentiam consecutus ad ipsius naturam reuersus est, Eubœẽsem autem conuentum in Chalcidẽ uerbo coegit, facto autem Eubœeam aduersus uos munitam reddidit, sibi quidem tyrannidem præcipuam uendicando, ac cum sideret eius tyrannidis propugnatorem habere Philippum, iuit in Macedoniam, et unà cum eo circuibat, & unus è socijs Philippi appellabatur, iniuria autem cum as

fecisset Philippum, & inde refugisset sese alio recipiẽs Thebanis supposuit, ab eisq; cum defecisset, & plures motus agitasset quàm Euripus, cuius est accola, in medias cadit Thebanorum & Philippi inimicitias, incertus uero quid de se statueret, ac iam aduersus eum exercitu imperato, unam spem salutis reliquam uidebat, ut iureiurando si populum Athenensem, eum socium appellando, adegisset, ipsi succursurus foret, si quis aduersus eum expeditionem faceret, id quod manifesto futurum erat, nisi uos probibuissetis. hæc cum excogitasset, huc mittit legatos Glaucetem & Empedonem ac Diodorum stadij cursorem, spem nouam populo afferentes, Demostheni autem argentum, & eius assectis, tria autem erãt, quæ iste simul mercatus est. primum quidem, ut certus redderetur de societate uestra, nihil enim medium erat, si populus priorum iniuriarum recordatus societatem repudiasset, sed ei restabat, uel ex Chalcide aufugere, uel, cum omnibus esset destitutus, emori, tot copiæ & à Philippo & à Thebanis aduersus eum militabant. Deinde ei, qui de societate rogationem tulit, merces accesit, ne Chalcidenses Athenis in conuentu esse tenerentur. postremo quidem, ne tributa conferrent, atq; alicuius ex his propositis minime factus est compos Callias, sed is, qui odio habet tyrannos, Demosthenes, ut ipse simulat, quem ait Ctesiphon dicere ea, quæ sunt è Republica, uerum is ciuitatis tempora diuendidit. scripsit enim in societate, nos auxiliari Chalcidensibus oportere, ac uerbo pro his inflexo, acclamationis gratia adscripsit, Chalcidenses succurrere debere, si quis iret in Athenienses, præfecturas autem & tributa, ex quibus bellum futurum esset ualidius, fun

ditus uenūdedit, honestissimis uerbis actiones turpissimas describendo, atq; oratione uos ad id impellendo, ut Græcis prius oporteat ciuitatem auxiliari continue id deprecantibus, deinde quidem societates cōtrahere, postea scilicet quàm Græci de uobis optime meriti fuerint. ut autem pernoscatis q̃ uera dicam, cape mihi Calliæ scripturam & societatem, & recita decretum. DECRETVM. Nondum igitur hoc graue est, si tot tempora diuendita fuerunt & confessiones & tributa, uerum hoc uobis multo grauius uidebitur, quod dicturus sum, ad eam enim prouectus est Callias insolentiam & auaritiam, Demosthenes uero, quem laudat Ctesiphon, ad eam corruptelam, ut tributa ex Oreo & ex Eretria decem scilicet talenta uobis spectantibus, sentientibus, intuentibus cōpilauerint imprudenter, ac eos qui è ciuitatibus apud uos confessores erant à uobis quidem seduxerint, rursus uero in Chalcidem & conuentum Euboicum uocatum conduxerint. quo autem modo id fecerint & quibus dolis malis, ea nō indignum erit recensuisse, accessit ad uos quidem non per legatos, sed ipsemet Callias, & in concionem prodiens uerba recitauit à Demosthene præparata. Dixit enim q̃ uenit nuper ex Peloponneso, & q̃ tributum collegerat ad summam centum talentorum contra Philippum, et ratiocinatus fuit, quantum singulos contribuere oporteret, Achiuos quidem omnes & Megarenses sexaginta talenta, omnes autem Euboeæ ciuitates quadraginta, ex his quidem pecunijs & naualem & pedestrem exercitum comparari posse, ac plerosq; alios Græcorum superesse, qui communiter contribuere desiderent, ita ut neq; pecuniarum neq; militum futura esset indigentia, &

hæc quidem manifesta esse dicebat, aiebat uero & quasdam alias actiones occultas se agere, & earum nonnullos è ciuibus uestris testes esse, atq; tandem nominatim Demosthenem denotauit, petebatq; ut hic simul attestaretur, is uero ac ualde quidem grauiter prodiens & Calliam summis laudibus prosecutus est, & arcani simulauit se fore conscium, legationem autem, quam in Peloponnesum obiuerat, & quam ex Acarnania peregerat, aiebat se uelle uobis referre, ea autem ipsi uerborum summa fuit, omnes Peloponnenses à uobis stare, omnes autem Acarnanes se constitutos habere aduersus Philippum, pecunias uero ad supplementa centum nauium celerum ipsos fore pensitaturos, & ad decem millia militum pedestriũ et equestres mille, ad hæc uero ex delectu ciuitatum copias affuturas, ex Peloponneso quidem plus quàm duos mille armigeros, ex Acarnania autem alios totidem, & ab his quidem omnibus, uobis imperium tradi, ea uero non longius in tempus producenda fore, uerum ad sextumdecimum Calend. Decembris ab ipso in ciuitatibus edictum esse, & denunciatum, omnes ut Athenas sub plenilunium consessuri conuenirent, & hunc quidem morem sibi peculiarem facit non communem. Cæteri enim petulantes cum quid mentiuntur, minus determinata & obscura dicere conantur timentes ne redarguantur, Demosthenes quidem cum quid petulanter proponit. primum etenim iuramento adhibito mentitur, exitium sibi imprecando. deinde quæ nunquam futura fore exacte nouit, audet tempore dinumerato asserere, quando ea sint euentura, atq; quorum corpora nunquam aspexit, horum nomina recenset, rapiens auditores ad assensum, dum

eos imitatur, qui uera dicere consueuerunt. proptereaq́; maximc dignus est, ut odio habeatur, quoniam prauus cum sit, bonorum quoq; animi iudicia contaminat. hæc quidem cum diceret, scribæ tradit decretum, ut legeret, Iliade certe productius, magis autem uanum quàm eius uerba, quæ effutire, & quàm eius uita, quam uiuere consueuit, plenum quippe pollicitationibus nunquam euenturis, & exercitibus nunquam colligendis. uos autem cum procul à peculatu abduxisset, & rerum expectatione suspensos reddidisset, ac tũc iam contorsisset, rogationem tulit, præscribens legatos ad Eretriam fore deligendos, qui Eretrienses rogent, & ualde quidem eos rogare oportebat, ne amplius uobis pensionem darent quinq; s.talenta, sed Calliæ, ac rursus alios fore in Oreum ad Oreitas legatos destinandos, qui eos exorarent, ut sibi & Atheniensibus eundem amicum & hostem fore putare uellent. deinde uidetur ad hæc omnia in decreto peculatus gratia adiecisse, legati ipsi ut postulent ab Oreitis, ne uobis quinq; talenta darent, sed Calliæ. quòd autem uera dicam auferendo arrogantiam, triremesq́; & petulantiam, lege, & attinge peculatum, quem scelestus & execrandus homo perpetrauit, quem Ctesiphon ait in decreto & factis et Oratione de populo Atheniense optime meritum esse. DECRETVM. Igitur triremes & exercitum pedestrem & plenilunium & conuentus uerbo audiuistis, tributa autem sociorum decem s.talenta re uera perdidistis. mihi restat, ut dicam, quòd trium talentorum mercedem cum accepisset hanc tulerit rogationem Demosthenes. unum quidem ex Chalcide à Callia accepit. alterum ex Eretria à Clitarcho tyranno. ter-

tium autem ex Oreo. proptereaq; diuulgatus fuit cum Oreitæ uiuant in populari statu, & omnia agāt ex decreto. cum enim ex bello gesto aduersus Philippum exhausti essent, et in summa inopia constituti, Gnosidemū Charigenis, qui in Oreo aliquando præses fuerat, filium ad ipsum legatum mittunt, eum deprecaturum, uti talentum ciuitati remitteret, ac significantem, ei statuam æneam in Oreo erectam iri. Hic certe Gnosidemo respondit, quòd minimo quodam ære non indigebat, talentum per Calliam se exacturum. Oreitæ dum urgerentur, & ipsis non admodum facultas suppeteret, pro talento publicos prouentus ipsi oppignerarunt, & in fœnus largitionis drachmam menstruam pro quaq; mina Demostheni pensitarunt, quousq; sortem traderent, & hæc peracta fuere ex populi decreto. quòd autem uera dicam sume mihi decretum Oreitarum. DECRETUM. Hoc enim decretum Athenienses in ciuitatis nostræ dedecus redundat, argumentum autem non paruum administrationum Demosthenis in Republica. Manifesta uero est accusatio Ctesiphontis, is enim, qui ita turpiter corruptus sit, fieri non potest, ut uir bonus fuerit, quod & iste ausus fuit in decreto eloqui. Tertium iam subsequitur tempus omnium maxime acerbum, in quo Demosthenes Græcorum & ciuitatis actiones perdidit templum quidem delphicum impietate constuprando, pro iniusta uero & iniqua Thebanorum societate rogationem ferendo. Exordium autem dicendi faciam ab ipsius facinoribus aduersum Deos patratis. Est enim Athenienses planicies quædam Cirrhea uocata & portus nunc detestabilis & execrandus appellatus, hanc aliquando regionem incoluerunt

fuerunt Cirrhæi & Acragallidæ gentes maxime exleges, qui in templum Delphicum, & donaria impietatem exercebant; & in Amphictyones peccabant. Cum autem (ut fertur) maiores uestri præsertim, deinde & reliqui Amphictyones propter res perpetratas, id indigne ferrent. Oraculum à Deo petierunt, quo supplicio huiusmodi homines afficere oporteret, & ipsis uates respondit, Cum Cirrhæis & Acragallidis die noctuq; bellandũ fore, ipsorumq; regionem depopulandam, & eos captiuos factos Apollini Pythio, & Dianæ & Latonæ, & Mineruæ, quæ omnis otij curam habet, consecrandos, et hanc regionem neq; ipsis neq; alij colendam permitti oportere, Amphictyones uaticinationem cum accepissent, Solone Atheniense Decretum rogante uiro & in ferendis legibus primario, & in poesi ac philosophia exercitato, militandum fore aduersus consceleratos, ex Dei oraculo decreuerunt, ac collecto exercitu, qui satis esset, ex Amphictyonibus, homines oppresserunt eos in captiuitatem redigendo, & portus iniectis glebis exaggerarunt, & ipsorum ciuitatem, erutis fundamentis, subuerterunt, regionemq; ipsorum iuxta Oraculum consecrarunt, & ad hæc solenni iureiurando adacto se obstrinxerunt, ut neq; ipsi sacram terram colerent, neq; alij permitterent colendam, sed quòd Deo & Terræ sacræ & manibus & pedibus, ac totis pro uiribus auxilium laturi essent, neq; ipsis satis fuit, hoc solũ iusiurandum emisisse, sed imprecationem diramq; execrationem pro his vouerunt. in execratione autem ita scriptum fuerat, Si quis hæc, inquit, transgressus fuerit, uel ciuitas, uel priuatus, uel natio. Apollini & Dianæ & Latonæ & Mineruæ prouidæ

consecrator, imprecatur quoq; ne ipsis fructus terra ferat, mulieresq́; filium parentibus similem ne pariant, sed monstra, pecudes uero ne fœtus naturaliter edant, ipsi quidem in bello iudicijs & foris uincantur, ac ut ipsi & domus, eorumq; genus sint execranda, ac ne unquam sancte sacra faciant Apollini, Dianæ, Latonæ, & Mineruæ prouidæ, neq; ab ipsis sacrificia oblata recipiantur. quòd autem uera dicam, lege Dei uaticinationem, execrationem audiuistis, recordemini iusiurandi, quod maiores uestri unà cum Amphictyonibus emiserunt. ORACVLVM, IVSIVRANDVM, EXECRATIO.

Non prius hanc turrem poteris uastare uel urbem
Quàm delubra Dei fiant, ex æquore nigro
Vndaq; percurrat resonans per littora sacra.

Hæc execratio, & iusiurandum, & uaticinatio adhuc quoque cum literis custodita extent, Locri, Amphisei, magis uero ex ipsis optimates uiri, maxime exleges, planitiem coluerunt, & portum detestabilem ac execrandum rursus muro cinxerunt, & inhabitauerunt, portoriaq; ab adnauigantibus exigebant, atq; quosdam ex Pylagoris, qui Delphos ueniebant, pecunijs corruperunt, quorum unus fuit Demosthenes. cum einm à nobis Pylagoras creatus esset ab Amphiseis mille drachmas accipit, ne aliquam de eis apud Amphictyones mentionem haberet. cum ipso enim depacti fuere, ut in posterum tempus singulo quoq; anno uiginti minas ex detestabilibus & execrandis illis pecunijs mitterent, ob id, ut quoquo pacto posset, Athenis Amphiseorum causam ageret. Vnde ei magis quàm prius euenit, eo tempore, quo, si quem

quam siue priuatum uirum, siue magistratum, siue ciuitatem populariter uiuentem id attigisset, horum quibusq; insanabilia uulnera impēdebant. Considerabitis iam, qui Dæmon & quæ fortuna illa fuerit, quæ euaserit ex impietate Amphiseorum. Regnante enim Theophrasto, cum esset sacrificulus Diognetus Anaphlystius, Pylagoras uos elegistis & Midiam illum Anagyrrhasium, quem uellem multis de causis agere in humanis, & Thrasyclem Lesbium, ac me post hūc tertium. nobis autem euenit, ut incolumes Delphos perueniremus, statim uero Diognetus sacrificulus febri correptus est, quod itidem euenit & Midiæ. Cæteri uero inter Amphictyones consederunt. annunciabatur autem nobis ab his, qui erga ciuitatem beneuolentiam ostendere cupiebant, quòd cum Amphisei se Thebanis subiecissent, eosq; incredibiliter reuererentur, scitum in medium attulerunt aduersus ciuitatem uestram, ut populus Atheniensis quinquaginta talentis mulctaretur, quoniam scuta aurea ad nouum templum antequam absolueretur appensa haberemus, ac quòd congruum uersum inscripsissemus, Athenienses à Medis & Thebanis, quando contra Græcos pugnabant. Cum uero me deduceret sacrificulus, petebat, ut ad consessum ingrederer, & aliquid ad Amphictyones pro ciuitate dicerem, ac ipsum ita præmonētem cum ego insequerer, & loqui cœpissem, animosiusq; ingressus fuissem ad conuentum quàm cæteri Pylagoræ, qui mecum aderant, atq; quidam ex Amphiseis inclamasset homo improbissimus, &, ut mihi uidebatur, omnis alioquin eruditionis expers, & qui fortasse, ut erraret, ab aliqua furia agitabatur, principio, inquit, Athenienses si sapere uoluisse-

tis, mentionem nominis populi Athenienses haberi non admisissetis per hæc tempora, sed eos ueluti scelestos ex templo eiecissetis, pariter uero Phocensium societatis meminit, quam Crobylus ille rogauerat, alia insuper pleraq; satis molesta aduersus ciuitatem recensuit, quæ neq; ego tunc audiendo tolerare poteram, neq; nunc ea libẽter repeto. hæc autem cum audiuissem, ita perturbatus fui, ut in reliqua unquam uita mea, ac cætera quidem uerba prætermittam. in mentem igitur mihi uenit, ut commemorem Amphiseorum impietatem aduersus Terram sacram. & cum ibi astarem, ita Amphictyonibus rem ostendebam. Subiecta est Cirrhæa planities Templo huic & sub aspectu posita, cõspicitis, dicebam ego, Viri Amphictyones, cultam hanc planitiem ab Amphiseis, et ex latere confecta ædificia, atq; suburbana, oculis lustratis detestabilem & execrandum portum muris circundatum, hostes uos ipsi nostis, neq; aliorum testimonio indigetis, portoria exegisse, & uectigalia collegisse ex sacro portu. pariter uero iubebam, ut ipsis legeretur uaticinatio & maiorum nostrorum iusiurandum, execratione.s. facta & constabilita, quoniam ego quidem pro populo Atheniense, corporéq;, & filijs, meisq; ædibus opem laturus sum iuxta iusiurandum Deo ipsi, Terræq; sacræ, manibus.s. & pedibus, linguáq;, ac totis pro uiribus, urbemq; nostram quoad Deos expiaturus, uos autem pro uobis metipsis æqui boniq; consulatis. principium enim à rebus publicis est sumendum. uictimæ sunt in aris positæ, uidete, ut à Dijs quæ & publice & priuatim sint profutura deprecemini, animaduertite, qua uoce, quo animo, quibus oculis, qua fiducia moti supplicationes

facturi sitis, si hos scelestos & execrationibus obnoxios impunitos dimiseritis. Non enim per ænigmata, sed expresse in execratiõe descriptũ est et aduersus eos, qui impietatem exercent, quam pœnam ipsos pati oporteat, & aduersus eos, qui id fieri permiserint. ac postremo, in execratione scriptum extitit, ut hi, qui tales non coercuerint, sancte sacra ne faciant Apollini, *neq;* Dianæ, *neq;* Latonæ, *neq;* Mineruæ *pronidæ, & eorum sacrificia ne admittantur. Eiusmodi, & ad hæc insuper alia cũ ego enarrassem, recederemq́;, & alio me transferrem ab ipso consessu, uehemens clamor & tumultus excitus est apud* Amphictyones, *& uerba apud eos fiebant non amplius de scutis, quæ nos appenderamus, sed de* Amphiseis *ulciscendis. cum uero iam aduesperasceret, prodiens præco pronunciauit,* Ex Delphicis *quicunq; adolescentes pubescerent omnes & serui & liberi pariter ut postero die sarcula & ligones ferẽtes ad* Tytheum *ita ibi appellatũ locum conuenirent. rursusq́; idem præco edixit, sacrificuli, &* Pylagoræ *eundem ad locum ut accederent,* Deo *&* Terræ *sacræ opem laturi. & si quidem ciuitas aliqua non adfuerit, ut à* Templo *arceretur, & scelesta esset, imprecationiq; obnoxia. postero die mane accessimus ad locum pronunciatum, & in* Cirrhæam *planitiem descendimus, atq; portum cum solo æquassemus, & ædificia incendissemus, inde recessimus. interea uero dum hæc ageremus,* Locri, *&* Amphisei, *cum non procul à* Delphis *sexaginta stadijs incolerent, cum armis in nos passim irruerunt, ac nisi cursu, uix effugissemus in* Delphos, *à mortis periculo non longe abfuissemus.* Postridie Cottyphus, *qui confirmandi sententias consilij au-*

thoritatem habebat, concionem Amphictyonum coegit, concionem autem uocant, cum non solum Pylagoras, sed & Sacrificulos, ac etiam eos, qui simul sacra peragebant, & qui Dei curam habebant, conuocauerint, tunc iam ualde admodum accusabantur Amphisci. plurimum uero ciuitas uestra commendabatur, ac ad exitum totius Orationis, decernunt, ut sacrificuli ante proximam Pylæam stato tempore Pylas proficiscerentur secum ferentes decretum, quatenus Amphisci pœnas luerent pro his, quæ aduersus Deum & Terram sacram, & Amphictyones admiserant. quòd autem uera dicam, recitabit uobis scriba decretum. DECRETVM. Cum hoc igitur decretum à nobis propositum esset in consilio, ac rursus populo in concione, & cum actiones nostras populus probaret, & uniuersa ciuitas sibi proposuisset pie agendum esse cum Dijs, atq; Demosthenes pro deposito, quod erat ab Amphiseis apud sequestrem contradiceret, egoq; in conspectu uestro eum redarguerem, cum aperto ciuitatem homo lædere non posset, ingressus in Senatum, plebeq; exclusa, producit decretum in concionem, inertiam eius, qui illud tulerat, exprobrando. hoc ipsum & in concione confirmari obtinuit, ut populi decretum esset, cum iam cócio surrexisset, & ego recessissem, neq; enim id unquam permisissem, ac pleriq; alij dimissi fuissent à concione, cuius decreti summa est, Sacrificulum, ait, Atheniensem & Pylagoras, qui perpetuo ad collegium Amphictyonum ituri sunt, præstitutis temporibus à maioribus in Pylas et Delphos proficisci debere, decenter quidem uerbo, turpiter autem facto id decernendo, prohibet enim eos ad similem conuentum

in Pylas conuenire, qui necessario ante statum tempus fieri debebat, ac rursus in eodem decreto productum magisq́; aptum & magis acerbum commentarium interserit, Sacrificulum, inquit, Atheniensem & Pylagoras, qui perpetuo ituri sunt ad collegium Amphictyonum, participes ne fore eorum, quæ illic constituerentur, siue uerborum, siue factorum, aut decretorum, uel alicuius alterius actionis. id uero, participes ne fore, quid est? utrum uera dicam? an id quod suauissimum est auditu? uera dicam. id enim quod ita dicitur semper suaue est auditu, eo pacto ciuitatem affecit, ut non sinat iurisiurandi uos recordari, quod maiores uestri solenniter emiserunt, neq; execrationis, neq; diuinæ uaticinationis. Nos quidem igitur Athenienses domi manemus ꝑpter huiusmodi decretum, alij uero Amphictyones in Pylas conuenere, præter unam ciuitatem, cuius neq; ego nomen dicerem, nisi calamitates, quæ ipsi acciderunt eiusmodi essent, quales nemo Græcorum unquam passus fuit, & cum coacti essent unà, decreuere expeditionem faciendam esse contra Amphiseos, Imperatoremq́; delegerunt Cottyphum Pharsalium, qui tunc consilij sententias confirmandi potestatem habebat, cum in Macedonia nō diuersaretur Philippus, uerum neq; in Græcia præsens esset, sed apud Scythas, ita procul aberat, quem statim maxime audebit dicere Demosthenes, quòd ego aduersus Græcos induxerim, ac cum prima expeditione proficiscerentur aduersus Amphiseos, ualde quidem modeste se habuerunt. pro maximis enim facinoribus, eos pecunijs mulctarunt, et has quidem præfixo tempore, ut Deo exoluerent, statuerunt, ac scelestos quidem patratorum authores in exilium miserunt.

eos uero, qui pietatis causa exulauerant, domum reduxerunt. postea uero quàm mulctas Deo non intulerũt, scelestosq; reduxerũt, & pios opera Amphictyonum reuersos eiecerũt, ita posteriorem aggressi sunt aduersus Amphiseos expeditionem. multo tempore postea reuertente Philippo ab expeditione in Scythas, ac Dij nobis cum tradidissent pietatis tutelam, Demosthenis autem corruptela ad id impedimento esset, an non Dij nobis prædixere? non ante nobis significauere, ut caueremus? ac si humana lingua essent loquuti, nullam ego unquam à Dijs magis certe seruatam ciuitatem uidi. ab Oratoribus autem quibusdam magis auersam, non satis euidens inter mysteria signum fuit, ut obseruaretur, obitus.s. eorum, qui mysteriorum curam habebant? non'ne qui ob ista uobis adiutor erat, ante pronunciauit, ut caueretis? atque ut hos in Delphos mitteretis, qui Deum rogarent, quid'nam agẽdum esset? Demosthenes uero refellebat, aiendo Pythiam à Philippo stare, imperitus cũ existat, & ea potestate fruatur, qua sibi à nobis concessa pollet. non'ne postremo nefandis ac execrandis sacrificijs milites in manifestum periculum emisisti? at qui paulo ante ausus est dicere, quòd ea propter Philippus regionem nostram non adiuit, quoniam ipsi sacra nõ bene successerãt. qua igitur? pœna dignus es affici ô Græciæ lues, si uictor profectus non est in regionem eorum, qui deuicti fuerant, quoniam ei sacra nõ bene successerant. tu uero cum neq; prius aduertere uelles ad ea, quæ futura essent, anteq̃ sacra tibi bene succederent, milites emisisti. Vtrum ne te corona donari oportet ob eiusmodi calamitates nostræ ciuitatis, an uero extra eam deportari? quid enim eorum, quæ

à nobis neq; ſperabantur, neq; expectabantur, non euenit? nõ quippe nos humanam uitam uiximus, ſed nati ſumus, ut daremus ſegetem & materiam poſteritati de nobis inaudita loquendi. Non'ne Perſarum Rex, qui Atho perfodit, & Helleſpontum ratibus iunxit, qui terra mariq; Græcos inuaſit, qui auſus fuit in epiſtolis ſcribere, quòd dominus eſſet omniũ gentium ab ortu ſolis uſq; ad occaſum, nunc diceret, ſe non contendere, an aliorum ſit futurus dominus, ſed iam de ſui ipſius corporis ſalute? eoſdem quoq; uidemus & huius fuiſſe opinionis, qui & digni fuerunt imperio aduerſus Regem ipſum Perſarum, quiq; Delphicum templum liberarũt, Thebæ ciuitas, quæ diſtat à noſtra unius diei ſpatio. non'ne è media Græcia ſubito ablata eſt, & merito quidem, cum de rebus publicis non rectè conſulerent, ſed impietatem aduerſus Deos & inſipientiam non humanitus ſed furioſe in eorum animis conditam haberent. Miſeri Lacedæmonij, cum uix res huiuſmodi attigiſſent, ex magiſtratu, quem pro occupatione templi gerebant, qui aliquando digni exiſtimati ſunt, ut eſſent Græciæ ductores, nunc cum facti ſint obſides, daturiq; exemplum ſuæ calamitatis, ad Alexandrum non'ne ſunt deducendi? illud ipſi & eorum patria paſſuri, quod ei uiſum fuerit ſtatuendum, eatenusq; ſunt dijudicandi, quoad uoluerit clementia uictoris & iniuria affecti? Noſtra quidem ciuitas cõmune perfugium Græcorum, ad quam prius ex Græcia legationes ex ſingulis urbibus apud uos ſalutem inuenturæ uentitare ſolebant, in præſentia non item de Græcorum principatu, ſed iam de patrio ſolo contẽdit, atq; iſta illo ex tempore euertere, ex quo Demoſthenes ad Rempublicam acceſſit.

Recte quidem Hesiodus Poeta de huiusmodi hominibus pronunciauit, cum populum enim instituere rebusq; publicis consulere uellet ait prauos administratores recipiendos non esse. at uero ipse carmina recitabo, propterea enim arbitror, nos puerilem ætatem cum agimus, Poetarum sententias ediscere, ut in uiros euasi ipsis utamur.

Sæpe uirum propter peccantem concidit omnis
Vrbs, quem non teneat pietas hominumúe Deorum
Iupiter his summo Cœli de uertice misit,
Morbos sæpe malos & mortes, bella, famemq́;
Vnde cadant omnes, habeant si mœnia, castra
Fudit, si classem disiecit in æquore toto.

Carmine siquidem Poetæ secluso si sententiam perpendere uolueritis, existimo ea uobis uisa iri, non poemata Hesiodi, sed uaticinationem administrationis Demosthenis. nam & exercitus naualis & pedestris, urbesq́; huius administratione funditus direptæ fuerunt. Sed arbitror, neq; Phrynondas, neq; Euribatus, neq; quisquam alius unquam ex his, qui praui olim habebantur, ita magus & præstigiator fuit, qui ô terra, & Dij, & Dæmones, & homines, qui uera cupitis audire, dicere ausus fuerit ora uestra aspiciens, q̧ Thebani nobiscum societatem iniuerint nõ ꝑpter tẽpora, non ꝑpter metũ, qui eis impendebat, neq; ꝑpter uestram existimationem, sed ꝑpter cõciones Demosthenis. At qui plerasq; legationes ante hunc ad Thebas obiuerunt, qui illis maxime familiariter erant affecti. primus q̄dem hic Imperator Thrasybulus Collyteus, cui tanta in Thebis fides habebatur, quanta cuiuis alteri, rursus Thrason Archieus, qui hospitio Theba-

nos suscipiebat, Leodamas Acharneus non minus eloquens quàm Demosthenes, sed, ut mihi uidetur, Orator magis quàm ille suauis, ac is Archidemus Pelex, & facundus, & qui in Republica propter Thebanos summo in periculo fuit, Aristophon Azinicus, qui præsidet inter Republicæ administratores, quiq; diutinam accusationem sustinuit, quòd Bæotiæ partes sectaretur, Orator Pyrandrus Anaphlystius, qui & nũc uiuit, ueruntamen nemo unq̃ eos potuit ad uestram amicitiam conuertere. Causam q̃dem noui, nihil dicere opus est ꝓpter ipsorũ calamitates, sed puto postea q̃ Philippus ab eis Nicæam auferẽdo eam Thessalis tradidisset, et bellum, qđ prius ex Bæotiorũ regione extulerat, hoc ipsum bellum per Phocidem rursus in Thebas ipsas intulisset, ac postremo Elatiam cum cõprehendisset, eamq; uallo muniuisset, inducto quoq; præsidio, tunc, cũ nescio quid graue ipsis immineret, accersiuere Athenienses, & uos egressi in Thebas introiuistis, cum in armis essetis & equites & pedites, priusquam uel unicam solam syllabam de societate rogasset Demosthenes, qui uos autem in Thebas introduxerit, tempus fuit, & metus, societatisq; necessitas, non autem Demosthenes, uerumenim circum has actiones tria omniũ maxima aduersus uos peccauit. primum quidem, q̃ Philippus, cum uerbo uobiscum pugnaret, at multo maxime reuera odio haberet Thebanos, sicut res ipsæ ostẽderunt. & quid plura commemorare oportet? hæc quidem tanta cum essent, earum rerum magnitudinem suppressit Demosthenes. cũ enim fingeret societatem successuram non propter tempora, sed propter eius legationes, primum quidem populo suasit, non amplius fore decernendum, quibus de rebus

societatem contrahi oporteret, sed contentum solum manere, si contraheretur, hoc cum anticipasset, dedititiam reddidit uniuersam Bœotiã Thebanis, dum in decreto scripsit, si quæ uero ciuitas à Thebanis defecerit, Athenienses Bœotijs, qui intra Thebas erunt, opem ferre oportere, cum uerbo res subtraheret ac transferret sicut consueuit, ad Bœotios, qui cum uerborum structura Demosthenis allecti essent, grauiter affecti fuerunt, uerum eas res, in quibus iniuriose tractati sunt ab eo, non admodum moleste tulerunt. Deinde ex sumptibus belli duas partes uobis imposuit, à quibus tamen pericula longius aberant, tertiam uero partem Thebanis distribuit, cum in horum singulis largitione subornatus esset, ac maris quidem imperium commune fecit, sumptus autem uobis proprios reddidit, terræ autem imperiũ, si uera dicenda sunt, prorsus à uobis auferendo, illud Thebanis demandauit, ita ut in bello cõfecto ius integrum Stratocles imperator uester non habuerit quicquam de suorum militum salute statuendi. Hæc uero non ita ego accuso, ut cæteri id sileant, uerum & ipse & omnes increpamus, & uos conscij estis, neq; indignamini, ad eum enim modum à Demosthene affecti estis, ut consueueritis eius scelera audire, neq; propterea illa admiremini, non ita uero conuenit, uerum indignari oportet & animaduertere, si uelitis reliqua in ciuitate salua fore. Alterum quidem & hoc multo maius peccatum intulit, q; huius urbis Senatum & Reipublicæ administrationem funditus uobis clàm subduxit & in Thebas transtulit in caduceam actionum communionem, eam apud Bœotios magistratus deponendo, & tantam ipse sibi ipsi potestatem uendicauit, ut iam, cum cir-

cum suggestum se uolutaret, dixerit, se legatum iturum, quo sibi uisum fuerit, etiam si uos eum emittere nolueritis, ac q; si quis ex prætoribus sibi reclamauerit, ita se eos magistratus tractaturum aiebat, ut consuescerent, nihil contra eum dicere, iudicium enim dicebat se dictaturum suggesto aduersus præturam, & maiora siquidem commoda uos ab ipso ex suggesto reputasse quàm à prætoribus ex eorum prætura. Cum uero milites stipendiarios conduceret, dum esset in exercitu externo locisq; desertis, ac stipendia militaria compilaret, & decem millia militum externorum locasset Amphiseis, quamuis ego multum quiritarem & in concionibus grauiter irascerer, illisq; eos adiunxisset, ablatis à nobis externis copijs periculum ex tempore nostræ ciuitati parauit. quid enim Philippum putatis temporibus illis à Dijs deprecatum fuisse? nõ ne ut seorsum cũ ciuilibus copijs, sepatimq; cũ externis militibus in Amphisse pugnaret? & Græcos ad summam desperationem demitteret tanta clade accepta? Tantorum autem malorum author cum fuerit Demosthenes, contentus nõ manet, nisi malefactorum pœnam luat, uerum si aurea corona non fuerit honestatus, indignatur, neq; ei satis est, ut in cõspectu uestro prædicetur, sed, nisi in præsentia Græcorũ pronuncietur, hoc indigne fert molestumq; habet, ita eius, ut uidetur, praua natura, cum magnam licentiam sibi arrogauerit, Rempublicam calamitatibus affecit. tertium, quod dicturus sum, maximum est horum, quæ ante recitata fuere. Philippus enim cum non contemneret Græcos, neq; ignoraret, non enim fatuus erat, q; de summa rerum parua in parte unius diei pugna futura esset, Thebani autem magistra-

tus periculum, quod proxime impendebat timerent, & merito, non enim Orator rei militaris imperitus & aciei desertor ipsis mentem iniecerat, sed Phocense bellum, quod per decennium confectum fuerat, eruditione perpetua memoria digna eos instruxerat, hæc uero cum ita se haberent, & Demosthenes id præsentiret, ac Bœotios magistratus suspicaretur seorsum pacem facturos, aurumq; sine ipso à Philippo accepturos, cum sibi uiuendum non fore putaret, si & ipse largitione aliqua destitueretur, prodiens in concionem, cum nemo homo quicquam diceret, uel q; pax fieri oporteret seu q; non oporteret, sed quoniam putabat, hoc præconium si Bœotijs magistratibus ante denunciasset, ipsi partem quæstus cum eo forent communicaturi, per Mineruam iurauit, quam, ut uidetur, Phidias expresserat, ut per eam Demosthenes lucraretur, & peieraret. q; si quis certe dixerit, cū Philippo pacem fieri oportere, se eum capillo comprehensum in carcerem coniecturum se imitatorem faciendo administrationis Cleophontis, qui ut fertur, in bello gesto cum Lacedæmonijs ciuitatem perdidit, ut uero ipsi mentem non adhibuerunt Thebani magistratus, sed milites uestros, qui exierant, auerterunt, ut de pace consultaretis, tunc omnino insanire uidebatur, & in suggestum ascendens, & Bœotios magistratus Græciæ proditores appellauit, & dixit decretum promulgandum fore, is qui hostes nuuquam facie aspexerat, ut uos legatos Thebas mitteretis petituros à Thebanis trāsmissionem aduersus Philippum, Thebani autem magistratus cum summe uerecundarentur, ne re uera uiderentur esse Græciæ proditores, à pace quidem auersi sunt & ad aciem se cō

citauerunt. Hic quippe dignum est uiros fortes recensere, quos is, detestabilibus nefandisq; sacrificijs peractis, cum emisisset in manifestum periculum, ausus fuit, fugitiuis pedibus suis & aciei desertoribus dum sepulchrum occisorum ascendisset, illorum uirtutem laudare, ô in grauibus serijsq; rebus summe omnium mortalium inutilis, in loquendi quidem audacia omnium summe confidens, tentare audebis istorum ora statim intuendo, ut dicas, te oportere in his Reipublicæ calamitatibus corona donari? si quidem is ita dixerit uos autem eum dicentem sustinueritis, unà cum eis, qui interfecti fuere, uos intereatis licet, & memoria uestra. Mihi quæso non tanquam in iudicio, sed uelut in Theatro dicenti parumper animum uestrum attendite, putateq; intueri præconem prodeuntem, ac prædicationem, quæ ex decreto promulganda esset, facientem, & ratiocinemini, utrum putetis interfectorum cognatos plures lacrymas emissuros in Tragœdijs & heroicis affectibus, qui futuris temporibus de his habendi erunt, an uero in ciuitatis ingratitudine? Quis enim nõ doleret uir Græcus, uel aliàs liberaliter educatus illius quippe licet nullius alterius recordatus, q; olim hoc ipso die, sicut nunc Tragœdi id fieri student, cum ciuitas magis legibus esset auguste sanctéq; instituta, et præsides nacta esset meliores cum præco prodiret, & pupillos sisteret, quorum parentes in bello fuerant occisi, iuuenes inquam armatura ornatos, honestissimum illud præconium pronũciabat, & quod summe eos ad uirtutem concitaret, q; scilicet hos iuuenes, quorum parentes fuerant in prælio interfecti, uiri strenui cum fuissent, ad pubertatem usq; populus educauerat, nunc autem cũ

eos eiusmodi armatura induerit, secunda fortuna dimittit in suam suarumq́; rerum tutelam, eosq́; ad magistratus inuitat. Hæc enim tunc præconio declarabantur, uerum non tempore hodierno, sed si præco pupillis stiterit orbitatis authorem, quid'nam dicet? aut quam uocem proferet? At qui si ex decreto mandata exposuerit, nunquid turpitudo, quæ pro ueritate dicenda est, silebitur? uerum hæc contra præconis uocem pronunciari uidebuntur, q, scilicet hunc uerum, si is modo uir est, corona honestat populus Atheniensis uirtutis gratia, uitiosissimum, fortitudinis causa ignauum, & aciei desertorem. Hæ per Iouem & reliquos Deos, deprecor uos Athenien. ne Trophœum de uobis metipsis in Dionysij Orchestra erigatis, ne populum Atheniensem in conspectu Græcorum delirationis nota cōmaculatis, ne excitata miseris Thebanis memoriam insanabilium & desperatorum malorum, quos propter hunc ipsum exules factos urbe excepistis, quorum templa, filios, & sepulchra corruptela Demosthenis & regium aurum euertit, sed quoniam corporibus in rem præsentem adesse non potestis, mentis aciem in eorum calamitates perstringite, ac putetis oculis cernere urbis cōprehensionem, murorum euersionem, ædium incendia, mulieres & pueros in seruitutem abactos, senes homines senioq́; confectas mulieres sero libertatem agnoscentes, plorantes, uos deprecantes, irascentes non supplicia inferentibus, sed eorum authoribus, obtestantes, ne aliquo pacto Græciæ pestis corona honestetur, sed ut à Dæmone & fortuna, quæ hominem assectatur, ut caueatis, neq; enim ciuitas, nec uir quisquam priuatus unquam incolumis recessit ab eo, qui Demosthene usus

fuerit

fuerit consultore, uos enim Athenien. ueriti non estis legem ferre aduersus uectores, qui in Salamina transportare consue uerunt, si quis ex eis licet inuitus in transmissione nauigium euerterit, huic ne amplius liceat uectori esse, ne si liceat aliquis inconsulte agat in corpora Græcorum, cũ uero, qui Græciam, qui ciuitatem funditus euertit, ipsum rursus permittetis ad publica attrectanda decurrere? ut dicam & de quarto tẽ pore & de præsentium rerum statu, illud uos uelim præmonitos, q̃ Demosthenes non exercitus aciem tantum, uerum & cum publicam triremem à uobis accepisset, coacta pecunia, & eam triremem & Græcos deseruit, cum autem inspe rata nec opinata quædam salus cum in urbem reduxisset, pri mis quidem diebus tremebundus erat is homo, ac prodiens semimuus in suggestum iubebat, ut uos cum pacis custodem suffragijs uestris crearetis, uos quidem primis illis diebus neque permittebatis Demosthenis nomen in decretis inscribi, sed hoc Nausicli mandabatis. Nunc uero iam, quòd & corona donari petat? At postea quàm mortuus est Philippus, & in Regnum Alexander successit, rursus cum is monstra commentaretur, sacra quidem Pausaniæ persoluenda constituit, Senatum autem pro supplicationibus decretis, & sacrificio peracto ob nunciatam Alexandri successionem, accusauit, Stupidi cognomentum Alexandro imposuit. Ausus est quoq; dicere, quòd ex Macedonia se non dimoueret. ipsum enim aie bat gaudere spatia ut in pelle deambularet ac exta inspiceret. & hæc dicebat se asserere, non quòd coniectaretur, sed quia exacte nouerat, quoniam sanguinis pretium est uirtus, Alexander autem q̃ sanguinem non haberet, Alexandrumq;

contemplando metiebatur, non ex ipsius natura & uiribus, sed ex sua imbecillitate atq; ignauia. Iam uero cum Thessali decreuissent exercitum comparare aduersus ciuitatem uestram, & adolescens primo quidem concitatus esset, & merito, quoniam cum circum Thebas castra posuisset, isq; à uobis legatus designatus esset, ex medio Citherone fuga arrepta tergiuersando domum remeauit, ita se ipsum & in pace et bello eiusmodi præstitit, ut nulli usui uobis unquã fuerit, atq;, quod oĩum est grauissimũ, uos hũc quidẽ non ꝓdidistis, neq; ut in cõuẽtu Græcorũ iudicaretur, ꝑmisistis. is uero nũc uestrũ ꝓditor fuit, si uera sunt, quæ de eo prædicãtur, ut enĩ aiunt maritimi hoĩes, et qui ad Alexãdrũ legati ꝑfecti sunt, et res eiusmodi est, ut ei fides sit habẽda. Quidam est Aristio Plataicus Aristobuli Pharmacopolæ filius, si quis uestrum hunc agnoscit, is aliquando adolescentulus cum cæteros forma antecelleret, apud Demosthenem diutius moratus est. qd uero agens uel patiens, dubia est quæstio, & res eiusmodi, ut eam honeste aliquo modo dicere non possim, iste, ut ego audio, cum lateret, quí nam esset, & uti retroactam uitam egisset, in Alexandri familiaritatem receptus est, & cum Demosthenes per hunc literas misisset ad Alexandrum, ut ad illum se applicaret, ueniam & impunitatem est assequutus gratiæq; reconciliationem, illi nimium blandiendo. inde enim colligere poteritis, quàm similis accusationi sit res ipsa. Etenim si quid horum animo concepisset Demosthenes, & hostili odio fuisset, ut ait, in Alexãdrum, tria certe pulcherrima tempora ipsi oblata sunt, quorum nullo usus fuisse uidetur. unum quidem & primum, cum recens in Regno col-

locatus esset Alexander, & rebus suis non admodum constitutis atq; compositis se in Asiam traiecisset, Persarumq; Rex & nauibus & opibus ac pedestri exercitu polleret, libenterq; nos ad communem societatem recepisset pro periculis, quæ ei impendebant, uerbum'ne aliqd' tūc habuisti Demosthenes? aliquod'ne decretum rogasti? uis'ne ut concedam te fuisse timore impeditum, ac solita animi deiectione usum esse? Atqui publica occasio non admittit in Oratore timiditatem. uerum postea quàm Darius omni conatu descendisset, Alexander autem rebus omnibus esset in Cilicia destitutus, & ad summam pecuniam redactus, sicut tu ipse aiebas, & quamprimum eo in discrimine futurus erat, ut, sicuti loquebaris, à Persico equitatu conculcaretur, molestiam tuam ciuitas ferre non poterat, ac cum epistolas de summis digitis pendētes circumferens, faciemq; meam aliquibus ostenderes uelut cuiusdam afflictati & squalidi, meq; aureum cornigerum appellares, & siquis casus Alexandro infestus obtigisset, quòd coronam haberes, te iactares, nihil tamen tunc egisti, uerum illud, ut dicebas, in aliud honestius tempus reijciebas. Vt igitur hæc omnia omittam, dicam de his, quæ nunc ob oculos uersantur. Lacedæmonij quidem & externus exercitus cum pugnarent, aduersarijs spe potiundi frustrati fuerunt, & copias, quarum ductor erat Corrhagus, ad internitionem dimiserunt. Elienses uero in earum locum successerunt, & Achiui omnes, Pellenæis exceptis, Arcadiaq; omnis, præter Megalopolim, ipsa enim obsidebatur, & constans erat opinio, quòd comprehenderetur, Alexander uero ultra septentrionem, ac parum abest, ut dicam, ultra omnem oram

habitabilem commigrauerat, Antipater diutinum tempus cõ sumpserat in exercitu colligendo. quid uero futurum esset, incertum erat. Hic condocefac nos Demosthenes, quænam erant ea, quæ tunc agebas, & quæ erãt ea, quæ dicebas ac si uis, suggesto tibi cedam, quousq; dicas. postea uero quàm siles, quoniam incertus es quid dicas, ueniam tibi do. quæ uero tunc dicebas, ego nunc recensebo. An non memoria tenetis eius impura & absurda uerba? quæ uos cum uelut ferrei non turbaremini, audiendo tolerabatis, cum prodiens aiebat, uitiputant quidam ciuitatem. uites populi quidam interciderunt, nerui rerum succiduntur, sporta ferimur in angusta. quidam primum uelut acus traijciunt. Hæc cuiusnam sunt Catamytæ uerba siue portenta? ac rursus cum te ipsum uolueres in orbem per suggestum dicebas, quasi Alexandro aduersarius constitutus esses. fateor res Laconicas composuisse. fateor Thessalos & Perrhæbos ad defectionem induxisse. Tu uicum ad defectionem inducere ualebis? Tu accederes non ad ciuitatem sed ad ædes, à quibus piculum timeretur? At sicubi pecuniæ insumerentur, ibi incubares, quicquam autem, qđ uirile esset, nõ ageres. Si qđ uero sponte sua euenerit, id audebis tibi uendicare? & te ipsum euentorum authorem inscribes? ac si qui timor aduenerit, aufugies? si uero nobis nihil fuerit pertimescendum, præmia postulabis & aureis coronis donari? Certe, at popularis est. si igitur ad eius uerborum illecebram & lenocinium aspexeritis, sicut & ante, fallemini, sin autem ad naturam & ueritatem ipsam intuebimini, minime decipiemini, illoq; modo orationem ab eo ad animos uestros demittite. Ego certe uobiscum ratiocinabor, quæ opor

ſteat in eo ineſſe uiro, qui natura ſit popularis & modeſtus, rurſusq́; contrariam in partem exponam, quis nam merito dicendus ſit uir paucorum gaudens dominatu aliasq́; prauus, uos autem horum utrunq;, ſi inter ſe comparaueritis, uidebitis ipſum non cuius ſit orationis, ſed cuius ſit uitæ, fore perpendendum. Puto igitur uos omnes conſenſuros hæc uiro populari ineſſe oportere, primum quidem, ut natus ſit parentibus liberis, ne propter malam generis fortunam cum legibus depugnet, quæ ſeruant popularem ſtatum. Deinde ut aliquod beneficium à maioribus ſuis populo collatum ipſi conſtet, uel quod maxime eſt neceſſarium, ne maiores ſui aliquod odium cum populo contraxerint, ne ſi protegat afflictam ſuorum fortunam, ciuitatem aliquo incommodo afficere conetur, tertio ut ipſe temperatus natura ſit, ac in uictu quotidiano moderatus, ne ſumptuum libidine ad largitiones in populi perniciem captandas efferatur, itemq́; ut uir ſit bonus dicendiq́; peritus, res enim bene ſe habet ſi mens ſciuerit optima quæq; eligere, Oratoris autem peritia & oratio ea ualuerit auditoribus perſuadere, ſin uero hæc unà non adfuerint, animi æquitatem orationi puto ſemper anteponendam: poſtremo fortis ut ſit animiq́; conſtantis, ne in rebus aduerſis belloq́; populum deſtituat. Qui uero paucorum affectat dominatum, ei adſunt omnia his prorſus cõtraria, quid rurſus hæc enumerare oportet? Aduertite q̃d ex his habeat Demoſthenes, omnia æquabiliter quæſo conſiderate. Huic pater fuit Demoſthenes Pæanieus homo liber, neq; enim mentiri oportet, quo autem pacto à matre auoq́; materno illi genus conſtet, ego eloquar, Gylo fuit ex tribubus Cerameis, is

cum Nymphæum locum, qui est in Ponto, hostibus tradidisset, cum per ea tempora is locus in ditione nostræ ciuitatis esset, uoluntarium à ciuitate exilium cepit, dum hic ipse capitis reus esset, non expectata pœna iudicij, & ad Bosphorum appulit, ibiq; à tyrannis in munus locum hortos appellatos accepit, mulieremq; diuitem per Iouem in uxorem duxit, et quæ multum auri in eius domum intulerat, genere Scythen, deinceps natæ sunt duæ filiæ, quas ille cum huc misisset, alteram nescio cui collocauit, ne multorum subeam simultates, alterā spretis legibus ciuilibus in uxorē accepit Demosthenes Pæanieus, indeq; uobis curiosus & calumniator natus est Demosthenes. ergo à genere materno hostis populi Athenięsis iudicandus esset, eius enim maiores pœna capitali damnastis. materno igitur genere Scythes est, itaq; Barbarus Græca tamen lingua loquens. unde mentis prauitas non est ei à solo natiua, in uictu autem quotidiano quis'nam est? Ex Nauarcho orationum scriptor euasit, patrimonium cum ridicule dissipasset, & in his præuaricator esse detectus est, arcanaq; causæ litigatoribus aduersarijs enunciare cum assueuerit, suggestum frequentauit. Cum grandem pecuniam publicam cōpilauerit, minimum facultates suas auxit, eius tum sumptus, nūc aurum regium suppleuit, uerum & hoc neq; satis est, nullæ enim copiæ malis moribus suppetunt, ac in summa uitam non ex suis prouentibus traducit, sed ex uestris opibus atq; periculis. De animi uero æquitate ac facultate dicendi, quemadmodum natus atq; aptus est ad dicendum cum modestia, cū intemperantia autē uiuendum? eum enim usum habuit sui corporis seminisq; uis ad gignendum & pereandum, ut nolim, quæ is

fecerit, referre. noui enim eos, qui morũ turpitudinem nimium
aperte alicui exprobrant eius familiarium odium in se con-
citare. quid deinde emolumenti ciuitas consequitur? Hi qui-
dem sermones auditu non iniucundi, res autem uiles sunt De
fortitudine quidem, mihi pauca dicenda supersunt. Si enim in-
ficiaretur se timidum esse, siue uos eius timiditatis conscij nõ
essetis, insumerem operam, ut ea de re uerba facerem. po-
stea uero quàm & ipse in concionibus id confessus fuit, &
uos illud non ignoratis, reliquum est, ut leges recitem ea de
re latas. Solon enim antiquus legislator eisdem pœnis obno
xium esse censuit eum, qui in militiam proficisci nolebat, &
aciei desertorem, itidemq; militem timidum. extant quoq; ti
miditatis indicia. At qui uestrum aliquis admiretur, quòd na
turæ indicia fuerint constituta. extãt quidem. cuius uero cau
sa? ut si quilibet uestrum pœnas legum extimesceret, magis
quàm hostes, longe melior euaderet patriæ propugnator. igi
tur legislator militare nolentem timidum et desertorem aciei
arcet à finibus fori, neq; permittit, ut corona donetur, neq;
quòd publica templa introeat. Tu uero iubes, cui legibus co-
rona est interdicta, ut is corona donetur? & eodem decreto
tuo, eum, quem non conuenit, per Tragœdos in Orchestram
accersis, in templum Dionysij eum, qui præ timiditate tem-
pla prodiderit. ne uos autem à rei argumento abducam, il-
lud recordemini, cum ait se popularem esse, contemplemini
eius uitam, non autem orationem, atq; considerate, nõ quem
dicat se esse, sed qui sit, postquam uero coronarum & mune
rum mentio incidit, quo ad licet per memoriam, uobis ante
significo uiri Athenienses, nisi istam munerum frequentiam,

ac coronarum multitudinem, quæ passim exhibentur, coercueritis, neq; hi, qui honorantur uobis gratias habebunt, neque status Reipublicæ erigetur. prauos autem nunquam meliores reddetis, optime autem de Republica meritos ad extremam desperationem deijcietis. quòd autem uera dicam, magnis argumentis id puto me uobis ostensurum. Si quis enim uos ita interroget, utrum Reipublicæ nostræ status præsentibus temporibus, an apud maiores uestros uobis laudabilior fuisse uideatur, omnes consentietis, quòd patrum superiorumq; uestrorum temporibus, uiri quidem utrum tũc fuerint, an nunc meliores, tunc quidem excellentes, nunc autem longe inferiores. Munera uero, coronæq;, & præconia, atq; in Prytaneo epulæ tunc, utrũ an nunc fuerint frequentiores? tũc qdem apud nos raræ erant celebrationes, & uirtutis nomen honorificum, nunc autem res est omnibus ludibrio atq; despectui, & corona pro more, nõ uirtutis gratia donatur. Proinde, cum ita concluserimus, dedecet munera nunc quidem plura donari, statum uero Reipublicæ tunc magis quàm nunc uiguisse, uiros quidem tunc peiores, tunc uero meliores fuisse. Verum hoc ego uos docere conabor. Arbitramini'ne Athenienses, aliquem unquam ingredi uoluisse in Panathenæa ex causa palæstræ, uel in quoduis aliud certamen, ubi corona datur in præmium uirtutis, siue illud certamen sit pãcratium, siue quiuis alius grauior gladiatorius ludus, si corona non robustissimo athletæ, sed qui eam ambiuisset, donabatur? minime uero ludum ingredi uoluisset. Nunc quoq; existimo, q propter rarum illud maximeq; expetendum, gloriosumq; & sempiterna memoria dignum nomen uirtutis, quod uictoria,

parit, ultro fortunæ quidem telis corpora exponunt, maximasq; erũnas perpetiuntur, grauiaq; pericula homines subeunt. putetis igitur uos ipsos esse ludi ciuilis uirtutis præfectos, illudq; cogitetis, quòd si munera paucis ueruntamen dignis, ac ut leges præscribunt, contuleritis, multos habebitis athletas uirtutis, sed si passim se offerentibus & ambientibus gratificari uolueritis, bonorum naturas contamnabitis. quòd autem recta sit hæc assertio mea, paulo manifestius id uobis ostendam. Vtrum'ne melior uobis uir esse uidetur Themistocles, qui tunc uester erat impator, cum in bello nauali apud Salamina superiores fuistis, an Demosthenes acierum desértor? Miltiades uero, qui in Marathone pugna Barbaros edomuit, an hic ipse? Insuper qui populum, cum à Tribu secesserat, reduxerunt? Aristides iustus appellatus, qui dissimile habebat Demostheni cognomentum? Sed equidem per Deos cœlestes neq; sub ipsa luce, ut huius belluæ & illorum uirorum mentio fiat dignum existimo. Ostendito igitur Demosthenes Oratione tua, sicubi scriptum extet, aliquem istorum uirorum corona honoratum fuisse. Populus ergo erat ingratus? minime uero, quinimmo magnificus. At illi quidem cum benemeriti essent de Republica, quamuis non ita honestarentur, putabant se non literis honorari oportere, sed illorum, qui beneficio affecti fuerant, memoria, quæ ab illis temporibus usq; in hodiernam diem manet immortalis. Quæ igitur munera illi accipiebant, minime indignum est, recensere fuere quidam temporibus illis, qui cum plurimum temporis circum fluuium Strymonem contriuissent, & multas erumnas perpessi essent, tandem bello pugnantes Medos su-

perarunt, hi cum huc aduenissent, à populo munus petierunt, & populus quidem illis, ut tunc uidebatur, maximos honores exhibuit, tres s. lapidei tumuli ut in porticu tumulorum extruerentur, eorumq; nomina in illis inscribi uetuit, ut non Imperatorum sed populi uideretur esse inscriptio illa. quòd autem uera dicam, ex ipsis carminibus id cognoscetis. In primo enim tumulo ita scriptum fuerat.

Infelix fuerat Medus, qui Tartara tendens,
Fluctibus in Strymonis occidit atq; ripa,
Multa fames, bellum qui prius intulit, hosti
Obuia fit, rerum & plurima pauperies.

In altero uero ita.

Athenæ Ducibus tales posuere triumphos,
Vt laudes uideas & benefacta uirum
Hæc quis respiciens mortem detrectet in Orcum,
Dum patriam redimat sanguine ab hoste suo?

In tertio quidem tumulo ita scriptum fuerat.

Atridis socius geminis hac urbe recessit
Mnestheus, ut Troiam mitteret excidio,
Quem Danais uates indutis omnibus arma
Prætulit, & primum castra petisse canit,
Palladis hinc populum merito nos dicimus esse
Primos in belli robore & arte Duces.

Ducum nomen est'ne alicubi inscriptum? nusquam uero, sed populi. mentem igitur uestram dirigite & in porticum depictam. omnium enim pulcherrimorum factorum in foro extant monumenta. quid tandem est Athenienses quod ego dico, in hac porticu pugna Marathonia depicta est. quis igi-

tur in ea erat Imperator? si ita enim interrogemini, omnes respondebitis, quod unus Miltiades. At illic depictus nõ fuit. quid non'ne hoc donum petijt? petijt quidem, sed populus non dedit, uerum nominis loco permisit, ipsum primum, qui milites hortaretur, depingi. In Matroo igitur prope comitiorum locum quod dedistis munus his, qui populum à Tribu secedentem reduxerunt, inspicere licet. erat enim qui decretum tulerat, & prouinciam sibi datam euicerat Achinus Cæleus unus ex eis qui populum reduxerant. is enim primum decretum tulit, ut ipsis sacrificij & donarij loco mille drachmæ darentur, atq; ista donatio minus decem drachmis uiritim continet, deinde iussit, eorum unumquenq; ex oleæ non aurea corona honestari. tunc enim ex olea corona erat honorifica, nunc quidem aurea despectui habetur, neq; id passim fieri permisit, sed cum Senatus diligenter exquisiuisset, qui ex ipsis obsessi fuissent in Tribu, cum Lacedæmonij & triginta tyranni se his adieceerant, qui Tribum anteuerterãt, non qui aciem in Cheronea hostibus aduentantibus deseruissent. quòd autem uera dicam, decretum uobis recitabitur. DECRETVM, DEORVM DONO, QVI A' TRIBV. Insuper lege & illud decretum, quod tulit Ctesiphon pro Demosthene maximorum malorũ authore. DECRETVM. Hoc decreto eorum munus, qui populum reduxerunt, obruitur. Si hoc enim recte, illud turpiter necessario se habet. si illi pro dignitate honorati fuere, is tamen indignus cum sit, corona donatur. Atqui audio ipsum dicturum, quòd non iuste faciam, si maiorum res gestas cum eo comparem. neq; enim inquiet Philamonem pu

gilem in Olympijs corona donatum fuisse, quòd Glaucum antiquum illum pugilem euicerit, sed quòd athletas, qui cum ipso in eadem palæstra fuisset, quasi nos ignoremus, quod palæstritis inter ipsos certamen constet, his uero, qui se corona donari petunt, dimicandum sit cum ipsa uirtute, cuius quoq; gratia corona honestantur. Præconem enim oportet, cum prædicationem aliquam facit in Theatro in conspectu Græcorum minime mentiri. ne igitur nobis, quòd melius quàm Patæcion Rempublicam rexeris enarra, sed fortitudinem tuam recense, atq; ita meritas gratias à populo petas. ne autem uos distraham à re proposita, leget uobis scriba Epigramma, quod is scriptum fuit, qui à Tribu populum reduxerunt.

His populus, quoniam primi pepulere tyrannos,
Præmia uirtutis laurea serta dedit
Esse sub iniusta nolunt dum lege, periclo
Mortis se obijciunt corporibus proprijs.

Quoniam eos, qui præter leges dominabantur, exegerant, propterea ipsos ait Poeta honoratos fuisse, tunc apud omnes quoq; fuerat decantatum, quod continuo populus ad seditionem deuenit, ut nonnulli iudicia illicitarum rogationū sustulerunt. Atq; ego quidem de patre meo audiui, qui cum quinq; & nonaginta annos uixisset, omnibusq; muneribus ciuilibus fuisset defunctus, sæpe dum à curis uacaret, mecum narrare solebat, aiebatq; dudum quando populus à secessione reuerterat, si quis in forum aliquam illicitam rogationem attulisset, perinde reus habebatur, ac si eam tulisset. quid enim detestabilius homine præter leges loquente & agente? Audientiamq;, ut ille

mihi referebat, non ad hunc modum faciebant, ueluti nunc fieri consueuit, sed iudices erant acerbiores latoribus illicitarum rogationum, quàm ipse esset accusator, ac sæpenumero scribam reuocabant, atq; rursus, ut leges & decretum recitaret, iubebant, & eiusmodi rogationũ latores cōprehēdebantur, nō si uniuersas leges prætergressi fuissent, sed si uel unicam syllabam præterijssent. Mos autem, qui nunc frequentatur, summe est deridendus, scriba enim rogationem illicitam legit, iudices autem, uelut carmen, aut quid audiant alienum, cuius potius rei animum attendunt, iam uero ex arte Demosthenis turpem consuetudinem in iudicijs toleratis, uestræ enim ciuitatis iura inuersa fuere. Accusator defendit, reus uero delationem accusat, iudices aliquando, quorum sint habituri cognitionem ignorant, his quidem de rebus, quarum iudices non sunt, suffragium ferre coguntur. Defendit reus, si quando causam attigerit, non q, legitimam rogationem tulerit, sed q, cũ quispiam alius superiori tempore istiusmodi leges rogasset, fuerit absolutus, qua in re sentio in præsentia Ctesiphontem ualde īniti. audebat enim apud uos aliquando gloriari Aristophon Azenieus dum diceret, q illicitarum rogationum cum septuagies quinquies reus in iudiciũ uocatus fuisset, semper fuerat absolutus. At non Cephalus antiquus ille, qui summe popularis semper fuisse uisus est, non ita, sed contraria lætitia exultabat cum diceret, q cum multo plura quàm cæteri decreta tulisset alicuius rogationis contra leges latæ nunquam fuerat delatus, qui propterea arbitror iure meritoq; se iactabat, illicitarum enim rogationũ non solum qui Rempublicam administrabant, inter se accusa-

tiones proponebant, uerum & amici amicos deferebant, si quid aduersus Rempublicã admisissent, ex eo enim illud pspicietis, Archinus Cæleus Trasybulũ Stirieum illicitæ rogationis accusauit, q, contra leges rogasset, ut unus ex his, qui cũ ipso à tribu populum secedentem reduxerant, corona donaretur, atqui non multo ante debitas ipsi gratias à populo acceperat, ad quas iudices aspicere nolebant, rati enim erant, q, sicut tunc ipsos à tribu secessos Trasybulus reduxerat, ita nunc si aliquid contra leges ferre permitteretur, eosdem stabilitos educeret. At non hæc in præsentia uerum his prorsus contraria fiunt, uestri enim duces, qui in bello præstantes, et qui in Prytaneo uictum quotidianum meritorum suorum magnitudine nacti fuerint, deprecantur, ut crimen illicitæ rogationis sibi condonetis, quos uos ingratos & beneficij immemores existimare iure meritoq; deberetis, si quis enim in Republica fuerit honestatus in istiusmodi ciuitate, quam Dij & leges tuentur atq; conseruant, aususq; fuerit illicitarum rogationum latoribus opem ferre, ipsam Rempublicam euertit, à qua honore affectus fuit. quæ igitur oratio uiro æquo defensoriq; modesto concessa sit atq; pmissa, ipse ostendam. tris in partes distribuitur dies, quo illicitæ rogationis accusatio in forum defertur. prima enim Clepsydra accusatori legibusq; & Reipub. moribus est destinata. Altera autem ei, qui accusationem propulsat seq; defendit, hisq; simul, qui pro eadem causa patrocinium susceperint, tribuitur. cum uero prima suffragatione reus illicitæ rogationis non fuerit absolutus, iam tertio in Clepsydram aqua immittitur ad pœnam de reo statuendam, & ad magnitudinem uestræ indignationis

decernendam. qui igitur pœnæ suffragationem sibi concedi petit, is uestram indignationē deprecatur, at qui prima actione, ut suffragio uestro crimen sibi condonetis, postulat, iusiurandum postulat. Legem postulat, libertatem Reipublicæ postulat sibi condonari. quæ neq; petere cuiquam sanctum est, neq; eum, à quo petantur, alteri concedere. ipsis igitur imponite, ut uos patiantur ex legibus prima actione suffragia ferre, supplicio autem infligendo si uelint, occurrant. in summa ego quidem uiri Athenienses, parum deest, ut contendam, iudicijs illicitarū rogationum uel legem præsentem condi oportere, ne accusatori itemq; & reo eius criminis delato patronos aduocare liceat, neq; enim ius ipsum immensum infinitumq; est, sed legibus uestris comprehensum & definitum, uelut si fabricam aliquam, directá ne sit, noscere uoluerimus, an incurua atq; inflexa, regulamq; ad eam adiungamus, qua id ipsum dijudicatur atq; discernitur, ita in illicitæ rogationis iudicijs adijcitur regula iuris, id autem est album prætoris decretaq; & leges in eam rem traditæ. hæc autem inter se consentanea esse atq; consentientia cum ostenderis, ex hoc suggesto descende. Et quid te oportet Demosthenem accersere? siquidem legitimam defensionem omiseris, hominemq; malefi cum & uerborum opificem aduocaueris, circumuenis audiētium animos, uiolas ciuitatem, euertis Rempublicam. quæ autem sit ratio auertendi hominem ab huiusmodi fallacijs, ipse exponam. Cum huc accesserit Ctesiphon & prooemium sibi apparatis uerbis compositum recitauerit, deinde in nugis uersetur, neq; in defensione permaneat, ipsum placide sedateq; commonefacite, ut tabellam albi prætorij assumat,

ac secundum decreta leges recitet, q; si uos dissimulauerit minime audire, neq; uos illum uelitis audire, neq; enim reorum iniquas defensiones in forum uenistis, ut audiretis, sed eorum, qui uoluerint se iuste tueri, sin uero transgressa congruenti defensione, Demosthenem acciuerit, hominem præstigiatorem, qui uerbis putet se posse legem conuellere, maxime deuitate, neq; id aliquis uestrum ponat in loco uirtutis, qui si Ctesiphonte rogante an uocet Demosthenem primus inclamet, uoca, uoca, contra te ipsum uocas, contra leges uocas, contra Rempublicam uocas, cæterum si uobis uisus fuerit audiendus, imponetis, ad eum modum Demosthenem rei causam agere, quo & ego eam egi, ita enim accusaui, ut neque uobis priuatam uitam Demosthenis commemorauerim, eam priori loco percurrendo, neq; eodē loco alicuius publicorum delictorum mentionem fecerim, quamuis certe copiosa, multaq; ea essent, quæ mihi ad dicendum suppetebant, ita ut uel omnium commemoratio fuisset inexplicabilis, sed primum leges retuli uetantes obnoxios rationibus reddendis corona donari. Deinde oratorem redargui, q; tulisset, Demosthenem obnoxius cum foret, corona honestandum esse, nihil exceptionis obtendendo, nihil adijciendo, puta, postquam rationes reddidisset, sed planè & uos & leges contemnendo, & quas putabam futuras ad hæc excusationes enunciaui, quas non indignum existimo, ut memoria custodiatis, secundo autem loco leges depreconijs uobis percucurri, quibus manifesto interdicetur, à populo corona donatus extra concionem prædicari, Orator autem qui se aduersus accusationem defendit non leges solum transgressus fuit, sed & prædicationis tem-

pus

pus & locũ cum iussisset non in concione, sed in theatro, prædicationem habendam fore, neq; aduentantibus in concionem Athenien. sed cũ Tragœdi theatrum essent ingressuri, hæc cũ dicerem, pauca quædam de priuatis, plurima uero de publicis delictis recensui, hoc inq̃ modo postulabitis, ut Demosthenes se defendat aduersus. s. obnoxiorũ legem primúm, deinde cõtra eam, quæ est de præconijs. tertio refellat, id, ꝙ neq; hoc muneře dignus est. ꝙ si uos fuerit deprecatus, ut ei liberam orationis dispositionem concedatis, pollicendo postremo defensionis loco, illicitæ rogationis caput se refutaturum, ne illud permittite, neq; ignoretis, hoc esse fori artificium, non enim uult ad defensionem obiectæ illicitæ rogationis rursus reuerti, sed, cum nihil habeat legitimi, quod dicere possit, diuersarum rerum interpositione, uos uult ad obliuionem deflectere, sicut igitur in gymnicis certaminibus pugiles uidetis de statione inter se luctantes, ita & uos totam diem pro Republica, deq; ordine orationis ab ipso seruando decertetis, neq; ipsum permittite ad uerba extra crimen delatum aberrare, sed in eius auditione insidete, atque insidiando auscultate, ipsum ad propositum crimen reuocate, eiusq; uerborum digressiones obseruate, sed quæ uobis euentura sint, si ad hunc modum audientiam feceritis, hæc uobis ut ante significem, æquum existimo, inducet enim præstigiatorem, acqui marsupia discindit, & Rempublicam imminuit, is enim facilius lacrymat, quàm cæteri rideant, maxime autem omnium mortalium periurium habet in promptu, nec enim admirarer, si de causa digrediens eis qui extrinsecus circũsteterint, conuitium fecerit dicendo, factiosos ab ipsa ueritate remotos ad accusatoris, populares

ad rei suggestum confluere, cum hæc quidem dixerit, ad hæc seditiosa uerba illud ei opponite, q; si Demosthenes, qui populum à tribu secedentem reduxerunt tui similes fuissent, non amplius Respublica constitisset. At uero illi, cum eorum ciuitas in magnas calamitates incidisset, eam seruarunt illud honestissimum ab institutione uerbum eloquuti, ueterum malorum memoriam delēdam fore, tu uero quæris, ut uulnera recrudescant, ac tibi magis curæ est, quotidiana uerborum compositio quàm ciuitatis salus. Si quidem, periurus natura cum sit, eò confugiat, ut iureiurando fidem habere uelit, illud ei memorate, quòd illi, qui frequenter peierare quiq; continuo apud uos iureiurando petere consueuit, ut ei fidem habeatis, ex duobus alterum existere necesse est, quorum utrunq; Demostheni existit, uel Deos non esse, uel iudices sibi non constare. de lacrymis certe & uocis sonitu rauco, illud præmonebo, cum uos rgabit, quo me recipiam uiri Athenienses? me de Republica obliterastis, non est ubi concidam, contra ei occurrite, populus Atheniensis quo confugiet Demosthenes, uel ad quam sociorum opem? ad quam rerum facultatem & copiā? qua in re populum iuuisti cū in Republica esses? qua in re rationibus tuis consulueris atq; prospexeris, omnes uidemus, urbem cum dereliqueris, nō habitas, ut uideris, in Pyræo, sed ex ciuitate profectus es, commeatum totius ætatis tui corporis mollitiæ suppeditasti regium aurum et publicam corruptelam. Atq; quid? lacrymæ? quid? clamor acutus? quid? raucus uocis sonitus, qui accusationem depellat, reus non est Ctesiphon, iudicium certe non est famosum, tu quidem neq; de fortunis neq; de capite, neq; de statu dignitatis tuæ decertas.

At de qua re ei tātus est conatus ac studium? de aureis coronis, & praeconijs in theatro praeter legem edendis, quae potius oportebat, si populus uesanus aut rerum impēdentium oblitus in tempore tam alieno ipsum uoluisset corona honestare, concionem prodeundo praedicare, uiri Athenienses coronam uobis acceptam refero, tempus, quo ea praeconis uoce declaretur reijcio, non enim oportet ob quae ciuitas luxit & meruit, ob haec me corona honorari, uerum ista puto diceret uir, qui reuera cum uirtute uixisset, quae uero tu dices, ea diceret profecto furia quaedam uirtutis aemula, neq; per Herculem id uestrum aliquis timeat, ne Demosthenes uir magnanimus & in rebus bellicis eximius, si epulas in Prytaneo non fuerit consecutus, domum reuersus mortem sibi ipsi cōsciscat, qui ita honorem nullo ad uos respectu habito deridet atq; contemnit, ut scelestum illud caput & obnoxium, quod is corona cingendum praeter omnes leges scripsit decies millies raserit, atq; horum mercedes exegerit, uulneris accusationes magno studio cum scripsisset, & pugno percussus cum fuerit, ita ut putem ipsum adhuc pugnorum Midiae retinere impressa uestigia. At homo non capitis honorem, sed quaestus compendium est adeptus. De Ctesiphonte, qui sentētiam tulit, pauca dicere in animo est, multa uero praetermittam, ut de uobis capiam experimentum, an summe nequam homines cognoscere possitis, etiam si quis nos ante non monuerit, quae eis ambobus sunt communia, & quae aequum est, ut aduersus ipsorum utrumq; enuncientur, haec uobis recitabo, circumeunt forum ueras alioquin contra se uicissim habentes opiniones, neq; mordaces sermones iactantes, Ctesiphon enim quoad se

ait non timere, uerum confidit, se priuatum quendam uisum iri, sed Demosthenis in Republica administranda corruptelam ait sibi formidolosam esse, illiusq; temeritatem & ignauiam, Demosthenes quidem in se ipsum aspiciens ait se confidere, nequitiam autem Ctesiphōtis & lenocinium ualde pertimescere, eos iam qui per iniuriam sese coarguerint nequaquam uos communes delictorum iudices absoluatis. De maledictis in me ipsum coniectis breuiter prædicam. Audio Demosthenem dicturum, q; ciuitas ab eo fuerit adiuta, à me uero plurimum læsa, Philippumq́; & Alexādrum, & causas malorum, quæ ab his euenere, in me relaturum, ita enim est, ut uidetur, callidus uerborum opifex, ut ei satis non sit, si quid ego in Republica apud uos administraui, aut si quas conciones habui, de his me accusare, uerum & tranquillitatem uitæ criminatur taciturnitatemq́; meam accusat, ne aliquis ab eo sine calumnia locus prætermittatur, measq́; exercitationes, quibus in ludis literarijs cum adolescentulis incumbo, reprehendit. aduersusq́; hoc iudicium principio statim orationis suæ aliquam afferret causam inquiens, q; ego hanc accusationem non pro ciuitate instituerim, sed me ut Alexandro notum facerem per eam, quam aduersus Demosthenem gero inimicitiam. rursusq; per Iouem intelligo me ipsum interrogaturum, qua de causa eius Reipublicæ administrationem uniuerse reprehendam, singula uero quæq;, ut fiebant nō prohibuerim, neq; accusauerim, sed in hoc tempus reiecerim, neq; crebro alioquin ad Reipublicæ consilia ingressus fuerim, eiq; diem dixerim. Me enim suarum exercitationum Demosthenes æmulum non habuit, neq; meæ sunt eiusmodi, ut ob eas uere-

eunder, neq; uerba, quæ feci in conspectu uestro, uelim à me ipso dicta non esse, neq; si hæc in concione dixissem, quæ isti dixerunt, mihi uiuendum putarem, meam autem reticentiam, ô Demosthenes, uitæ moderatio ac modestia effecit, paucis enim minimisq; contentus sum, maiora autem turpiter non cõcupisco, ita q reticeam & uerba faciam, ut mihi libitum fuerit, non naturali sumptuum auaritia impulsus, tu autem ut accepisti, siles, existimo, ut uero consumpsisti, uociferas, loqueris quidem non cum tibi uidetur, neq; ea quæ uelis, sed quando corruptores tibi præscripserint, non erubescis in his te iactare, in quibus cõtinuo ementiri fueris deprehensus, introducta quidẽ est aduersus hoc decretum accusatio eiusmodi, quam non pro ciuitate, sed ut Alexandro me notum facerem, ais me detulisse, cum Philippus uiueret, nec Alexander in Regio solo esset cõstitutus, nõdum autem tu Pausaniæ somnium uidisses, neq; cum Minerua & Iunone noctu locutus esses. quo ergo modo uoluerim me Alexandro notum facere? nisi idem somniũ ego et Demosthenes uiderimus. Mihi quoq; obijcis, q non dies omnes sed intermissos ad populares conciones accesserim, rogationemq; hanc tuam putas nos latere, q eam traducas non à Republica, sed ab alio statu, in paucorum enim statu non popularis, sed optimatium est accusatio, in rebus publicis uero quilibet quilibet passim accusare potest, ac cum ei uisum fuerit, temporibus enim opportunis uerba facere indicium est uiri prudenter pariter & utiliter Rempublicam administrantis, nulla autem die conquiescere operarij est ex mercenarij. De eo autem q nondum te in iudicium uocauerim, neq; delictorum pœnam à te repoposce-

rim, cum ad hæc uerba confugeris, uel iudices obliuiosos putas, uel te ipsum fallis. quæ enim pro Amphiseis impie gesta sunt, ac corruptelas, quas pro Eubœa accepisti, tempora quamuis transierint, quibus à me palàm redarguebaris, forte speras populum obliuioni mandasse. Rapinas quidem, quas ex triremibus & nauarchis fecisti, quæ ætas cælare potest? Cum legem tulisses de trecentis nauibus instruendis, & ut te ipsum uniuersæ classis præfectum decernerent Atheniensibus persuasisses, à me conuictus fuisti, quinq; & sexaginta nauium celerum nauarchos abs te fuisse subtractos, magis ciuitatis nostræ classem extenuando, quàm Athenienses minuerint, quando in Naxo nauali pugna Lacedæmonios & ciuitatem superarunt, eiusmodi enim uelamentis te muniuisti aduersum supplicia, quæ te expectabant, ut non tibi, qui delictũ admiseras, sed accusatoribus tuis periculum impenderit, multum quidem Alexandrum & Philippum calumnijs cum peteres, quosdam autem causareris ciuitatis temporibus moram & impedimentum inferre, instantium rerum statum semper obrueres, spem autem in incerto futuri tẽporis euentu collocares, itaq; postremo de huiusmodi delictis à me esses deferendus. Anaxini Oreitæ comprehensionem commentatus, quòd olympiadi uenalia mercatus esset, uirumq; cum manibus proprijs uinxeris atq; constrinxeris, ultimoq; supplicio, q plectendus esset, sententiã dixeris, apud ipsum in Oreo diuersabaris, ad eandem mensam comedebas ac bibebas & libabas, porrectaq; dextra amicitiam et hospitalitatem cum eo iungebas, atq; hunc è uita sustulisti, & in his cum in cõspectu omnium Atheniensium à me coarguereris uocarerisq; hospitis inter-

fector, factum impium nõ negabas, uerum illud respondebas, in quo populus conclamauit, quotq; peregrini concioni astiterant, aiebas enim te publicos sales pluris facere quàm mensam hospitalem. falsas epistolas silentio prætereo, speculatorumq; comprehensiones, ac tormenta iudicialibus quæstionibus habita, q, unà cum quibusdam in ciuitate rebus nouis studerem. Deinde me, ut audio, est rogaturus, quis'nam taliter medicum ageret, ut ægro, dum infirma ualetudine laboraret, nihil consuluerit, ac cum ille decessisset, domesticis exponat ea, quæ si ægrotanti curæ fuissent, incolumis euasisset. De te ipso non rogas, quis'nam talis esset tribunus plebis, qui populum blanditijs cum circumuenerit, tempora quidem, quibus ciuitas seruari potuisset, perdiderit, scientes prudentesq; ita fuerit calumniatus, ut eos in cõsultationem Reipublicæ uenire prohibuerit, cumq; à periculis se subtraxerit, ciuitatemq; insanabilibus malis demerserit, petat se uirtutis gratia corona donari? nihil boni cum fecerit, & omnium malorum author cum fuerit, quærat de his, quos præ calumnia de gradu Reipublicæ deiecerat, tempore quo ipsa seruari potuisset, cur tunc à licentia potestateq; peccãdi ipsum nõ detorsissent, respondeant utiq; omnium nouissime, bello gesto cum fuissemus præpediti, operam non dedimus pœnæ de te cõstituendæ, uerum pro salute ciuitatis legationem obiuimus, posteaquam tibi satis non est, pœnam non dedisse, sed & præmium tibi tribui petis id in Græciæ conspectu efficiendo, ut ei ciuitas sit risui atq; ludibrio, hic tunc restiti, animumq; induxi ad te accusandum, ac per Deos cœlestes, ut ipse intelligo, Demosthenes illud est dicturus, qđ cũ uobis referre in aĩo habeã, sto-

machum mihi mouet, quoniam meam naturam Sirenibus, ut uidetur, assimilet, auditores enim ab eis non permulceri, sed perimi atq; deleri, ob idq; uerborum meorum Symphoniam non probat, continuoq; eloquentiam & facultatem dicendi à natura mihi tributam in auditorum perniciem conuerti ait. At qui neminem, ut generatim loquar, dicere arbitror, ut ista de me dicat, turpitudinem enim causæ argueret, si delator officium suum explicare non posset, uerum si ea necesse sit de me dicere, in eo Demosthenes ferendus non esset, sed uir aliquis Imperator, qui cum de Republica optime meritus esset, facultateq; dicendi minime ualeret, si aduersarijs suis inuideret, quibus cum litigaret, q. eam ipsam facultatem haberent, ipseq; sibi conscius esset, q. nihil eorum, quæ gessisset, eloqui posset, uideat quidem accusatorem, etiam ea, quæ ab eo gesta non sunt ante auditorum oculos, ut ei libuerit, producere posse. Cum uero is homo ex uerbis concretus sit atq; cõpositus, hisq; amaris & supuacaneis, deindeq; ad simplicem loquẽdi speciem et facinora Reipub. pniciosa se conferat, quis eum tolleret? à quo linguam uelut à tibijs si quis abstulerit, nihil superesse necesse est. Admiror uos equidem uiri Athenienses, ac illud scire cupio, ad quam rem respexeritis, cum accusationem illam deleuistis, an quia decretum esset legitimum? at nullum scitum magis præter leges unquam rogatum fuit, aut quia is, qui illud decretum scripsit, non conueniebat, ut pœnam lueret? non ne à uobis uitæ rationes ad cẽsoriam animaduersionem erunt referendæ, si hunc dimiseritis? illud nõ ne dirum est? si prius orchestra aureis coronis replebatur, quibus populus à Græcis honestabatur à Græcis, cum ea dies coro-

nis peregrinis destinata esset, ex Demosthenis autem administratione illud fueritis consecuti, ut neq; corona amplius uos donemini, neq; præconis uoce prædicemini, hic autem præconio pronuncietur? Ac si quis è tragicis Poetis, qui in posterum illud in scenam sunt inducturi, finxerit in tragœdia Thersitem à Græcis corona ornatum, nemo uestrũ id ferre posset, quoniam Homerus dicat ignauum et effœminatum illum fuisse & calumniatorem, ipsi uero cum eiusmodi hominem corona donaueritis, non'ne putatis Græcorum opinionibus & sententijs eum exsibilari, superiores quidem uestri gloriosas & præclaras res gestas populo tribuebant, humiles atq; obscuras ad malos Oratores referebant, Ctesiphon quidem arbitratur, uos oportere ignominiam à Demosthene detrahere, eãq; populo imponere atq; intuere. Aitis uos fortunatos esse, quemadmodum estis, illud alioquin recte arbitrati, decernetis autem à fortuna uos fuisse derelictos, à Demosthene quidem beneficijs affectos? Atq; illud omnium maxime absonum est in iudicijs ipsis, q eos, qui largitionis accusati conuicti fuerint, infamia notetis, quem uero uos ipsi corrupte Rempublicam gessisse conscij estis, corona honestabitis? Cæterum iudices Bacchanaliorum, nisi iuste Chori circuitiones iudicauerint, molestatis. Vos autem ad chori uolubilitatem iudices cum sitis constituti, sed ad leges & ciuilem uirtutem conseruandam, munera non ex legibus, neq; paucis, & his quidem dignis, sed cuilibet ambitioso donabitis? Deinde è foro eiusmodi Iudex qua facie exibit, qui se ipsum abiecerit atq; summiserit, Oratorem autem superiorem in iure effecerit, illiq; partes suas condonauerit? uir quippe priuatus in ea ciuitate,

quæ poppulari statu regatur, legibus regnat atq; suffragijs, & si alteri ista cōcesserit, is fateatur oportet, semet ipsum dominatū suum atq; potentiā p se extinxisse. Deinde iusiurandū, quo iudex cōstrictus sententiā dictat, cum ipsum commetetur, eū angit atq; sollicitat, ita ut ꝑpter illud existimem ipsum in peccatum periurij incurrere, gratia quidem eius, cui fuerit gratificatus, dubia est, ut eam aucupari possit, quoniam suffragium abdite atque occulte fertur. uidemini etenim mihi Athenienses non modeste admodum in horum utroq; uos habuisse, & in Republica cum prosperitate administranda, & in eius periculis subeundis, quòd enim his præsertim temporibus multi paucis potissima Reipublicæ commiseritis, non laudo. quòd uero temporibus nostris copia non fuerit malorum Oratorum pariter & proteruorum, feliciter & prospere agimus. Antea enim hæc ciuitas istiusmodi uirorum ingenia tulit, quæ nullo deinde negotio popularem statum euerterunt. dum enim blanditijs populus & ambitione demulcebatur, gaudebat, postea hunc ipsum, non hi, quos formidabat, sed illi, quibus seipsum concrediderat, extinxerunt. nōnulli quidem atq; ipsi ex triginta tyrannis fuere, qui plures quàm mille quingentos ciues indicta causa è medio sustulerūt prius quàm accusationes audirent, ob quas mortis supplicio subdendi forent, neq; patiebantur interfectorum cognatos et necessarios eorum sepulturis & funeribus interesse. non'ne eos, qui fauent populari statui amplexabimini? non'ne eos, qui se in præsentia superbe attollunt, deprimetis, atq; eijcietis? Non'ne recordamini, quòd nemo prius unquam popularis status euersioni incubuit, antequam eius authoritas ma-

ior esset quàm illa iudiciorum? studiose equidem Athenienses cum eo, qui scitum scripsit, reputarem in cõspectu uestro, ob quæ ꝑmerita petat Demosthenem corona donari. Si quidem ais inde exorsus, unde principium decreti tui sumpsisti, q̃ fossa muros affabre circundederit, admirationem mihi moues. ob id enim, q̃ fabre hæc laborarẽtur, eius rei eũ authorem fuisse, maiorem illud accusationem meretur. nõ enim eũ qui uallo ac fossa mœnia cinxerit, neq; qui publica sepulchra diruerit, ac ꝓpterea in Repub. recte segesserit, ideo oportet eum præmia postulare, sed illũ, qui alicuius beneficij in Rempu. collati causa & author fuerit, sin uero ad secũdam decreti partem deueneris, in qua scribere ausus fuisti, quòd Demosthenes uir est probus, ac qui & factis & Oratione beneficijs afficit populum Atheniensem, quod dixisti, abs te uelle dictum fore citra iactantiam, & sine decreti elatione. facta, quæso, attingito, & quod asseris nobis manifestum facito. Corruptelas enim Amphiscorũ simul et Eubœensiũ prætermitto. Cũ autẽ Demosthenem Phocensium societatis fuisse authorem dixeris, & id ei tribueris, eos, qui illud ignorant, decipis. scientes autem & sentientes, contumelia afficis. quamuis enim tempus oblatum, atq; occasionem, horumq; animi sentẽtiam & mentem, quam tunc habebant, auferas, & supprimas, propter quam societas eo tempore contracta exiuit. putas nos latere, idq; clam nobis facere, cum ciuitatis dignitatem Demostheni uelis attexere? quam petulans autem sit hoc facinus, ego illud insigni indicio coarguere conabor. Persarum Rex non multo tempore antequam Alexander in Asiam traiecisset, populo misit epistolam maxime contumeliosam, &

barbaram, in qua inter cætera, cum ualde illiberaliter pleraq; dixisset, tum illud in postrema epistolæ parte scripsit. Ego aurum uobis non dabo, ne illud à me petatis, quia non accipietis, is tamen à periculis præsentibus, & quæ tunc ei instabant, circunseptus, Atheniensibus non petentibus, ipse spōte sua populo trecēta talēta misit, quæ ille, cū se modeste gereret, accipere noluit. Qui ad uos aurū deferebat, opportunitas fuit, & formido, ac societatis usus. hoc autem ipsum aurum Thebanorum societatem suscitauit, tu uero Thebanorum nomen, & illius maxime detestabilis societatis nos obtundendo, continuo habes in ore. septuaginta quidem talenta silentio prætermittis, quæ cum ante de Regio auro detraxisses, ea expilasti. Non'ne nūmorum indigentia ob quinque.s.talenta, milites peregrini Thebanis arcem non tradiderunt. Propter nouem argenti talēta, cum omnes Arcades in expeditionem exiuissent, Ducesq; prompto & alacri animo essent ad opem ferendam, res ex sententia non successit. Tu aūt opibus abundas, ac tuis libidinibus expleris. Proinde in summa aurū Regium penes hunc est, pericula aūt atq; discrimina, penes uos sunt. Nō indignum est & ipsorum petulātiam contemplari. Si quidem Ctesiphon Demosthenem aduocare ausus fuerit, ut in præsentia uestra Orationem habeat, is autem cum suggestum ascenderit, se ipsum commendare non erubescat, grauius erit illa toleranter audire, quàm facinora ipsa, quibus estis affecti, quandoquidem uiros reuera probos, quorum multa & honeste facta nouimus, si per se laudes suas pronunciauerint, non ferimus. At homo dedecus suæ ciuitatis, si se ipsum laudibus extulerit, quis ista au-

diendo sufferre posset? à facto igitur impudentiæ pleno, si modeste egeris, temperabis. perficito ô Ctesiphon per te ipsum hanc defensionis causam, neq; illud quæso in mentem tuam ueniat, quod ad dicendum non ualeas. Etenim illud te dedeceret, si paucis ante diebus passus fueris, ut ad Cleopatram Philippi filiam ad lamentandam deplorandamq; Alexandri Molossorum Regis mortem, legatus suffragijs crearis, nunc dicas te ad dicendum non ualere. Deinde, quòd mulierem alienigenam lugentem potueris consolari, decretum autem quod tuleris mercede conductus, non sis defensurus? Vel talis est ille, quem scripsisti corona donari debere, ut ab his, qui sunt beneficio affecti, non agnoscatur, nisi aliquis tecum patronus ad id testandum accedat. Rogato iudices num cognouerint Chabriam, & Iphicratem, ac Timotheum, & ex eis sciscitare, qua de causa illis munera contulerint, & statuas erexerint, omnes simul tibi respondebunt, quòd Chabriæ propter naualem pugnam prope Naxum confectam, Iphicrati, quòd Lacedæmoniorum aciem trucidauerat, Timotheo, quòd Corcyram nauigauerat, & reliquis, quorum multæ & præclaræ fuerant in bello res gestæ, Demostheni certe si quis interroget, cur munera non largiemini? quòd corruptus? quòd ignauus? quòd aciem deseruerit, utrum ob hæc istum honestabitis, an uos ipsos potius infamia notabitis? & eos, qui in bello pro uobis mortem oppetierunt, quos putetis conspicere quiritantes & moleste ferentes, si iste corona donabitur. Cæterum indignum esset uiri Athenienses, cum si quis lignis, uel lapidibus, uel ferro aliquem occurrentem interfecisset, eas res mutas et sen

ſu carentes proijciamus atq; extermine mus, ac ſi quis manibus proprijs ſibi mortem conſciuerit, manum, quæ hoc patrarit, ſeorſum à corpore ſepelire in more noſtro ſit poſitũ. Demoſthenem quidem Athenien. qui author fuit, ut egreſſus ille extremus & pernicioſus decerneretur, qui milites prodidit, hunc reuerebimini? At qui mortui contumelia afficiũtur, uiui ad extremam deſperationem deijciuntur, cum uideant in præmium uirtutis mortem ſibi eſſe propoſitam, ſe autem memoria geſtorum deſtitui. Atq;, quod omnium maximum eſt, ſi iuniores uos rogauerint, ad quod exemplum eos oporteat uitam ſuam inſtituere, quid dicetis? recte enim noſtis, quòd non palæſtræ, non ludi literarum, non muſice ſolum iuniores erudit, ſed multo magis publica præconia. Prædicatur aliquis in theatro, quòd coronæ munere donetur uirtutis ergo, & fortitudinis, & beneuolentiæ, homo alioqui uita impurus & deteſtabilis. Adoleſcentulus iſta ut fuerit intuitus continuo deprauatus eſt. Quidam improbus & leno ſicut Cteſiphon, ad debitum ſupplicium amandatus eſt, reliqui illud intuiti inſtituuntur, & caſtigantur. Quidam aduerſum honeſtatem atq; iuſtitiam cum quid decreto ſtatuiſſet, ſi domum reuerſus uelit filium erudire, is iuſte facit cum patrem non audiat, uerum iure meritoq; exiſtimare poterit ſe moleſtia potius affici, quàm moneri. ita igitur ſuffragia ferte, ut non in foro ſolum ſed & in theatro ueſtrarum actionum defenſionem his ciuibus præſtare poſſitis, qui cum præſentes non fuiſſent, de uobis quæſierint, quid iudicaueritis. Probe noſtis ô Athenienſes, quòd talis ciuitas eſſe uidebitur, qualis ille fuerit, qui præconis uoce prædicatur. Probro

enim dabitur, non si uos maiorum uestrorum, sed ignauiæ Demosthenis similes & imitatores esse uolueritis. quo igitur modo aliquis eiusmodi infamiam euitare poterit? si eos, qui rerum publicarum tractationi se immiscēt, & uerba perhumana habent in ore, moribus autem sunt tales, ut eis fides non sit habēda, uos obseruetis & colatis? Beneuoli enim & popularis nomen in medio positum est, ad ea nomina, sunt nonnulli, qui cum à factis sint remotissimi, ut plurimum uerbis properent & accurrant. Cum ergo Oratorem deprehenderitis, qui in præsentia Græcorum coronas peregrinas & præconia ambiat & concupiscat, ipsum facessere iubete, & ut uerborum suorum confirmationem, sicut lex de præconijs præscribit, ad uitam cōstantem et probatam, ad morūq; referat probitatem, & modestiam. quanto igitur inter se hæc minime consentient, tanto minus uos ei laudes adscribetis, ac Rempublicam custodite, quæ iam labat, atq; è manibus uestris diffugit. Non'ne illud uobis uel indignum esse uidetur, quòd Senatus pariter & populus despectui habetur, atq; contemnitur? Literæ & legationes priuatas ad ædes appellunt missæ non à plebeis & infimis hominibus, sed ab Asiæ & Europæ primarijs & optimatibus, & penes quos est gladij & imperij ex iure potestas, hæc q; faciant, nonnulli sunt, qui illud non inficiantur, sed palàm cōfitentur, inter seq; epistolas legunt, & uos hortantur, ut eorum ora intueamini, quidamq; id agunt uelut uindices publicæ libertatis, alij præmia petunt, quasi populi fuerint seruatores. Populus ex euentorum desperatione ueluti ætate confectus & mente captus, nomen tantum retinet popularis

status, actiones autem aliis permisit atq; concessit. Deinde à concionibus domum regredimini, non tanquam rebus publicis consilium dederitis, sed quasi publici conuiuij reliquias depasti. Et quòd uobis nihil nugarum retulerim, inde rationem à me dictorum contemplabimini, fuit quidam, angor & crucior, cum frequens subit miseriarum ciuitatis in mentem meam recordatio, in hac urbe uir infimus, qui cum solus ex ea Samum nauigare tentasset, uelut pduellionis reus ipso die ab Areopagi consilio capitali pœna damnatus fuit. Alter rursus abiectus item cum Rhodum naui transmisisset, quòd fugam inconstanter arripuisset, tuncq; uix fuisset delatus paribus suffragijs fuit dimissus, quòd si uel unum suffragium excidisset, in exilium iuisset, uel mortem non euitasset. Conferamus præsentem rem gestam. Vir Orator omnium calamitatum author, aciem exercitus dereliquit, ex ciuitate aufugit, is se coronari si petat, uel se existimet in theatro prædicari oportere, non'ne hominem uelut communem Græciæ pestem refugietis? uel cum eum nomine populi Atheniensis nauigantem, re autem uera latrocinia exercentem comprehenderetis, non'ne punietis? Atq; temporis recordemini, quo suffragia laturi estis, paucis enim post diebus ludi in Apollinis honorem sunt celebrandi. Consessusq; uniuersæ Græciæ est conuenturus, uestra ciuitas præsenti tempore ex Demosthenis administrationibus calumniæ habetur & reprehensione non caret. uidebimini certe, si eum corona honestaueritis, in eadem sententia manere cum his, qui communem pacem atq; concordiam prætergressi fuere. Si quidem huius contrarium effeceritis, populum accusationibus & uituperationibus obruetis

ructis

ruetis. ne igitur quasi ad alienæ, sed uelut ad propriæ ue-stræq; ciuitatis commodum prospicite, atq; consulite, neq; ad ambitionem respicite, sed ad iustitiam mẽtem uestram dirigite, muneraq; huiusmodi honestioribus personis et uiris magis fide præditis reponite, & reseruate, ac non auribus tantum, sed & oculis ad uos metipsos aspicite, ac consultate, qui nam uestrũ sint, qui Demostheni laturi sint opem, utrum qui cum eo uenationem, qui palæstram in tenera ætate simul excoluerint. Verum per Iouem cœlestem non aprorum uenationi, non corporis habitui deditus sese agitauit, & exercuit, sed peritus atque exercitus artifex euasit in diuitum opes & facultates crassandi, easq; sibi comparandi. Ad arrogantiam aduertite, quæso, cum dicat Byzantium è manibus Philipppi se, dum legatum ageret, eripuisse, Acarnanes ad defectionem solicitasse, Thebanis concionibus suis terrorem attulisse. putat enim uos usque adeo simpliciter & stulte progressos fuisse, ut istis fidem præstetis, ueluti suadæ medullam, non hominem calumniatorem in ciuitate nutriueritis. Cum in postrema Oratione patronos, qui cum eo corruptelarum participes fuerunt, accersiuerit, cogitetis in hoc suggesto conspicere, in quo ego orans in presentia cõstitutus sum, sese ad horum petulantiam opponentes uiros beneficos, & ciuitati amicos, Solonem uidelicet, qui honestissimis legibus statum huius Reipublicæ exornauit, uirum philosophum, & probum legislatorem, modeste, sicuti ei conuenit, uos deprecantem, ne quouis pacto Demosthenis Orationes pluris iureiurãdo & legibus faciatis. Aristidem quoque, qui Græcis tributa & stipendia ab eis persoluenda con-

stituit, cuius mortui filias in matrimonium populus collocauit, de istiusmodi uituperatione iustitiæ conquerentem, & deplorantem, rogantemq́;, an uos non pudeat, si superiores uestri Arthmium Zeletem, qui aurum à Medis in Græciam inuexerat, quiq́; cum ad ciuitatem uestram accesisset, quãuis hospes esset populi Atheniensis, parum absuit, quin tumultuose interfectus fuisset, præconio ex ciuitate expulerũt, & ex uniuersa ditione, cui Athenienses præsiderent. Vos Demosthenem, qui non aurum intulit à Medis, & qui largitione corruptus cum fuerit, eam corruptelam adhuc possideat, aurea corona estis honoraturi? Themistoclem insuper, & eos, qui in Marathone occubuere, quiq́; in plateis ac sepulchra ipsa maiorum uestrorum non'ne putaretis suspirare & ingemiscere, si is, qui in acie à Barbaris steterit adũersus Græcos, id sua ipsius uoce confessus, corona donabitur? Ego igitur, ô tellus, Phœbeq́;, uirtus & conscientia, atq; humanitas, qua à turpibus honesta discernimus, opem tuli, & dixi. Atque si recte & pro dignitate facinus accusaui, dixi, ut uolebam: sin tenuius, ut poteram. uos quidem tum ex uerbis, quæ protuli, tum ex his, quæ prætermisi, ipsi æqua, & conducibilia pro ciuitate decernite.

ARGVMENTVM ORATIONIS DEMOSTHENIS DE CORONA PRO CTESIPHONTE CONTRA AESCHINEM EX LIBANIO.

MVrum Orator pro Athenienſibus obduxerat his, quos ciuitas habere conſueuerat, & reliquis manufactis ſolidiorem, & longe meliorem beneuolentiam.ſ.ſuam erga ciuitatem & eloquentiam in orando. Non ſaxis, ut ipſe ait, non lateribus Athenas muniuerat, ſed magnis opibus & copijs, multipliciq; quadam ſocietate terra mariq;. Quinetiam & in ſepto operis manufacti murorumq; lorica conficienda, non paruo fuerat adiumento ciuitati. Cum murus Athenienſibus magnam partem ætate confectus concidiſſet, ut ipſis uiſum fuit, eum fore extruendum, decemuiri, ex quaq; Tribu delecti fuere, ad quos muri pficiundi cura deferretur, ſumptus autem ut de publico fieret. Cum unus igitur ex horum numero eſſet Orator, non item ut reliqui ſola cura in uſum eius rei ſe exhibuit, ſed opus ipſum ſine cuiuſquam reprehenſione abſoluit, ſuam pecuniam ei rei pro commodo ciuitatis ſuppeditando. Hanc ipſius beneuolentiam laudauit Senatus, & prouidentiam aurea corona remunerauit. Prompti ſiquidem erant Athenienſes ad debitas gratias his referendum, qui bene fuiſſent de Republica meriti. Qui ſententiam tulerat fuit Cteſiphon, quòd.ſ.Demoſthenes corona donandus eſſet, & certo quidem ſtatoq; tempore Bacchanalibus ludis, deſtigatoq; loco in Dionyſij theatro, coram' que conſtitutis ſpe-

ctatoribus, in omnium conspectu Græcorum, quos publicus Græciæ cõuentus colligebat, & quòd illis præsentibus præco pronunciaret, Demosthenem Pæanieum Demosthenis filium à ciuitate corona honestari pro uirtute & beneuolentia, quam erga ipsam uniuerse ostenderat. Honor eiusmodi ubiq; admirationem conceperat, ob idq; inuidiam & odium excitauerat, ita ut talis decreti uelut contra leges lati fuerit instituta accusatio. Aeschines enim cum esset Demosthenis inimicus, diem illicitæ rogationis Ctesiphonti dixit. aiebat enim, Demosthenem in magistratu & rationibus nondum relatis, obnoxium esse, legemq; uetare obnoxios corona donari. Rursus & alteram enudauit legem, quæ iuberet, Si quem populus Atheniensis corona honestasset, ut illud muneris in concione, si uero Senatus in curia prædicaretur, alibi certe nusquam licere, aitq; commendationes de Demosthene habitas, falsas fuisse, & ementitas, cum is Orator non recte, quin immo largitione corruptus Rempublicam administrasset, cumq; aliàs multorũ malorum ciuitati author fuisset. Atque ordine eiusmodi in accusando usus est Aeschines. primũ enim dixit de lege obnoxiorum. deinde, de ea, quæ est de præconijs. tertio loco, de Reipublicæ administratione, postulauitq; ut eundem ordinem seruaret Demosthenes. Orator autem, principium sumpsit ab administratione, rursusq; in eandem Orationem conuertit. illud cum faceret ex arte, à ualidioribus enim inchoare oportet, atq; in hæc ipsa desijt, media que interiecit ea, quæ de legibus dici oportebat. Legi enim obnoxiorum per locum à sententia menteq; legis se opposuit, illi autem de præconijs alteram legem obiecit seu legis partem,

ut ipse inquit, qua promittebatur, in theatro præconia fieri, si populus uel Senatus hoc decreuisset.

ARGVMENTVM EIVSDEM ORATIONIS DEMOSTHENIS DE CORONA EX LEONARDO ARETINO.

Aduersus Philippum Macedoniæ regem Græciæ dominatũ sibi uendicantem restiterũt Athenienses, & pro sua atq; communi Græcorum libertate complures annos pugnauerunt, demum tamen & ipsi superati sunt, & reliqua omnis Græcia in Philippi potestatem concessit, subactis itaq; Athenis, potentia quidem Demosthenis, q ipse in primis author Philippo resistendi fuerat, cessauit. Gratia tamen & beneuolentia eius apud ciues suos non cessauit, sed in quantumcunq; subacta ciuitate, & in reliquis ipsius Reipublicæ, quæcunq; agenda erant, ea fermè omnia per Demosthenem gerebantur. creatus ergo ad reparanda mœnia curator, magnam eius operis partem ex suo patrimonio perfecit, ob quam liberalitatem motus Ctesiphon ad populum tulit, ut Demosthenes ob præstantem animum et egregiam uoluntatem, per quam & beneficia olim Reipublicæ multa contulerat et conferre paratus erat, uirtutis gratia corona aurea donaretur, celebraretur q; eius coronatio in theatro. Nunc Demosthenis honorẽ indigne ferens Aeschines Ctesiphontem accusauit, q is contra leges huiusmodi honorem decreuisset. primo quia nulla essent Demosthenis merita in Rempublicam, sed contra, pernicies & clades, cum

author & causa fuerit malorum omnium, quæ per id tempus Athenienses pertulerant: deinde quia leges eum, qui publice quid administrasset, ornari uetarent priusquam rationem administratorum reddiderit, fuisse autem Demosthenem publico murorum operi præfectum, nec rationes ad illam diem reddidisse: tertio quia in theatro coronationem celebrari leges prohiberent, hæc erant accusationis capita, Demosthenes Ctesiphontem defendit, uera de se scripsisse probat, criminibus respondet, lacessentemq; accusatorem pro maledictis ulciscitur, in his tota consistit oratio, quam si rite & accurate leges, nihil ornatius, nihil elegantius, nihil copiosius te unquam legisse aut audiuisse confiteberis.

ALIVD ARGVMENTVM IN DEMOSTHENIS ORATIONEM DE CORONA, EX INNOMINATO.

Athenienses & Thebani dum bellassent cũ Philippo, in Cheronæa Bœotiæ ciuitate ab eo superati fuere, rerum igitur potitus Macedo præsidium Thebis collocauit, & sub sua manu eam ciuitatem in seruitute detinebat. Cum Athenienses illud idem se passuros timerent, & tyrannum expectarent magis quàm unquam hostiliter Athenas aggressurum, excogitarunt eas muri partes, quæ ætate confectæ conciderant, erigere, & à quaq; Tribu qui essent muris reficiendis curatores in medium uiri producti fuere, Tribusq; Pandionis ad usum eius rei in talem uirum elegit Oratorem. Cum igitur hanc prouin-

ciam Orator præ manibus haberet, & pecunijs insuper indigeret ultra eas, quas ipsi ciuitas assignauerat, ex proprijs ipsius pecunijs sumptum in eam rem fecit, neq; eas impensas ciuitati retulit, sed illi gratificatus fuit, hanc occasionem nactus Ctesiphon unus ex his, qui ad Reipublicæ gubernacula sedebant, eiusmodi de ipso in Senatu sententiam tulit, Quoniam eo animo perseuerat Demosthenes Demosthenis filius, ut per uniuersam eius uitam beneuolentiam suam erga ciuitatem ostendat, ac in præsentia cum esset muris reficiendis curator, & pecunijs indigeret, eas ex sua domo deprompsit, & ciuitati gratificatus est, propterea rogatio perferatur ad Senatum populumq; Atheniensem, ut is aurea corona donetur in theatro, dum nouæ Tragœdiæ agentur, & multitudo nouas fabulas conspiciendi auida concurrerit. Hoc Senatusconsultum cum ad populum referretur, aggressus est accusare Ctesiphontem Aeschines, cum administrationis publicæ æmulatione ei esset inimicus, inquiens scitum illud illicitum esse tribus ex legibus, quæ ei aduersabantur. una quidem, quæ uetaret obnoxium corona donari, prius quàm rationes retulisset. nondum enim Demosthenes eas reddiderat, cum & theatri & murorum reficiendorum curationis pecunias administrasset, oportebatq; eum expectare, & à munere continere, quousq; calculatis subductisq; rationibus liber & minime obnoxius repertus esset. alteram autem legem recitabat, quæ iubebat in Pnyce & curia non in concione aliquem corona donari debere, criminabaturq; ciues, qui admiserant coronam Demosthenis in theatro prædicari. tertia autem lex ad uniuersam uitæ & administrationis rationem re-

ſpicit. mandat namq; ne falſæ teſtificationes in Matroum inferrentur, ubi uniuerſa ſcripta publica recondebantur. in eo autem ipſum aiebat fuiſſe ementitum, quòd beneuolentiam et ſtudium Demoſthenis in Rempublicam fuiſſet teſtatus, cum potius maleuolus & hoſtis patriæ fuiſſet deprehenſus. Cum ea lex tertia utilis eſſet, ut eam ueluti anchoram in aduerſam partem apprehenderet Orator, ea re aduerſarium in lucta ſupauit, grauisſimo pudentisſimoq́; uſus artificio quoad perſonam accuſatoris. inde enim anſam habuit dicendi & aduerſarium expugnandi. reliquas uero duas leges, eam.ſ. quæ eſt de obnoxijs, et illã, quæ de præconijs in medium Orationis conie cit, cum eas imperatorio modo, ueluti imbecilles copias in medium immiſiſſet, & interclusiſſet. fortisſima autem & potentisſima lege in extremis uſus fuit, cum aliarum debilitatem ex ambobus extremis confirmaſſet. Videtur & Orationem ſuam ad ſcopum utilitatis direxiſſe Orator, artificiumq́; non admodum impudẽter extulit. Cum enim locum à legitimo in primis prætergreſſus fuiſſe uideretur, alia uia eundem locum à legitimo attigit, eoq́; uſus fuit. Etenim Aeſchines legem recitauerat, quæ eſt de mendacijs in coronis adipiſcendis, ad quam cum reſpondiſſet Orator, opportunitatem inuenit, ſuas in Rempublicam res geſtas in medium proferendi, & ita per locum à legitimo depugnauit. Orationis diſpoſitio eiuſmodi eſt, ut ſupra narratum fuit. Validus Aeſchini locus fuit à legitimo, Oratori autem à iuſto, communis autem ob æqualitatem, utriq; fuit locus ab utili, cum is locus manifeſtam non reciperet examinationem. Conſtitutio cauſæ eſt negotialis ex ſcripto. Decretum autem ex ſcripto

constat. Accusatio quidem uiuente adhuc Philippo instituta fuit, Alexandro autem Regnum adepto & imperante Oratio habita fuit, & iudicium ad finem perductum. Vt autem Philippus mortem obijt, Thebani audacter præsidium è ciuitate eiecerunt, quod cum indigne ferret Alexander, uelut contemptus Thebas euertit. Deinde cum rei gestæ eum pœniteret, tanquam pudore affectus Græcia cessit, & aduersus Barbaros postea copias eduxit, quo tempore Athenienses putarunt opportunum fore, ut proditores, qui Græciam iniurijs affecerunt, in iudicium euocarent, atq; ita forum strepere cœpit. Proinde primum exordium implorationem oblectationemq́; continet, & particulatim non generaliter introducitur, beneuolentiamq́; præparat, qua in præsentia maxime egemus. Ad Homeri autem imitationem exorsus est.

Cœlicolæ cuncti me audite Deiq́; Deæq́;.

At qui præ se fert speciem quandam confidentiæ, quòd ciuitati beneuolus esset. non enim uniuersum Deorum genus inuocasset, nisi ita sibi præsensisset ciuitatem esse affectam. Verbum perseuero positum in decreto significat, quòd uitam traduxerit in beneuolentia ciuitatis, et quòd eius semper curam habuerit, & potius animam emittere uellet, quàm ab huiusmodi mente desinere.

DEMOSTHENIS ORATIO DE CORONA PRO CTESIPHONTE CONTRA AESCHINEM.

ILLVD in primis uiri Athenienses à Dijs Deabusq; omnibus opto, ut quanta beneuolentia erga ciuitatem, uosq; omnes sum affectus, tanta mihi à uobis adsit in præsenti iudicio. Deinde, quod maxime ad uos uestramq; pietatem & existimationem attinet, ad illud Dij mentem uestram impellant, non ut uobis aduersarium meum consiliarium adhibeatis, quemadmodum uos oporteat mihi audientiam facere. indignum quippe id esset, sed ut leges & iusiurandum seruetis, in quo præter cæteras eius decreti partes, & iustas quidem. illud quoque adscriptum est, ut litigantium utrunq; eodem modo audiatis. Hoc uero est, non solum, at nihil præiudicetis, utq; ambobus beneuolentiam uestram peræque non condonetis, sed & ut quo ordine, quâue defensione, uti quisq; disceptantium uoluerit, & delegerit. ita eos uti permittatis. in multis igitur in præsenti causa durior mihi statuta est conditio quàm Aeschini. eaq; duo sunt uiri Athenienses, et magna. Vnum quidem, quoniam non æqua ratione contendo. longe enim nunc

impar existit, si mihi contingat à uestra beneuolentia decidere, atq; huic si accusationis suæ causam non obtineat. Atqui mihi quidem. Nolo enim quicquam molesti dicere in exordio Orationis meæ. Is etenim ex nimia rerum affluentia ad me accusandum descendit. Alterum, quòd omnibus hominibus natura comparatum est, ut in alios conuitia & reprehensiones audiant perlibenter, eos autem, qui seipsos commendēt, ægre ferant. ex his igitur, quod tendit ad uoluptatem huic concessum est. quod autem omnes, ut ita dicam, pturbat, mihi relictum est. Si enim illud cauero, ne ipse à me res gestas explicem, non habebo, quòd uidear per accusatorem opposita posse dissoluere, neq; ut aliqua possim ostendere, ob quæ petam, me aliquo honore affici debere. quòd si ad ea deuenero, quæ gessi, quæq; in Republica administraui, sæpenumero cogar, ut de me ipso uerba faciam. tentabo igitur ut id modestissime agam. quod enim res ipsa me exponere compulerit, huic æquum erit, ut illud uitio uertatis, qui eiusmodi controuersiam constituit. Arbitror enim uos uiri Athenienses, quòd omnes sitis in id consensuri, huiusmodi causam mihi cum Ctesiphonte esse communem atq; coniunctam, ac mihi certe in id non minus studij adhibendum fore. rebus enim omnibus priuari graue est & aliàs permolestum, si hoc ab inimico proueniat, præcipue uero, si quis beneuolentia uestra expolietur, sicut maximum quiddam est, eam à uobis consequi potuisse. Cum in his igitur causa eiusmodi consistat, oro obtestorq; uos omnes uno similiq; modo, ut me audiatis aduersum ea, quæ delata fuere, iusta alioquin defensione utentem. ueluti leges præscribunt, quas qui primum tulit Solon uestri popu-

liq; Atheniensis amantissimus, non solum quod ipse eas dictasset, sed et q, uos tanquã iudices iurauissetis, ad illas ueluti ratas attendi oportere putauit, non quòd uobis, ut mihi uidetur, diffideret, sed cum illud prospiceret, quòd accusationes & criminationes, quibus accusator, ex eo quòd prior causam dixerit, ualet & pollet, reo impune effugere euitareq; non licet, nisi quisq; uestrum, qui iudicium daturi estis, pietatem in Deos coluerit & custodierit, & quæ ab reo posteriori loco iuste dicentur, beneuolo animo susceperit, atq; cum se ipsum æquabilem & ambobus communem auditorem præbuerit, an ita res se habeat, de omnibus est cogniturus. Cum uero & totius priuatim retroactæ uitæ hodierna die rationem (ut uideor) sim redditurus, & eorum quæ publice in ciuitate administraui, uolo, sicut à principio, iterum Deos obsecrare, ac in præsentia uestra eos obtestor. primum ut quambeneuole me habeam, quám que in ea beneuolentia perseuerem & erga ciuitatem istam, & erga uos omnes, ita mihi in præsenti disceptatione amico animo uos adesse uelitis. deinde, quod profecturum sit & ad communem gloriam ciuitatis, & ad cuiuslibet uestrum pietatem, hoc Dij in animos uestros inducant in hoc iudicio de istiusmodi accusatione statuendo. Si igitur ea solum, quæ deferre proposuerat, in accusando prosecutus fuisset Aeschines, ego quoq; quamprimum aduersus ipsa, quæ in concione proposita fuissent, me tuerer atque defenderem, quandoquidem aliena interserens non paruam Orationis partem consumpsit, & plurima de me ementitus fuit, necessarium esse existimo iustumq; simul, pauca uiri Athenienses de his priori loco percurrere, ne ali

quis uestrum his uerbis, quæ extra causam sunt, allectus, me audiat à iure propositæ accusationis longissime aberrãtem. De his igitur, quæcunque mihi conuitio quodam priuato exprobrauit & maledixit uidete, quàm simpliciter & candide, ac pro æquitate dixero. Si quidem me talem esse nouistis, qualem hic defert, non enim alibi uixi, quàm apud uos, neq; uel uerbum sustinete, neq;, etiam si in omnibus negotijs publicis ita me bene gesserim, ut nihil posit supra, sed consurgite omnes, & me sententijs uestris conuincite, sin uero me hoc multo meliorem, & ex melioribus natum, ac nemine ex his, qui modesti sunt (ne aliquid dicam molesti) deteriorem & me ac meos deprehendistis, atq; cognoscitis, huic ne in cæteris quidem fidem habeatis. liquet enim simili ratione omnia eum confinxisse, commentumq; esse, mihi certe quam per omne tempus beneuolentiam ostendistis in multis disceptationibus, quæ antea à me habitæ fuere, etiam præsenti tempore eam præbete. Maleuolus cum sis, Aeschines, illud prorsus imperite existimasti, res, quas gessi, quasq; in Republica administraui, ut ego omitterem, & me ad maledicta conuitiaq; tua conuerterem, non enim hoc faciam, non ita superbus elatusque sum, uerum ad eorum disquisitionem, quæ in Republica tractaui, quæq; ementiebaris, ac criminabaris, quamprimum deueniam. De aculeis autem contumeliæ ita impudenter iactatæ posteriori loco, si his ea audire in animo sederit, mentionem faciam. Ea igitur, quæ in accusationem deducta fuere, multa & grauia sunt, & propter quorum nonnulla, in pœnam ultimum esse supplicium leges statuerunt, præsentis quidem contentionis propositum ipsum hoc continet, ut inimi-

cus in me inuehatur, & insultet, & contumeliam, & conuitium, & uituperationem simul, & omnia eiusmodi opprobria effutiat. Accusationes tamen, & criminationes quæ dicuntur, si ueræ essent, ciuitati non licet meritas pro eis debitasq; pœnas sumere, uel quid agere, quod ad eas propè accedat. neq; enim cuiquam auferenda est potestas populum adeundi & orationem habendi. Non enim si aliquibus facultatem detis uicissim se insultandi & præ inuidia lacessendi, non per Deos illud probandum est, neq; moribus conuenit cõsuetudiniq; ciuili, neq; id iuste fit uiri Athenienses, sed quibus in rebus me uidebat ciuitatem iniurijs & maleficijs afficere, ea facinora cum tanta essent, quanta modo deplorauit & enarrauit, de pœnis legibus statutis ad ea crimina decernendis agere debebat. si quidem illa delicta me admisisse deprehenderat, quæ delatione digna essent, de his ipsis accusationem instituendo, atq; ad hunc modum me in iudicio ad conspectum uestrum sistendo, q si aliquod præter legem me scitum scripsisse agnouerat, illicitæ rogationis me accusando. Non enim Ctesiphontem iure accusare ualet mea causa, me quidem ipsum si conuincere posse putasset, non accusasset? proinde si quid aliorum criminum, quæ nunc mihi impegit et percensuit, uel quoduis aliud scelus me in uos edidisse compererat. extant leges omnium delictorum, & pœnæ & actiones, & iudicia, quæ acerba & magna supplicia irrogant & omnibus passim his actionibus experiri licet. Ac quando ista uisus fuisset aggressus, & ad hunc modum his usus esse aduersum me, accusatio factis eius consentiret, & palàm esset. Modo cum de recta legitimaq; uia deflexerit, ueritatisq; in-

dagationem & trutinam ad res ipsas apponere euitauerit, totq; demum postea temporibus calumnias & dicacitates et maledicta in unum congesserit, confictam simulatamq; causam agit. Deinde me accusat, hunc reum facit, & tota actione odium, quod in me habet, quodam modo præ se fert & ostentat, nusquam uero ob hoc rem mecum habere congrediq; uelle uidetur, cum tamē ab altero mulctam auferre quærat. Atqui ad reliquas omnes legitimas defensiões uiri Athenienses, quas pro Ctesiphonte quis dicere posset, & hoc mihi addi posse uidetur, maximeq; iure dici, quoniam de inimicitijs nostris nos iustum esset, ut inter nos ipsos quæstionem haberemus, non eam inter nos disceptandi causam prætermittere, quemuis uero alium, cui eiusmodi malum infligamus, perquirere, hoc enim nulla iniuria superari potest. Omnia igitur, quæ in accusatione exprobrata fuere, quis posset ab istis ducere ac dimetiri, neq; pro iustitia, neq; ꝙ aliqua ex parte uera essent, fuisse proposita. Volo quidem unumquodq; ipsorum criminũ sigillatim expendere, maximeq; ea recensere, quæcunq; de pace & legatione aduersus me confinxit & ementitus fuit, ea quæ ipsemet unà cum Philocrate perpetrauerat, mihi impingendo. Necesse quidem est uiri Athenienses, forteq; illud ad causam pertinet, quo statu quoue loco per ea tempora respublica se habuerit, ad memoriam uestram reuocare, ut si illa ad eam, quæ modo existit, rerum conditionem retuleritis, singula, quæq; intueamini, & oculis ipsis cernatis. Phocensi enim bello conflato nõ propter me, nondum equidem eo tempore ad Rempublicam accesseram, uos primum ita affecti eratis, ut Phocenses saluos quidem esse uelletis, etiam si

eos cerneretis iniuste bellum gerere, Thebanis, etiam si quod cunq; malum eis ingrauesceret, & quoduis perpeterentur, irato percitoq; animo essetis non iniuste neq; absq; ratione, quoniam his rebus, quibus feliciter egerant in Leuctris, non admodum cum animi moderatione usi fuerant, deinde quia uniuersa Peloponnesus inter se dissidebat, & hi qui odio habebant Lacedæmonios, non usq; eo uirium deuenerant, ut eos possent extirpare atq; extinguere, neq; qui antea per eos Imperium nacti erant, ciuitates in ditionem potestatemq; suam redegerant, sed quædã erat sine delectu atq; discrimine apud hos & reliquos omnes contentio & tumultus, hæc cum Philippus conspiceret, non enim adeo erant obscura, in proditores, qui quibusq; in ciuitatibus morabãtur, pecunias insumpsit, omnes ad discordiam inter se concitauit, turbinemq; inter ipsos immisit, deinde in quibus uiderat aliquos errare, et sibi male sapere, in his se præparabat, aduersusq; omnes prodibat, ita ut diuturnitate belli confecti & afflictati, qui tunc superbi elatiq; erant nunc miseri infelicesq; Thebani palàm omnibus fierent, ipsos necessario cogi ad uos confugere, Philippus, ne hoc fieret, ciuitates quidem ne unà coirent, uobis pacem, illis opem promiserat. quid igitur ipsi fuit adiumento ad uos in suam potestatem, parum abest ut dicam, sponte uestra deceptos uel alios Græcos recipiendum? siue illud malitiam, aut ignorantiam, uel his duobus simul nominibus appellare oporteat, hi cum uos bellum continuum & diuturnum gessissetis, & hoc quidem pro communi omnium commodo & utilitate, ut re & effectu id manifesto apparuit, neq; pecunijs neq; auxiliarijs copijs neq; alia quauis re uobis subuenire uoluerũt,

quibus

quibus cũ iure meritoq; irati essetis nulla interposita mora, Philippo paruistis. pax igitur, quæ tunc uix impetrata fuit, ob hæc ipsa non propter me, ut iste criminabatur, facta fuit. Horũ aũt facinora et corruptelas, quæ in ea re intercessere, præsentium rerum status, si quis iuste perquisierit, causas fuisse peruestigabit, atq; hæc omnia pro ueritate exquiram & percurram, si aliqua enim in his maxime maleficia esse uisa fuerint, nihil certe est mecum commune, sed qui primus dixerit, mentionemq; fecerit de pace Aristodemus fuit histrio, qui uero pro ea rogatione intercesserit, scitumq; scripserit, & seipsum unà cum isto in hæc uenalem dederit, Philocrates fuit Agnusius tuorũ ô Aeschines cõsiliorum particeps & socius tuus inquam non meus, neq;, etiã si disrumparis, fictus & ementitus, qui uero ei rogationi patrocinium defensionemq; impenderit, cuius'nam rei gratia, in præsentia dicere omitto, Eubulus & Ctesiphon. Ego ne minimum quidem, ueruntamen hæc cum ita euenerint, & cum ex ipsa ueritate pateant, usq; eo impudentiæ prouectus est, ut dicere ausus fuerit, ꝙ ego scilicet unà cum isto pacis fuerim author, insuper & prohibuerim ciuitatem unà cum communi Græciæ cõuentu pacem, ipsam facere. Deinde quo'nam iusto cognomine quis te uocet, ubi tu? non'ne aderas? non'ne uidebas? cum ego tantam actionem & societatem, quantam nunc deploras & commemoras, à ciuitate auferrem, cur non indignatus es, uel cur tunc prodiens, hæc, quæ nunc criminaris, plana non fecisti uel recensuisti? porro si ego Philippo operã nauaueram, ut Græciæ conuentum impedirem, tibi reliquum erat, illud non tacere, sed exclamare, idq; testatum facere.

& his rem explicare. Hoc igitur nusquam fecisti, ne quidem ullus hanc tuam uocem audiuit. Neq; tunc ad aliquam Græciæ ciuitatem legationes emiseratis, sed omnes iam diu reuersæ fuerant, nec iste quicquam sani his de rebus recensuit, præter hæc quidem & ciuitatem maxima calumnia affecit his de rebus, in qbus planè mentitur, si uos enim reliquos simul Græcos ad bellum conficiendum solicitabatis, ipsi uero legatos ad Philippum pro pace facienda miseratis, Eurybati res erat, non ciuitatis neq; proborum uirorum officium exequuti fuistis. At res non ita est, non ita. quid enim uolebatis, q eos hoc tempore accersere is? ad pacem? at omnibus ea constabat, uerum ad bellum? at uos de pace deliberabatis, igitur neq; pacis à principio dux neq; author fuisse uideor, neq; aliquod ex alijs criminibus, quæ aduersus me fuit ementitus, aliquid ueri continere ostenditur, postea quàm igitur ciuitas pacem fecit, hic rursus considerate, quid uterq; nostrum sibi agendum proposuerit, & ex his quidem deprehendetis, quis omnibus in rebus Philippo fuerit adiutor & administer, & quis rem uestram gesserit, & quis ciuitatis utilitatem procurauerit. Ego igitur scitum in Senatu tuli, legatos è uestigio & per celeriter enauigare debere ad ea loca, ubi Philippum esse compertum haberent, & iuramenta pacis ab eo recipere. Hi uero neq; etiam me rogante hæc facere uoluerunt, q̃ uero iucundum optandumq; illud foret uiri Athenienses, ego ostendam, Philippo quidem conducebat, ut multum tẽporis intercederet, antequam iuramenta reciperetis, uobis autem q̃ minimum id conferebat. quid ita? quoniam uos quidem non à tempore tantum, quo iuramenta præstitissetis, sed & à

quo pacem futuram sperauissetis, omnem bellicum apparatum deposueratis, is uero hoc die noctuq; potissimum machinabatur ratus, quod & ei successit, quæcunq; ditionis nostræ ante cepisset, quàm pacis iuraměta traderentur, hæc omnia eius imperio firme cessura, neminemq; ob hæc ipsa pacem esse dissoluturum, quæ ego cum ante prospicerem uiri Athenienses & prius expenderem, hoc scribo decretum, ad loca nauigandum esse, in quibus Philippus esset, & iuramenta pacis celerrime fore recipienda, ut dum Thraces socij uestri ea loca tenerent, quæ nunc iste carpsit, Serrhium uidelicet & Myrtium, ac Ergiscem, ita iuramenta fierent, & ne ille, cum eorum locorum opportunitatem ante occupasset, dominus Thraciæ constitueretur, néue ex his locis & pecuniarum & militum copia ipsi suppeditaretur ad cætera inuadenda. Deinde huius decreti non meminit, neq; illud recitat. Quòd ego consuluerim, & decreuerim, legatos fore introducendos, hoc me criminatur. At quid ego facerem? hos'ne, ꝗ decernerem non fore introducendos, qui ob id huc loci uenerant, ut uobiscum colloquerentur, an Architectus ei locum ad spectandum ne præberet, ut iuberem? ac nisi illud rogatum fuisset, duobus obolis ad spectaculum admissi fuissent. Quæ tamen minimum ciuitati conferunt, me obseruare oportebat, quæ uniuerse sunt è republica, nunquid me ea Philippo diuendere oportuit, sicuti isti fecere? Dic igitur, mihiq; sume decretum, quod cum iste probe sciret, prætermisit, recita.

DECRETVM. Consule Mnesiphilo, pridie Calendas Iulij, tribu Pandione in Prytaneo magistratum gerente, Demosthenes Pæanicus Demosthenis filius dixit. Quoniam Phi-

lippus misit legatos ad Athenienses pro pace agenda, conuentaq́; fecit eis consentanea, latũ sit ad Senatũ populumq; Atheniensem, q̃ si pax stipulata fuerit, quæ prima concione suffragijs est committenda, legatos quinq; ex omnibus Atheniensibus deligendos esse, eosq́;, ut fuerint designati, statim abire oportere nulla mora interiecta, eoq́; peregrinari, ubi Philippum esse audierint, ab eoq́; iuramenta recipere, illiq́; uicissim dare quàm celerrime super conuentis ipsi & populo Atheniensi consentaneis, et socios utriusq; complectentibus, legati electi fuere Eubulus Anaphlystius, Aeschines Cothocides, Cephisiphon Rhamnusius, Democrates Phlyeus Cleon Cothocides. Cum ista tunc ego suasissem, ac commodis & utilitati reipublicæ non Philippi seruirem, dum ea hi frugi legati paululum cogitassent & curæ habuissent, commorati fuerunt in Macedonia treis integros menses, quousq; uenit Philippus è Thracia, cuius omnia loca iam subegerat, cum decem diebus immo magis tribus uel quatuor ad Hellespontum appellere potuissent, & iuramenta recipiendo ea loca seruasse, ante quàm ille ipsa euertisset, ea enim non attigisset, si nos præsentes fuissemus, uel ipsum ad iuramenta non admisissemus, sic ut si à pace decrasset, utrũq; pariter non habuisset, & pacem & Thraciæ loca. Primum igitur hac in legatione Philippi furtum & latrocinium, corruptela quidem horum iniquorum hominum & Dijs infensorum istiusmodi fuit, pro qua re & tunc & in præsentia ac perpetuo me profiteor cum istis pugnare, & ab eis dissidere. Alterum quidem, quod statim subsequitur isto adhuc maius delictum spectate, postea quàm assensit Philippus, se pacem confecturum, cum

Thraciam per hos ante occupasset, qui decreto meo parere noluerant, rursus ab ipsis mercatur, ne abeant è Macedonia, quàm diu exercitum aduersus Phocenses instructum redдat, ne si ipsi huc redeundo renunciauissent, q; se pararet & profecturus esset, uos exiretis, & cum in Pylas triremibus enauigassetis, sicut antea feceratis, aditum intercluderetis, sed ut ista simul audiretis ab his illa uobis referentibus, illeq; intra Pylas esset, ac quid uos faceritis, non haberetis, ita Philippus trepidabat, & tam uehementer solicitus erat, ne & si ipse ista loca prius cepisset, antequam Phocenses perderet, hoc uos audito, ipsis opem ferendam decerneretis, ac res ex eius manibus dilaberentur, ut iterum istum despicatissimum fuerit nundinatus, non item promiscue cum reliquis legatis, sed per se ac separatim, q; eiusmodi ad uos diceret atque referret, p quæ omnia perdidit & afflixit. Postulo uiri Athenienses, & obtestor, ut illud uos recordemini in uniuersa hac contentione dicenti, q; si Aeschines nihil criminatus fuisset extra propositæ accusationis causam, neq; ego quidem ullum aliud uerbum hic insererem, porro cum is omnibus criminibus & maledictis pariter me detulerit, mihi quoq; necesse est ad unumquodq; obiectorum paucis respondere, qui'nam igitur erant hi, qui ab isto sermones tunc relati fuere, & propter quos omnia periere? utpote, formidare non oportet, q; Philippus in Pylas introiuerit, erunt enim omnia, quæcunque uultis, si quieti manseritis, audietisq; duobus uel tribus diebus, quibus is uenit ut inimicus, amicum ipsum factum esse, quibus uero ut amicus, econtrario eundem inimicum euasisse, non enim uerbis familiaritates stabiliri dicebat, ualde quidem

grauiter id proferendo, sed ex eo, quod idem omnibus confe rat, confert autem Philippo & Phocensibus & uobis itidem omnibus à petulantia & molestia Thebanorum liberari. Hæc ab eo nonnulli libenter audierunt propter odium, quod tunc habebant aduersus Thebanos. quid igitur post hæc continuo euenit? non dies multos post, ut miseri Phocenses perderentur, eorumq; urbes euerterentur, uos uero dum quietem ageretis, & huic pareretis, paulopost ex agris uasa intra urbem ueheretis, is quidem aurum sumeret, & ad hæc insuper q̃ odium & simultates aduersus Thebanos & Thessalos urbi crearentur, gratiæ autem pro his quæ gesta fuerant, Philippo haberentur, q̃ autem hæc ita se habeant, recita mihi & Callisthenis decretum ac Philippi epistolam, ex quibus ambobus uobis hæc omnia manifesto patebũt, recita. DECRETVM. Mnesiphilo consule ex indicto concione à ducibus coacta atq; ex magistratuum Prytanei & Senatus sententia XI. Calendas Octobris Callisthenes Phalereus Eteonici filius dixit, nemini Atheniensi quauis colorata inuentione in regione cubare licere, sed in ciuitate & Pyræo, quicunque ex oppidis dimissi non sunt, horum unumquẽq; aciei ordinem, in quem accepti fuere, obseruare oportere, eisq; noctu & interdiu abesse non licere, qui uero non paruerit decreto huic, obnoxius esto pœnis proditionis, nisi aliqua impedimenti, ratio ostendatur, quæ ipsum detineat. De impedimentis porro is, qui in armis fuerit, imperator cognoscat, & cui incumbit cura præsidij, atq; scriba Senatus, omniaq; ex agris conuehi primo quoq; tempore, quæ infra centumuiginti stadiorũ sunt in urbem & Pyræum, quæ ultra centum uiginti stadiorum

in Eleusinam & tribum, Aphidnamq; et Rhamnuntem ac Sunium oportere, dixit Callisthenes Phalereus. Ergo sub hac spe pacem fecistis, uel ista uobis retulit hic mercēnarius? recita rursus epistolā quam post hæc Philippus huc misit. EPISTOLA PHILIPPI. Rex Macedonum Philippus Senatui populoq; Atheniensi salutem. Noscatis nos Pylas introiuisse & loca, quæ circum Phocidem sunt, in ditionem nostram redegisse, & quæcunq; oppida se nobis sponte adiunxerunt, immissis præsidijs muniuisse, quæ uero dicto nostro audientia non fuere. & per uim comprehensa & in seruitutem redacta funditus euertimus. Cum uero intellexerim, uos præparari, ut illis opem feratis, uolui ad uos scribere, ne amplius pro eis defatigemini, siquidem cum pacem generatim, nihil enī modeste uos mihi gerere uidemini. cōtraxeritis, similiq; modo contra omnes exercitum ducere uideamini, & hæc agatis cum Phocenses ne in his quidem, quæ inter nos communiter stipulata fuere, comprehensi existant, ut nisi conuentis stare uolueritis, nihil erit, quin priores censeamini iniurias intulisse. Auditis quàm dilucide declarat, & explicat socijs suis in epistola, quam ad uos misit, quasi inquiens, nonne ita est, q̃ ego hæc egi inuitis Atheniensibus & moleste ferentibus? quare si bene sapitis, ô Thebani & Thessali, hos quidem hostes esse suspicari poteritis, mihi autem fidem adhibebitis, non q̃ in hæc uerba scripserit, sed q̃ idem significare uoluerit, itaq; hos cum cepisset, recessit, q̃ nihil ad ea, quæ post ista insecuta fuere, prospicerent, nihilq; præsentirent, sed sinerent res omnes illum imperio suo subijcere, propter quæ præsentibus ærumnis miseri Thebani addicti fuere, qui

uero huius credulitatis ei fuerit adminiſter & ſatelles, & qui huc rediens falſa renunciauerit, uosq; deceperit, is eſt, qui Thebanorum calamitates nunc deplorat, & eas recitat uelut ſumme miſerandas, qui ipſe & horum illorumq; malorum, quæ Phocenſibus euenere, omnium fuit author, patet enim q̃ doles caſus, qui euenere ô Aeſchines ac Thebanos miſeras, cum prædia in Bœotia posſideas ibiq; illorum agros coli facias. Ego quidem gaudeo, qui eueſtigio ab eo fuerim accuſatus, qui iſta egerit, ſed in eos certe ſermones incidi, quos fortaſſe ſtatim poſt hæc dicere licebit reuertor itaque illuc, ut oſtendam, q̃ horum corruptelæ atq; facinora præſentis rerum ſtatus in cauſa fuere, poſtea quàm uos à Philippo iſtorum opera circumuenti fuiſtis, qui dum eſſent in legatione ſe Philippo uendiderant, & nihil ueri uobis retulerant, miſeri autem Phocenſes decepti fuiſſent, eorumq; ciuitates direptæ, quid actum eſt? deteſtandi quidem Theſſali & ſtupidi Thebani, amicum beneficum ſeruatorem Philippum eſſe opinabantur, inſtar omnium ille erat ipſis, ne uocem quidem audiebãt, ſi quis aliquid aliud dicere uoluiſſet, uos quidem cum ea, quæ gerebantur, intueremini, & grauiter ferretis, eratis tunc feriati, neq; enim erat quid uos ſoli facere poſſetis, cæteri quoq; Græci exẽplo ueſtro ſimiliter eluſi ac earum rerũ ſpe falſi, quas expectabãt, libẽter quieſcebant, cũ et ipſi iã pridẽ quodã modo bello uexati fuiſſent, quãdo Philippus Illyrios et tribalos circuẽdo aliquos quoq; ex Græcis euertebat, ac multas magnasq; copias Imperio ſuo adijciebat, et cũ quidam ex urbibus ad eum ſe conferrent præ licentia pacis, ibi corrumpebantur, quorum unus hic fuit, tunc omnes aduerſus quos

ista ille præparabat, bello exagitabantur, si enim ea nō præsensissent, is sermo alienus esset ab hoc argumento, & ad me non pertineret. Ego quidem prædicebam & testabar & semper apud uos & ubiq;, quo me mitti contingebat, q; ciuitates ægritudine erant affectæ cum ob eos, qui in administranda agendaq; Republica muneribus seducti & pecuniis corrupti erant, tum ob uulgus & multitudinem, quæ partim illud non prospiciebat, partim quotidiana uitæ tranquillitate & otio uelut esca capiebatur, & cum omnes hoc morbo laborarent, immo singuli quiq; non putarent in ipsos calamitates inuasuras, sed res suas alienis periculis tuto futuras esse opinarentur, cum id ita uoluerint, deinde ut arbitror euenit populis quidem pro nimia & importuna segnitie, ut libertatem amitterēt, optimatibus quidem, cum alia præter se ipsos diuendere existimarent, ut se ipsos primos uenditos fuisse sentirent, pro hospitibus enim & amicis, quibus tunc nominibus uocabantur cum munera suscipiebant, nunc assentatores ac Diis inimici, reliquisq; omnibus nominibus, quæ illis conueniebāt, se appellari intelligunt. Nemo enim uiri Athenienses, q; proditoris utilitatem perquirat, pecunias insumit, neq; posteaquā rerum, quas emerit, dominus fuerit effectus, proditore cæteris etiam in rebus consultore utitur, nihil enim esset proditore beatius, sed non ita est, non ita. Cur? immo uero multum abest, uerum posteaquam rerum potitus quæsierit in regno confirmari, & ut rerum hoc modo sibi traditarum dominus euasit, huius improbitatem contemplatus tunc demum, tunc & odio illum habet, eiq; fidem non adhibet, & ipsum uituperat, profecto aduertite, etenim quamuis rerum tempus & oc

casio praeterierit, opportunitas tamen ista noscendi his qui prudentes sunt, semper adest, eatenusq; Lasthenes Philippi amicus nominabatur, quoad Olynthum prodidit, hactenus Timolaus, dum Thebas euertit, usq; eo Eudicus & Simus Larissaei, quoad Thessaliā Philippo subegerunt, deinde cum fuissent eiecti, & contumelia affecti, ac ita tractati, ut quid male passi non fuerint? uniuersa ora habitabilis produtoribus repleta fuit. Quid Aristratus in Sicione, & quid Perilaus in Megaris non'ne depulsi fuere? ex quibus clarissime aliquis perspicere posset, q, qui maxime patriam suam tuetur & custodit, & qui plurimum his dicendo aduersatur, iste ô Aeschines uobis proditoribus & mercennarijs dat facultatem, ut possitis in qua re uolueritis largitione corrumpi, & propter horum plerosq; & qui uestras sententias impugnant, uos incolumes saluiq; estis & lucra facitis, quoniam propter uos ipsos iam pridem perissetis. Atq; cum de his rebus, quae tunc gestae fuerunt multa insuper haberē ad dicendum, haec tamen, quae dicta sunt, reor plusquā satis esse, is enim causam praestitit, qui uelut hesternae diei uinolentia, ita me eius malitiae & facinorum grauedine respersit, fuit necessarium fuit, adolescentium gratia factorum culpa liberari, molestia forte & uos estis affecti, qui etiam prius quàm ego aliquid uobis dicerem, huius tunc mercēnariam operam nouistis. At qui et amicitiam & hospitalitatem ipsam appellat, & nunc, dum orationem haberet, quodam loco dixit, Alexandri hospitalitatem mihi exprobrando, q, illi probro dederim. Ego tibi Alexandri hospitalitatem? unde adeptam uel quomodo impetratam? neq; Philippi hospitem, neq; Alexādri amicum ego te dicerē,

nõ ita amẽs sum, nisi & messores, & eos, qui quicquam aliud mercede agunt amicos & hospites liceat appellare eorum, qui operas conducunt. uerum ista non ita se habent, cur, immo uero id multum abest, uerum mercẽnarium ego te Philippi primum, atq; nunc Alexandri appello ac hi omnes, q, si id non credis eos interroga, immo ego hoc pro te faciam, utrum uobis uiri Athenienses mercẽnarius Aeschines uel hospes esse Alexandri uidetur? audis'ne quæ dicant? iam igitur uolo & aduersus ipsam accusationem me defendere, & recensere ea quæ à me ipso gesta fuere, ut licet Aeschines eorum sit conscius, audiat tamen, propter quæ asseram & his, qui decreti fuere, & eis multo adhuc maioribus honoribus iure meritoq; me affici & honestari, ac mihi recita ipsam accusationem, eam in manus sumendo, ACCVSATIO.

Chæronda consule VIII. Idus Februarij Aeschines Cothocides Atrometi filius attulit ad magistratum accusationem illicitæ rogationis contra Ctesiphontem, filium Leosthenis Anaphlystij, q, decretum scripserit præter leges, uidelicet, q, corona antea donari oporteat Demosthenem Pæanieũ Demosthenis filium, quodq; prædicari magnis Bacchanalibus ludis à nouis tragœdis, q, honestet populus Demosthenem Pæanicum Demosthenis filium aurea corona, uirtutis ergo & beneuolentiæ, in qua, cum ita se habeat, perseuerat & erga omnes Græcos & populum Atheniensem, ac fortitudinis gratia, atq; propterea, quoniam non desinit, optima agere & dicẽdo consulere populo Atheniensi, ac quia promptus paratusq; est quicquid boni possit facere, q, hæc omnia falso scripserit & præter leges, cum ea à legibus non pmit-

tantur, primum quidem, q̃ falsas testificationes inter publicas scripturas coniecerit. Deinde quia rationibus reddendis obnoxium scripserit corona donandum fore, est enim Demosthenes muris reficiendis curator, & in ordinem eorum, qui theatri curam gerunt. receptus, insuper quia corona prædicanda non esset in theatro ludis bacchanalibus in ipsa tragœdorum nouitate, sed si Senatus coronam decreuerit, ut in Senatu pronũcietur, si ciuitas Pnyce in concione, pœna quinquaginta talenta, præcones Cephisophon Rhamnusius Cephisophontis filius, Cleon Cothocides Cleonis filius. Quas enim decreti partes accusat uiri Athenienses, hæ sunt, ego quidem ab his ipsis primum existimo me uobis ostensurum, q̃ omnia iure diluam, eundem enim ordinem, quem ipse in scribendo accusationem seruauit, cum fecero, de omnibus sigillatim deinceps dicam, ac quod sciuero, nihil prætermittam. Quod igitur scripserit, me & factis, & oratione beneficijs populum afficere, in eaq; re perseuerare, proptumq; esse, quodcunque boni possim facere, et ob hæc me fore laudãdũ, eius rei cognitionẽ in his consistere arbitror, quæ à me in Republica administrata fuere, ab eorũ enim disceptatione apparebit, utrũ pro rei ueritate, ac mea pro dignitate, an uero falso ista de me scripserit Ctesiphon. Quòd uero non adiecerit, me fore, postquam rationes retulero, corona honestandum, idq; muneris iusserit in theatro esse prædicandum, cõmunionem quandam item habere hoc ipsum reor cum his, quæ in Republica gessi, num.s. ob hæc corona dignus sim, ac prædicatione, an uero minime. At qui & leges ostendi oportere mihi uidetur, quibus hæc scribere isti licuerit. hoc enim modo uiri Atheniẽ

ses noui defensionem, quam faciam, & iustam & planam futuram esse. accedo igitur ad ea, quæ à me gesta sunt, nemoq́; putet propterea Orationem me uelle ab accusatione deflectere, si in Græcorum dicta factaq́; incurrero. qui enim eā partem decreti accusatione prosecutus fuit, quòd ipse & factis & uerbis sim benemeritus de Republica, quiq́; ista, tāquam minime uera essent, detulit, is totius meæ in Republica administrationis & rerum à me gestarum narrationi locum fecit in præsenti accusatione proprium & necessarium. Deinde, cum multæ sint in Rebuspublicis uersandi species, ego eā partem delegi, quæ est in actionibus Græcorum, ob idq́; iure facturus sum, si earum rerum argumenta ab his sumpsero. quæ igitur, antequam ego ad Rempublicam accederem, & pro rostris dicere cœpissem, anteoccupauit, & usurpauit Philippus, omittam. nihil enim horum ad me reor pertinere, à quo uero tempore in ea ego incubui, & illi restitum fuit, ista recensebo, ac de his Orationem subiungam, si illud fuero præfatus. Magna uiri Athenienses superiorq́; conditio Philippo obtigit apud Græcos nō quosdam, uerum eodem modo apud omnes, quòd copia proditorum & corruptorum ac Dijs inimicorum hominum ut esset, contigerit, atq; tanta, quantam prioribus temporibus fuisse nemo recordatur, quos cum in administros & satellites sumpsisset, Græcos male ac seditiose inter se habentes, peius insuper affecit, ac cum uos circunueniret, illis largiretur, alios modis omnibus corrumperet, diuersas in partes eos distraxit, cum ad unam cōmunem utilitatem omnes spectare debuissent, ut illi obstarent, ne potens euaderet. in tali igitur rerum statu, atq; præterea ignoratio=

ne constantis & succrescentis mali omnium eorum qui Græci essent, uos cogitare oportet uiri Athenienses quid par esset, ut sibi agendum faciendum'ue ciuitas deligeret, horumq; rationes à me reposcere debetis, qui iam tunc me ipsum administrationibus publicis addixeram. Num oportebat ipsam, ô Aeschines sese de statu grauitatis & dignitatis deijcere, ut dum se eiusdem ordinis faceret cum Thessalis & Dolopibus administra esset Philippo in ei uendicando Græciæ imperium, & maiorum pulcherrima facinora iuraq; ciuitatis perdere, & abijcere? an illud minime efficere? graue, ut uere dicam, erat quæ euentura cernebantur, si nemo illis resisteret, & quæ iam multo ante, ut uidebatur. præsentita fuerant, si hæc dum fierent, contemnerentur. At uero nunc ego eum, qui maxime increpat res gestas, libenter rogem, cuius'nam factionis hanc ciuitatem esse uoluisset? num eius, quæ conscia & administra fuit totius calamitatis & ignominiæ, quæ Græcis euenit, cuius Thessalos & horum sectatores quis fuisse dicat necesse est, an uero eius, quæ ista cum fierent, despiciebat priuatæ cuiusdam utilitatis spe ducta, cuius Arcades & Messenios ac Argiuos fuisse asseramus licet. uerum & his malis pleriq;, immo uero omnes difficilius quàm uos se eximere. Etenim si ut Philippus rerum potitus fuit, statim concitato itinere recessisset, ac deinde quietus mansisset, neq; quēquam eius sociorum, neq; aliorum Græcorum aliqua molestia afficiendo, attamen aliqua subesse potuisset aduersus eos, qui his, quæ ille gesit, se non obiecerant, reprehensio & accusatio, sin autem omnium simili modo dignitatem, imperium, libertatem præcidit, magis certe Respublicas, quoad potuit,

deleuit, cur non omnium maxime probabilia uos decreuistis mihi fidem præstando? Sed eò reuertor. quid ciuitati, ô Aeschines facere licebat, cum imperium & Græciæ tyrannidem uideret sibi uendicantem Philippum, uel quid me, Atheniensis consiliarius cum essem, dicere aut scribere oportebat, etenim id plurimum refert, utpote qui noueram per omne tempus ad illum usq; diem, quo ipse in suggestum ascendi, semper de principatu & honore et gloria patriam decertasse, pluraq; uirorum corpora & opes impēdisse pro dignitate tuenda, & in uniuersæ Græciæ utilitatē quā cæteros Græcos, qui ut se defenderent, eorū opes singuli insumpserunt, uiderem autē Philippum ipsum, cum quo nobis dimicandū erat pro imperio & dominatu, oculo abiecto, humero fracto, manu à brachio distorta, omnem quamcunq; uellet partem fortuna corporis adimere, eam sine ullo negotio & alacri animo abijcere, ut reliquam ætatem cum laude & existimatione ageret. Attamen nemo dicere auderet, ut ei, qui in pelle foret educatus loco tunc humili et paruo in tantam prouehi magnanimitatem liceret, ita ut Græciæ imperium appeteret, idq; in animo fixum haberet, uobis autem, qui Athenienses essetis, & quotidie in ore & præ oculis maiorū uestrorum uirtutis exēpla haberetis, tantum ignobilitatis adesse, ut Græciæ libertatem ultro offeratis, sponteq; concedatis Philippo. nemo enim hæc diceret. reliquū igitur erat, pariter et necessarium, his omnibus, quæ ille gerebat, dum nos male tractabat, ut iuste obuiaretur, id ipsum uos à principio faciebatis merito & ut par erat, referebam ad Senatum insuper, et consulebam ipse, quibus ego in Republica temporibus uersabar, confiteor, ue

rum quid me agere oportebat? iam enim te rogo, ut reliqua omnia omittam Amphipolin, Pidnam, Potidæam Halonesum nihil horum ad memoriam reuoco, Serrhium uero, & Doriscum, & Peparethi depopulationem, & quæcunq; eiusmodi ciuitas passa fuit, neq; an ea extiterint, noui, quamuis tu dixeris, me ista dicendo in ignem hos coniecisse. Cum certe Eubuli & Aristophontis, ac Diopithis hæc fuerint decreta non mea. O' qui facile effutis quodcunq; in mentem uenit, neque enim de his ad præsens dicam, sed ille, qui Eubœam uelut suam sibi uendicauerat, & qui in murum Atticæ molitus fuerat, & Megaras inuaserat & Oreum comprehenderat, & Porthmum euerterat, & in Oreo Philistidem tyrannum, in Eretria uero Clitarchum constituerat, & Hellespontum sibi subiecerat, & Byzantium obsederat, & ex Græciæ ciuitatibus quasdam uastauerat, in alias uero exules reduxerat, nunquid is, qui hæc omnia egerat, iniurias intulit, ac fœdera transgressus fuit, & pacem dissoluit, necne. Atq; utrum apparere aliquem Græcum, qui ista ab eo ne fierent, prohiberet, oportebat, an non? quòd si necesse nõ erat, uerum in sceleratorum prædam, ut aiunt, Græciam ipsam cedere conspici uiuentibus Atheniensibus & spirantibus, ego quidem frustra laboraui, dum de his concionem habui, frustra laborauit ciuitas, quæ mihi assensa est, sint quidem errata hæc omnia, quæ gesta sunt, & errata mea, sinautem oportebat horum aliquem uindicem apparere, quem'nam alium existere, quàm populum Atheniensem conueniens erat? Hæc igitur tũc ego in Republica gessi, & cum uiderem illum omnes homines in seruitutem trahere, restiti, & præmonendo, & præ-

cipiendo

cipiendo, ne ista Philippo pmitterentur. At qui pacem quidem ille fregit nauibus captis, non ciuitas ô Aeschines. Affer iam decreta ipsa & epistolam Philippi, ac ex ordine recita, ab horum enim peruestigatione, quis cuiusq; rei fuerit author patefiet. Dic. DECRETVM. Consule Neocle, mense Augusto conuocata concione à militum præfectis, ea coacta Eubulus Cyprius Mnesithei filius dixit, quia retulerũt militum præfecti in concione, quòd Leodamantem Nauarchum, & XX. nauigia cum eo emissa ad importandum frumentum in Hellespontum Amyntas dux Philippi in Macedoniam deduxit, ac sub custodia tenet, eam rem curæ esse debere præfectis prætorio & militum præsidibus, ut. s. Senatus eã ob rẽ conueniat, legatiq; deligantur ad Philippum, qui corám uerba faciant, ut Nauarchum dimittat, & nauigia, ac milites, ac si per ignorantiam ea admiserat Amyntas, quòd nihil est, quod populus eum accuset. quòd si ea aliqua in re præter mandata deliquisse deprehenderit, quòd Athenienses sunt in id animaduersuri, dignaq; pœna contemptionem huiusmodi persecuturi, & si neutrum horum est, uerum priuata aliqua simultate aguntur, uel classis præfectus, uel Nauarchus, item quòd illud dicant scribi debere, ut de ea re certior factus populus statuere possit, quid fuerit faciendum. hoc igitur decretum scripsit Eubulus, non ego, illud uero, quod sequitur, Aristophon, deinde Hegesippus, postea rursus Aristophon, deinde Philocrates, postmodum Cephisophon, deinceps alij omnes. Ego uero nihil de his scripsi. Recita decretum. DECRETVM. Nicocle consule, pridie Calendas Septembris ex sententia Senatus præfecti prætorio &

militum præsides sanxerunt, referendo ea, quæ in concione dicta fuere, quòd populo uisum fuisset, legatos ad Philippū deligendos esse pro nauigiorum reuersione, & ut ad eum mandata darent, ac in concione decreta, atq; hos delegerūt Cephisophontem Anaphlystium Cleonis filium, Polycritum Cothocidem Apemanti filium, prætorio præsidente Tribu Hippothoontide, Aristophon Colytteus præses loquutus fuit. Quemadmodum igitur hæc decreta ostendo, ita & tu ostendito ô Aeschines, quòd ego scripserim decretum, quo belli fuerim author, sed id non posses. si enim potuisses, aliquam eius partem pauloante non retulisses? At qui neq; Philippus me, ex causa belli aliquo modo accusat, cum cæteros criminetur. Recita epistolam ipsam Philippi. EPISTOLA PHILIPPI. Rex Macedonum Philippus Senatui populoq; Atheniensi salutem. Cum legati uestri ad me uenissent Cephisophon, & Democritus, ac Polycritus, uerba fecerunt de dimittendis nauigijs, quorum erat Nauarchus Laomedon. In summa igitur mihi uidebimini summe desipere, si putaueritis me latere, quòd eiusmodi nauigia emandata fuere obtendendo, quòd frumentum ex Hellesponto in Lemnum essent uectura, opem uero latura cum essent Selymbrianis, qui à me obsidebantur, quiq; nostris communibus amicitiæ conuentionibus non fuerant comprehensi, atq; ea Nauarcho demandata extiterunt sine populo Atheniensi à magistratibus quibusdam, & alijs, qui nunc quidem priuati ciues sunt, quiq; quoquo pacto uoluerunt, populum pro amicitia, quæ inter nos ad præsens uiget, bellum inire, multo potius id gestientes mandari, quàm quòd Selymbrianis auxilium ferrent, idq; ipsis merce-

dis loco futurum suspicati sunt. Veruntamen id neq; è mea, neq; è re uestra esse uidetur, propterea quæ nuper ad nos deducta fuere nauigia ad uos mitto, ac in posterum ne uelitis attendere ad eos præsides uestros, qui praue Rempublicam administrant, uerum illis resistite, ego quoq; conabor pacem custodire. Valete. In hac epistola nusquam Demosthenis mentionem fecit, neq; aliquam habuit aduersus me accusationem. Cur igitur in alios inuehitur, eorum uero, quæ à me gesta sunt, nihil commemorat? quoniam sua ipsius facinora & iniurias expressisset, si quid de me scribere tentasset. ea enim ego tetigissem, illisq; me opposuissem, ac in primis quidem legationem in Peloponnesum mittēdam ad Senatum retuli, cum primum, ille in Peloponnesum ingressus fuit, deinde in Eubœam, cum Eubœam attigit, postremū in Oreum auxiliarios milites, non item legationem mittendos censui, ac in Eretriā, ut ille tyrannos in his urbibus cōstituit, postea omnes expeditiones maritimas emittendas decreui, per quas Cherrhonesus seruata est, & Byzantium, ac reliqui omnes socij, quibus ex rebus nobis pulcherrima, laudes.s.commendationes, honores, coronæ, gratiæ ab his, qui beneficio fuerant affecti, obuenere, eorum uero, qui opprimebantur, qui uobis tunc fidem adhibuerunt, salui fuere, qui autem non curarunt, ut eorum recordarētur, quæ sæpe uos illis prædixeratis memoriæ tenenda, ac quòd uos existimarent, non ipsis solū amicos, sed & consultos homines, ac coniectores esse, omnia eis euenere, quæ ante monueratis. huc adde quòd multam pecuniam dedit Philistides, ut Oreum haberet, multam Clitarchus, ut Eretriam, multam ipse Philippus, ut hæc ipsi aduer-

ſus uos conſtarent, ac ne de reliquis aliquo modo redargue- retur, & ne aliquis omnino perquireret ea, quæ facit ad iniu riam ueſtram, nemo eſt, qui neſciat, ac minime omnium tu ipſe, qui enim à Clitarcho & Philiſtide tunc legati huc appu lere, apud te diuerſati fuerunt ô Aeſchines, ac tu eorum ho- ſpes publicus fuiſti, quos ciuitas uelut hoſtes, ac iniqua, & quæ non eſſent è Republica petentes repulit, & auertit, tibi uero erant amici? non igitur aliquid eorum factum eſt ô ma- ledice, quod de me iactas, ac dicis, quòd ſileo, cũ pecuniam accepero, uociferem autem, cum eam conſumpſero, uerum non ita tu, ſed exclamas, cum eam acceperis, nunquam au- tem ceſſes, niſi te iſti coerceant, de ſtatu dignitatis hodierna die deijciendo. ob hæc igitur cum tunc uos me corona dona- retis, & referret ad Senatum Ariſtonicus eaſdem ſyllabas, quas hic ipſe Cteſiphon nunc ſcripſit, coronaq́; in theatro prædicaretur, eiusq́; rei iam ſecunda prædicatio facta eſſet, neq; adfuit reclamando Aeſchines, neq; eum, qui ſic ad Se- natum retulerat, accuſauit. ac mihi recita, & illud decretum ſumas. Dic. DECRETVM. Chæronida præfecto prætorio præſidente XXV. Calendas Februarij, Tri- bu Leontide magiſtratum agente, Ariſtonicus Phrearrhius dixit, poſtea quàm Demoſthenes Pæanieus Demoſthenis fi- lius multa magnaq́; emolumenta contulit populo Athenienſi, multosq́; ex ſocijs & antea, & in præſentia iuuit decretis, ac quaſdam EubϾ ciuitates in libertatem aſſeruit, & in ea beneuolentia erga populum Athenienſem perſiſtit, dicitq́; ac facit quodcunq; boni posſit & pro Athenienſibus, & reli- quis Græcis, referatur ad Senatum, ac populum Athenien-

ſem, ut laudetur Demoſthenes Pæanieus Demoſthenis filius, & corona aurea donetur, eaq; corona in theatro prædicetur nouis Tragicis Dionyſij ludis, coronæq; prædicationis curam habeto tribus, cui præſidere contigerit, ac ludorum præfecti, dixit Ariſtonicus Phrearrhius. Eſt'ne igitur aliquis ueſtrum, qui nouerit aliqd' dedecus ciuitati accidiſſe per hoc decretum, uel ludibrium, aut irriſionem, quæ iſte nūc aiebat euentura, ſi ego corona donarer? At qui cum res ipſæ ſint nouiſſimæ & peruulgatæ, ſi probe ſucceſſerūt gratiam merentur, ſin aliter, pœnam. patet igitur me tūc gratiam fuiſſe conſequutum, & non accuſationem, neq; pœnam, proinde uſq; per ea tempora, quibus hæc geſta fuere, per omne tempus confeſſa res fuit, me optime eſſe de Republica meritum, quòd obtinuerim, quæ apud uos in conſultatione fuerūt Oratione & decretis, quòd ea, quæ fuerunt decreta, peregerim, ac quòd ex his ipſis ciuitati ac mihi & uobis omnibus commendationes obuenerint, quòd ſacrificia Dijs immortalibus, & ſupplicationes, utpote hæc ipſa bona eſſent, uos decreueritis. Poſtea igitur quàm ex Eubœa Philippus depulſus fuit armis quidem à uobis, rectè autem Reipublicæ adminiſtratione & decretis (rumpantur licet quidam ob hæc ipſa,) à me aliud aduerſus ciuitatem oppugnationis genus quærebat. cum enim cerneret, quòd frumento ſupra cæteros homines plurimo uteremur importato uolens in poteſtate ſua frumētariam huiuſmodi inuectionem habere, in Thraciam conceſſit, Byzantioſq; eius ſocios primū petebat bellum unà cum eo aduerſus uos ſuſcipere, ut uero id noluere, neq; enim aiebāt ob hæc ſocietatem ſe iniuiſſe, cum uera alioquin dicerent, ad ci-

uitatem uallum admouit, & machinas applicauit, eos obsidendo. Hæc cum fierent, quid uos facere oportebat, non interrogabo. id enim omnibus est manifestum, uerum quis fuerit, qui opem tulerit Byzantijs, eosq́; seruauerit? quis, qui fuerit impedimento, ne Hellespontus alieno cederet imperio per ea tempora? Vos ô uiri Athenienses, Cum uos dico, ciuitatem dico, quis, qui pro ciuitate diceret, & scriberet, et ageret, & qui planè se ipsum rebus ipsis sine aliqua intermissione traderet. Ego, ueruntamen quantum ea omnes iuuerint, non ex Oratione uos scitari oportet, sed re ipsa id experti estis. Bellum enim quod tunc imminebat, præter id, quòd honestissimam existimationem uobis attulerit, in omnibus ijs, quæ uitæ sunt necessaria, maiori cum copia & ubertate uos traduxit, quàm pax hodierna, quam isti contra patriam obseruant uiri optimi sub spe euentus earum rerum, quibus utinam fallantur, & quæ ne consequantur uos, qui optima cupitis, à Dijs immortalibus rogate, ne'ue uobis ea elargiantur, quæ ipsi in eorum animis constituerunt. Recita ipsis Byzantiorum coronas, & Perinthiorum, quibus ob hæc ciuitatem honestarũt. DECRETVM BYZANTIORVM. Hieromnamone cõsule Bosphorici filio, Damagetus in cõsilio dixit, à Senatu habita facultate loquẽdi. Quoniam populus Atheniensis præteritis temporibus beneuolo animo usus fuit, in eoq́; perseuerat erga Byzantios, & socios, & finitimos Perinthios, ac multo magnoq́; usui præsenti quoq; tempore fuit, dum Philippus Macedo in regionem expeditionẽ fecisset, inq́; ciuitatem Byzantiorum & Perinthiorum, easq́; euerteret, & regionem incenderet, arbo-

resq́; excideret, auxilium ferendo centum & uiginti nauibus & commeatu ac sagittis, hominibusq́; armatis, nos pariter ex magnis periculis eripuit, & patriam Reipublicæ speciem restituit, & leges, & sepulchra, referatur ad populum Byzantium & Perinthium, ut Athenēsibus liceat in eorum Republica uersari, eorum terram incolere, & illorum filias in uxores ducere, propriumq́; sessionis locum in ludis prorsus, qui ad Senatum populumq́; habentur, apud Sacrorum ministros sortiri, & eis, qui urbem inhabitare uoluerint, ab omni publicorum munerum grauedine exceptos esse, erigendasq́; esse treis statuas sexdecim cubitorum in Bosphoricho, corona donandum fore populum Atheniensem à populo Byzantio & Perinthio, mittendos certe quoq; esse Dorienses ad publicos Græciæ conuentus Isthmios.s. & Nemeos, ac Olympios, & Pythios, utq́; coronam prædicent, qua populus Atheniensis à uobis honestatur, ob idq́; re uera comprobet uniuersa Græcia Atheniensium uirtutem, Byzantiorumq́; & Perinthiorum animi gratitudinem. Recita & eas, quæ datæ fuerunt à Cherrhonesitis, coronas. DECRETUM CHERRHONESITARUM. Ex Cherrhonesitis, qui sextum incolunt Eleuntem Madytum, Alopeconnesum, aurea corona honestāt Senatum populumq́; Atheniensem, quæ constet ex LX. talentis, aramq́; Gratiæ construunt, & populo Atheniensi, quòd omnium magna ex parte author bonorum fuerit, quæ Cherrhonesitæ consequuti fuere, quòd eos à Philippo exemerit, eisq́; res patrias restituerit, leges, libertatem, sacra, & futuris omnibus seculis quod non sit defuturus, quibus in rebus poterit, benefi-

ciјs eum afficere, id beneuolo animo exequi. Hæc decreuere in publico conuentu. Cæterum non solum ut Cherrhonesum, & Byzantium seruaretur, non solum ut impedimentum præstaretur, ne tunc Hellespontus in ditionem cederet Philippi, non solùm ut ciuitas propter ista honorem consequeretur, mea prouidentia & Reipublicæ administratio effecit, uerum & omnibus gentibus manifestam reddidit ciuitatis beneficentiam, & Philippi peruersitatem. is enim cum amicus & socius esset Byzantiorum, quòd eos obsideret ab omnibus uisus extitit, quare quid esse posset magis inhonestum, uel nefarium? Vos enim, qui cum multum succensere illis merito debuissetis ob has ipsas res, in quibus inimico aduersus uos animo fuerunt prioribus temporibus, non solum iniuriarum ueterem memoriam ad uos non reuocare, non solum eos, qui uos iniuria affecerant, non abiјcere, sed & ipsorum seruatores uisi fuistis, ex quibus existimationem, beneuolentiam apud omnes estis consequuti. At qui quòd plerosq; eorum, qui iam in Republica uersati fuere, corona honestaueritis, omnes sciunt, per quem uero alium ciuitas coronæ munere affecta fuerit Consiliarium dico & Oratorem, nisi per me. nemo quidem id dicere posset. Vt igitur & probra, quæ aduersus Eubœenses & Byzantios effutiuit, si quid molesti ab eis contra uos actum fuit, commemorem, eas calumnias esse ostendam præterquam q; mendacia existũt. hoc enim cõstare apud uos, qui eorum consciј estis, arbitror. Verũ quia etiam si maxime uera essent, ita, uelut ego rebus ipsis usus fui, ciuitati conferre, ut ad eum modum tractarentur, statuendum fuerat. Vnum uel duo ex negotiјs ipsis, quæ temporibus ue-

stris gesta fuere, quæq; ciuitati honorem attulerunt recense- re uolo, idq; breuibus. Etenim & homines priuatim ac pu- blice ciuitates ipsas ad exemplum rerum præclarissime ge- starum reliqua sibi peragenda proponere decet. Vos igitur uiri Athenienses cum Lacedæmonij terra mariq; dominaren tur, & quæ circum Atticam sunt loca occupata detinerent, per curatores operum & excubias, Eubœam, Tanagram, Bæotiam uniuersam, Megara, Cleonas, reliquas insulas, cum eo tempore nec naues, nec mœnia ciuitas possideret, ex- peditionem fecistis in Haliartum, & rursus non multis post diebus in Corinthum, cum, qui tunc erant, Athenienses mul- tarum iniuriarum potuissent reminisci aduersus Corinthios & Thebanos, ob ea, quæ commiserant in bello Decelico, ue rum id minime fecerunt, ac ne cogitarunt quidem. At tunc horum utrunq; ô Aeschines, neque pro beneficijs, quibus eos affecissent. effecere, neque quòd res à periculo alienas esse uiderent, sed non ꝓpterea ad eos confugientes repulerũt, ue rùm existimationis honorisq; causa maluerũt periculis se obij cere, recte alioqn et honeste id appetẽdo. finis enim uitæ omni- bus hominibus mors est, etiam si qs se cubiculo inclusum asser uet. uiros autem ꝓbos decet ea omnia aggredi, quæ ꝑpetuam gloriam sibi sint paritura, bene uero in quaq; re sibi speran- dum fore proponere, animoq; constanti quodcunque dederit Deus perferre. Hæc fecere nostri maiores, hæc nostri paren tes, qui Lacedæmonios, cum amici non essent, neq; de uobis benemeriti, uerum multis magnisq; rebus ciuitatem uestram iniuriose tractassent, posteaquam Thebani rerum potiti in Leuctris ut perderent aggressi, eos prohibuistis, non ueriti

propter quas cuncta, quæ essent è Republica abijceremus? Et quis me non iuste interemisset, si quid eorum, quæ ciuitatem honestabant, uel uerbo solum turbare tentassem? cum rem ipsam uos minime facturos ego certo scirem, si enim uoluissetis, quid erat impedimento? an non licebat? non'ne hi aderant, qui ea suaderent? uolo igitur ad ea reuerti, quæ deinceps in Republica gessi. rursusq; ex his considerate, quid erat summe è Republica. Cum enim aspicerem uiri Athenienses nauticam rem uestram dissolutam, & diuites immunes etiam à modicis quibusq; sumptibus factos, eos uero ciues, qui mediocrium uel minimarum fortunarum essent, bona sua insumere, insuper quidem ciuitatem ipsam propterea occasionibus destitui, legem tuli, qua diuites, quod iustum erat, facere coegi, pauperes uero ab iniurijs exemi, quodq; ciuitati utilissimum esset, ut belli apparatus opportune fierent, perfeci. Ac cum delatus essem, q leges illicitas rogassem, prodij in conspectū uestrum, & absolutus fui, quintamq; suffragiorum partem accusator nō reportauit. At qui quot pecunias classium præfectos, uel illos, qui secundo aut tertio loco sunt, putatis mihi dare uoluisse, ut uel maxime ego hanc legem non ferrem, q si id nollem, ut sinerem eam in dilationem abire, tot uiri Athenienses pecunias, quot me pudet uobis referre, atq; ista merito agebāt illi, licebat enim ipsis ex prioribus legibus unà sexdecim contribuere, cum ipsi parum uel nihil impenderent, egentes autem ciues conficerent, ex mea quidem lege factum est, ut pro modo fortunarum quisq; conferret, & ut duarum nauium esset, qui prius unius fuerat nauarchus, cum antea sextusdecimus tributarius foret, neq; eos nauarchos appella

ui,sed tributarios,quare ut hæc tollerentur, & ne iusta facere cogerentur, nihil est, quod non dedissent. & mihi recita in primis decretum,cuius gratia in accusationem incidi, deinde recensiones, illam quæ ex priori lege,eamq; quæ per meam, recita. DECRETVM. Consule Polycle XVI. Calend. Septembris, tribu Hippothoontide in Prytaneo præsidente Demosthenes Pæanieus Demosthenis filius in rem nauticam legem tulit aduersus legem priorem,pro eo q; tributa essent Nauarchorum, ac suffragijs in sententiam iuit Senatus,atq; in iudicium illicitæ rogationis uocauit Demosthenem Patrocles Phlyeus & cum dimidiam suffragiorum non reportasset. quingentas exoluit drachmas. Affer iam & pulchram illam recensionem. RECENSIO. Nauarchos in triremẽ uocandos sexdecim numero ex classium tributis à XXV. Annis usq; ad XL. ita ut ex æquo contribuant,affer iam ultra hanc & illam, quæ ex mea lege,recensionem. RECENSIO. Nauarchos in quanq; triremẽ deligendos fore pro modo fortunarum iuxta censum ex X. talentis.q; si patrimonium maiori pecuniarum censu fuerit æstimatum ex proportione usque ad trium nauigiorum summam pariter & armamentarij in eam rem munus esto, eandem rationem subeant & hi, quibus opes fuerint infra X. talenta, ita ut conueniant ad contribuendum in ipsa X. talẽta. Igitur parum opis agentibus tulisse uobis uideor,aut pauca impendere uoluisse diuites uidentur, ne ego suaderem, ut pro rata parte contribuerent? Non igitur solum, q; in his nõ fuerim præuaricatus,mihi gloriari licet quodq; cũ fuerim accusatus, euaserim, sed q; & legem tulerim è Republica.

& re ipsa de me experimentum præbuerim, per omne enim bellum gestum à classium præfectis ex mea lege non supplex deprecatus fuit unquam aliquis nauarchus, q̃ à uobis non iure tractaretur, nõ in Munychia portu quis moram traxit, non aliquis à classium præfectis uinctus fuit, non triremis extra ordinem deprehensæ ciuitati deperijt, neq; ibidem interclusa fuit ueluti ultra nauigare non posset, proinde ex prioribus legibus hæc omnia euenere, causa uero erat, quoniam pauperes munera obire non poterant, multa enim grauia contigerunt. Ego quidem ab inopibus ad opulentos triremium transtuli præfecturam. igitur nimirum, si omnia pro dignitate successere. Cæterũ & ob id ipsum cõmendatione dignus existo, q̃ omnia eiusmodi in administranda Republica proposuerim, à quibus existimatio, pariter & laus, ac potentia ciuitati accreuerit, ingrata enim & acerba, ac malitiosa haud fuit administratio mea. neq; contemnenda, neq; ciuitate ipsa indigna. Hos igitur mores præ me tulisse et in Reipublicæ negotijs pertractandis et rebus Græcis uidebor, neq; in ciuitate magis diuitum gratia quàm multorum ius apud me potuit, neq; in rerum Græcarum curatione Philippi munera & amicitiam communi totius Græciæ utilitati prætuli. Arbitror igitur reliquum esse mihi de prædicatione dicere & rationibus referendis, illud enim q̃ & optima egerim & semper beneuolus fuerim ac paratus uobis beneficia conferre, satis ex iam dictis à me palàm factum existimo, quanquàm maximam partem actionum curationumq; à me ipso factorum prætermiserim, illud primum mihi persuasus, q̃ sequenti loco de ipsa illicita rogatione me disserere oporteat, deinde etiam si ni-

hil dixero de reliquis à me in Republica gestis quisq; tamen uestrum eodem modo mihi conscius existat, uerba igitur, quæ iste sursum deorsumq; uersando dixit de illicita legum rogatione neq; per Deos reor uos intelligere, neq; ipse magna ex parte percipere potui. simpliciter quidem aperta uia iura edissserem, tantum enim abest, ut dicam me rationibus reddēdis nō esse obnoxium, quod nunc iste sæpenumero criminatus fuit & definiuit, ut per uniuersum uitæ tempus me astrictum esse profitear eorum rationem referre, quæ tractaui, uel apud uos publice administraui, illorum tñ, quæ ex proprijs fortunis sponte obtuli populoq; donaui, nullo tempore me obligatum esse assero, audis ne Aeschines? neq; quēquam alium, neq; si aliquis ex IX. uiris fuisset. quæ enim lex est tantæ iniquitatis immanitatisq; plena, ut eum, qui ex re propria donauerit, humanitatemq; suam & animi promptitudinem ostenderit, gratia priuare uelit, in calumniatorum uero manus cū conijcere, eisq; facere potestatem hunc in iudicio sistendi pro rationibus reddendis eorum, quæ ipse donasset? nulla certe lex est. q, si quam esse is asserat, eam ostendat, & ego acquiescam & silebo. At non reperitur uiri Athenienses, uerum ille dum calumniabatur, q, ego cum essem in ærario, pecunias fuerim elargitus, laudauit ipsum inquit Senatus, cum rationes referre teneretur, non ob aliquod eorum, quorum eram obnoxius, sed eorum causa, quæ tradidi calumniator. At cu r[illegible] or muris reficiendis fuisti inquit, atq; ob hoc ipsum merito laudatus fui, q, cum sumptus fecerim, eos donauerim, neq; in expensum retulerim, ratio enim calculis indiget & ijs, qui eos ineant & subducant, largitio digna est. ut gratiam &

laudem cõsequatur, propterea ista de me scripsit. q uero hæc ita se habeant, ac q non legibus tantum, sed & moribus nostris sic extet definitum, ego facile multis modis ostendam, primum Nausicles cum dux belli fuisset, ob ea, quæ de re sua insumpsit, sæpe à uobis fuit corona donatus. Deinde q scuta Diotimus dedisset, itemq; Charidemus corona honestati fuere, postea hic Neoptolemus cum multorum operum præfectus fuisset, eorum causa, quæ de suo impendit, fuit decoratus, miserabile enim id esset, si ei, qui magistratum agit uel sua ipsius ciuitati donare propter hunc ipsum magistratum non liceret, uel si donatorum cum gratias reportare deberet, rationis referendæ iudicium sustinere teneretur. q igitur ea, quæ dico, uera sint, recita mihi decreta, quæ in istius honorem promulgata fuere, ipsa in manibus sumendo, recita. DECRETVM. Consule Demonico Phlyeo VII. Calendas Septembris ex sententia Senatus & populi, Callias Phrearrhius dixit, q Senatui populoq; uidetur, Nausiclem, etiam dum in armis esset, corona fore honestandum, q cum duo milia Atheniensium armatorum essent, in Imbro, & opẽ ferrent his, qui Atheniensium insulam incolebant, & Phialon, qui in eam curationem suffragijs creatus erat, ut tempestatum à nauigatione repulsus esset, & à militum conductione, ex proprio patrimonio pecunias erogauit, easq; à populo non exegit, coronamq; ludis Dionysij tragicis postremo celebrandis fore prædicandam. DECRETVM. Dixit Callias Phrearrhius Prytaneis dicẽtibus ex Senatus sentẽtia, quoniam Charidemus peditum præfectus emandatus in Salamina, & Diotimus præfectus equitum in pugna, quæ ad flu-

bus peragendis, referatur ad Senatum populumq; Athenien sem, ut Demosthenes Pæanieus Demosthenis filius laudetur uirtutis ergo & benificentiæ, in qua animatus perseuerat per omne tempus erga populum Atheniensem, coronaq; aurea honestetur, eaq; corona prædicetur in theatro nouis Dionysij ludis, quodq; ea prædicationis cura ad ludorum magistrum spectet. igitur quæ donaui, hæc sunt, quorum nihil tu redargui sti, quæ uero, ait Senatus oportere pro his rependi mihi ea sunt, quæ insectaris. Accipe ergo ea, quæ donantur, cũ cõfitea ris è lege esse, ꝓ his gratiã reddere, præter legẽ esse accusas? Perditus hõ & impius ac reuera illiberalis cuiusmodi ꝑ deos esset, nõne istiusmodi? uerũ enim de prædicatione in theatro ha bẽda, ꝙ decies millies ĩnumerabiles fuerint celebrati prætereo ꝙq; sæpenumero idẽmet supiori ætate fuerit corona donatus, sed per Deos ita rudis es & hebes ô Aeschines, ut cogitatio= ne assequi non possis, ꝙ celebritatem ex æquo consequitur corona, sicut is, qui corona donatur, quocunque in loco præ= dicetur, quodq; emolumenti gratia eorum, qui coronam con ferunt, in theatro prædicatio fiat? omnes enim qui id audie= rint, ad benefaciendum ciuitati concitantur, eosq; qui gratias retulerint, eo qui corona donatur, magis extollunt, ea pro= pter eiusmodi legem ciuitas tulit. recita ipsam mihi, eam sumẽ do. LEX. Quoscunq; extrariæ natiões corona donauerint, earum coronarum celebrationes in ipso singulo quoq; popu= lo, qui eius coronæ fuerit author, fi ri licere, nisi quos popu= lus Atheniensis uel Senatus corona honestauerit, hos enim in theatro ludis Dionysij celebrari debere. Audis ô Aeschines legem aperte cantantem, nisi quos populus uel Senatus coro=

na decorauerit, hos enim celebrato, cur igitur ô miser calumniaris? cur uerba confingis? cur te ipsum ueratro ob ista non perpurgas? At non pudet accusationem inuidiæ intẽdere non alicuius criminis, & leges quidem istas conuertere, illarum uero partes supprimere, quas totas æquum erat ut perlegeres, & hi, qui in leges iurati sunt, iuxta eas ut decernerent, deinde cum ista effeceris, ea recitas, quæ uiro inesse populari conuenit, ueluti uirum scriptione formaueris, deinde domum eum reducas, qui illa non habeat, quæ ex scriptione oportebat, uel quasi illos accipias populares, qui uerbis non factis, & actionibus publicis tales esse agnōscantur. Atque uociferas, fanda & nefanda commemorans ueluti sesquipedalia uerba, quæ tibi tuoq; generi insunt non mihi. Atqui et illud uiri Athenienses ego conuitiũ ab accusatione illò differre reor, q, accusatio peccata contineat, quorum legibus pœnæ sunt definitæ, conuitium autem maledicta, quæ inimicos inter se pro eorum natura dicere contingit, construxisse quidẽ maiores forum istud iudiciale suspicor non ut uos ad hæc à priuatis negotijs uestris auocemus, ut perdite nefanda inter nos iactemus, sed ut euincamus, siquis ciuitati iniuriam, forte intulerit, hæc cum non minus quàm ego nosceret Aeschines me maledictis sibi lacessendum, potiusquam accusandum proposuit, non tamen, cum in hac ipsa re deteriore statu existat, æquum est, ut abire permittatur, iam igitur ad ista accedam, si illud ab eo rogauero, utrum te quis ô Aeschines ciuitatis an meum inimicum esse dicat? meum utiq; inquiet, deinde cuius rei poteras à me pœnam ex legibus pro his sumere siquid peccassem defecisti, cum rationes referrem, cum populariter

accusarer, cum alia in iudicia uocarer, in qua autem te inno cens euasi modis omnibus, legibus, tempore, præiudicio, rebus iudicatis, de omnibus sæpe eisdemmet rebus priori tempore habitis, nulla deprehensione alicuius iniuriæ à me uobis illatæ. ciuitatem uero cum ampliori mediocriúe oporteret pro his, quæ in Republica gesseram, me honore afficere, tunc demum te opposuisti uide ne horum hostis sis, aduersum autem me effingas. quoniam igitur pia iustaq; sententia omnibus ostensa est, me oportet, ut par est, quamuis natura maledicus non sim propter obtrectationes ab isto iactatas, pro his multis quidem & falsis, eademmet probra uel summe necessaria ut de ipso dicantur referre palamq; facere quis ipse sit, & à quibus, ita enim facile à maledicentia sumpsit exordiū, & talibus uerbis ipse obtrectando orationem habuit, pro quibus uocem mittere, quis uir modestus nō erubesceret? si quidem Aeacus uel Rhadamātus, aut Minos accusatorem egisset, nō garrulus, rabula fori, perditus scriba, istiusmodi puto non dixisset, neq; ita molesta uerba excogitasset, cum uelut esset in tragœdia exclamauerit, ô terra, solq;, & uirtus, & eiusmodi alia, ac rursus conscientiam & eruditionem inuocauerit, qua honesta à turpibus discernuntur. Hæc profecto audiuistis ipsum dicentem, tibi uero cum uirtute, ô scelus uel tuis quod est commercium, honestorum'ue, aut eorum quæ eiusmodi non sunt quæ tibi cognitio? Vnde eam accepisti? uel quomodo ea dignus existimatus es? quo loci tibi fas ducis eruditionis mentionem habere? quam qui reuera sunt consequuti eorum nemo de se ipso quicquam eiusmodi diceret, uerū siquis alius ea de ipsis iactaret, erubescerent, his certe qui

ab ea longe absunt, ut tu es, eam tamen sibi arrogent q; men te sint imbecilli. illud superest, ut auditores ipsis dicentibus maleuolos reddant, non autem ut tales esse uideantur, cum dubius non sim quæ de te & tuis dici oporteat, illud tamē dubito, cuius primum mentionem sim facturus, utrum ne q; pater tuus Tromes in seruitute fuerit Elpiæ, qui prope templum Thesei elemēta docebat, compedibus crassioribus & ligneis deuinctus, uel q; mater tua diurnis nuptijs in diuersorio, quod est prope Calamiten Heroem, cum te uteretur, pulcherrimum simulacrum, & summum tertiarum partium actorem te educauerit, an q; tibicen triremium Phormio Dionis Phrearrhij seruus eam ab hoc honesto artificio abduxerit? At per Iouem & Deos uereor ne si ea, quæ de te iure dici possunt, commemorauero, ipse me ipso indigna uidear uerba facere. ista igitur omittam, ab his uero quæ in uita sua admisit exordiar, nec enim ut quiuis alius fuit, sed unus ex ijs, quos populus execratur, sero enim tandem sero ista dico, biduo itaque Atheniensis pariter & Orator euasit, & cum duas syllabas addidisset, patrem quidem ex Tromete Atrometū effecit, matrem uero & graui admodum nomine Glaucotheam nominauit, quam Empusam omnes noscunt fuisse uocitatam, ex eo enim q; omnia faceret & pateretur, uidelicet id cognomenti fuerat consequuta, qui enim aliunde? Veruntamen ita ingratus es & natura prauus, ut liber ex seruo, ac diues ex paupere per hos factus, non ut eis gratiam habeas, sed te ipsum cum diuendideris aduersus istos Rempublicam administras. Atq; de his, quæ in dubium uenire possunt, q; scilicet ꝓ ciuitate dixerit mentionem non faciam, quæ uero pro hosti-

bus palàm fecisse deprehensus es, ista commemorabo, quis enim uestrum non nouit exilio mulctatum Antiphontem? qui cum spopondisset Philippo naualia uestra se incensurum, in urbem uenit, quem cum ego comprehendissem in Pyræo latitantem, & in concionem traxissem, isq; uersutus uociferaret, & exclamaret, quòd ego grauia committerem in Republica, calamitosos ciues iniuria afficiendo, ac per priuatorum domos libere eundo, ut sine aliquo decreto dimitteretur, effecit, & nisi Areopagi consilium rem præsensisset, perq; uestram ignorationem, ubi hoc minime decebat, id accidisse animaduerteret, hominemq; conquisiuisset, apprehensumq; ad uos adduxisset, ereptus iste fuisset, & si pœnam pendere distulisset, ab isto lepido oratore emissus eēt. nunc uero uos, cum ipsum tormentis affeceretis, necauistis, sicut hunc tractare oportebat, unde hæc cum uidisset Areopagi consilium, quæ ab isto tunc gesta fuerant, cum uos ipsum suffragijs creauissetis patronū Delphici templi eadem ignoratione ducti, qua multa publica perdidistis, ut & consilium ipsum de ea re præiudicium faceret, permisistis & illius rei potestatem ipsi dedistis, hunc quidem ut proditorem statim remouit, Hyperidiq;, ut diceret, mādauit, atq; ista uel ab Ara, cum suffragium ferret consilium, effecit, scelestusq; isto ne suffragium quidē reportauit, quòdq; ista, quæ dixi, uera sint, uoca ad me istarū rerum testes. TESTES. Testimonio sunt Demostheni pro omnibus hi Callias Synieus, Zenon Phlicus, Cleon Phalereus, Demonicus Marathonius, quòd cum populi suffragijs aliquando creatus esset Aeschines patronus causæ Delphici templi ad Amphictyones, nos aūt cum præsideremus, iudicauimus Hyperidem ma

gis dignum, ut pro ciuitate diceret, & emandatus fuit Hyperides. igitur quando is causam acturus erat, ex quo remouit consilium ipsum, & alteri id demandauit, tunc & proditorem esse & maleuolum nobis ostendit, hoc ergo unum, quod is, strenuus pro Republica gessit simile nequaquam est his, quorum me criminatur, alterum uero recordamini quando Pythonem Bizantium Philippus misit, et cum eo ab omnibus eius socijs legatos ut ciuitatem dedecore afficeret, & ostenderet eam iniuriosam esse, tunc ego Pythoni petulanti & ualde effuse contra uos loquenti neq; locum dedi neq; cessi, sed exurgens repugnaui, iuraq; ciuitatis non prodidi, uerum Philippum iniuriosum esse euici ita manifesto, ut ipsi eius socij exurgentes id ipsum confiterentur, is uero patrocinium præstabat, & aduersus patriam testimonium ferebat, atque id quidem falsum, & ea satis non fuerunt, uerum postea rursus Anaxinum speculatorem conuenisse in Thrasonis domum deprehensus fuit, atqui quicunq; speculatori ab hostibus misso soli solus congressus & colloquutus esse uisus fuerit, hic ipse natura speculator & patriæ hostis existere censendus est. & q; ea, quæ dico uera sint, ad me uoca harum rerum testes.

TESTES. Celedemus Cleonis, Hyperides Calleschri, Nycomachus Diophanti filius testimonium dicunt Demosthe ni, & Ducibus deferentibus iurarunt se scire Aeschinem Cothociden Atrometi filium noctu Thrasonis domum se contulisse, & colloquutum fuisse cum Anaxino, qui iudicatus fuerat, missus fuisse, speculator à Philippo, ipsa uero testimonia lata fuere consule Nicia III. Nonas Iunij. Cum igitur quamplurima de ipso dicere possem prætermitto, atq;

profecto ita cum res se habeat, multa ego in praesentia praeter haec ostendere possem, quae iste per ea tempora dum hostibus deseruiret, me autem uexaret, inuenit, at non manent ista exacte in memoria nostra neq; in ea indignatione, ut par esset, sed moribus quibusdã alioquin malis multum licẽtiae concessistis, ut cuilibet liceat dicentem ad utilitatem uestram supprimere & calumniari, quadam uoluptate contumelias audiendi & gratia cõmoda Reipublicae commutando, propterea facilius tutiusq; semper est, eum qui hostibus deseruiat, quaestum facere, quàm aliquem, qui pro uobis aciem sibi sequẽdam proposuerit, Rempublicam posse administrare. Ac ꝗ anteq̃ bellũ moueretur aliqs Philippo fuerit adiutor et satelles. graue est ô terra et Dij praesertim. at quo pacto graue nõ est cum illud contra patriam fiat date simultis, date hoc illi, uerum posteaquam nauigia absq; dubio comprehensa fuere, Cherronesus direpta extitit, in Atticam homo profectus fuit, quãuis non amplius res essent in obscuro, uerum bellum instaret, quid'nam unquam pro uobis effecerit is liuidus obtrectator, non hanc necesse est ut ostendat, neque extat aliquod maximum minimumúe decretum pro Aeschine ad commoda ciuitatis latum, ꝗ si extare dicat, ostendat in mea Clepsydra, at nullum est. At qui necesse est alterum esse ex duobus, uel ꝗ cum ipse nihil haberet, ꝗ posset à me gesta reprehẽdere propterea praeter haec aliud non detulerit, uel quod cum pro hostium utilitate solicitus esset, in medium adducere, ea, noluerit, quae istis essent meliora. num igitur nihil dicebat, sicut nil ad Senatum referebat, quando aliquo damno uos affici opus erat? minime uero alteri locus dicendi dabatur, at reli-

qua quidem iucunde ferre poterat ciuitas, quæ iste clàm admisit, unum uero istiusmodi ô uiri Athenienses struxit, quod prioribus omnibus finem imposuit, de quo plura uerba cõsumpsit, cũ Amphiseorum Locrensium scita exponeret, utpote cũ ueritatem peruerterit, res uero non ita se habet. quid ita? immo uero multum abest, nunquam enim abstergebis, quæ ibi abs te ipso facta sunt, non ita multa dices, inuoco. quidem in conspectu uestro uiri Athenienses Deos Deasq; omneis, quicunq; Atticæ regioni præsident, Apollinemq; Pythium, quod numen est urbi patrium, atq; hos omneis deprecor, siquidem uera uobis dixero, tuncq; statim in populo dixerim, cum primum hunc sceleratum uidi rem hanc attingere (noui equidem euestigio noui) ut secundam mihi fortunam præstent & salutem, sin autem ad simultatem aspiciens & priuatæ contentionis gratia accusationem huic falsam intendo, totius me reddant felicitatis expertem. Cur igitur ista amplificaui, ac ita uehemẽter exaggeraui, ꝙ cum habeam scripturas ex publico seruatas, ex quibus ista palàm facere possim, uosq; uideam patrata recordari. illud sum ueritus, ne facinoribus ab ipso admissis inferiorem hunc suspicemini, quod antea contigerat, cum, miseri Phocenses, effecit, ut perderentur, dum falsa huc reuersus renunciauit, in Amphise bellum, per quod uenit Philippus in Elatiam, & per quod in Amphictyonum Imperatorem assumptus fuit, qui cunctas res Græciæ subuertit, is est, qui unà illud instruxit, omniumq; fuit uir unus maximorum author malorum, & cum ego continuo attestarer, & in concione exclamarem, bellum in Atticam inducis ô Aeschines, bellum Amphictyonicum quidem, qui corro-

gati sedebant, me dicere non permiserunt, alij detestabantur, & q. falsam accusationem ob priuatum odium aduersus eum intenderem, suspicabantur, quæ fuerit uiri Athenienses harum natura rerum, & cuius gratia ista fuerint ante parata, & quomodo fuerint effecta, nunc audietis, quoniam tunc prohibiti estis, atq; rem quidem apte compositam uidebitis, et multum uobis id cõferet ad rerum publicarum cognitionẽ, ac quanta fuerit in Philippo malitia aspicietis, nõ poterat belli, quod aduersus nos gerebatur, finis haberi, neq; liberari Philippus, nisi Thebanos & Thessalos inimicos faceret ciuitati, sed quamuis misere & perdite Imperatores uestri cum eo pugnarent, tum ab eo ipso bello, & latronibus infinita mala patiebatur, nihil enim eorum, quæ ibi nascebantur, euehi poterat ex regione, neq; aliqd horũ ĩuehi, qbus ei opus esset, neq; mari tũc uobis potior erat, neq; in Atticam trãsmittere poterat, nisi Thessali eum comitarentur, & Thebani p ipsam regionem cursarent, contigit autem, ut quamuis bello ipso apprehẽderet quotcunq; duces uos quoquo tempore emiseratis, omitto enim hoc ultra explicare, præ tamen ipsa loci natura & eorum, qui utranq; partem sectabantur, affligebatur, si quidem igitur priuatæ gratia simultatis uel Thessalos uel Thebanos hortatus esset, ut aduersus uos proficiscerentur, nihil putauit eos sibi mentem adhibituros fore, quòd si captata rerum ad illos communiter pertinentium occasione Dux eligeretur, facilius futurum sperauit, ut hæc refutaret, illa uero suaderet. quid igitur aggreditur, uidebitis quàm cõmode, ut bellum moueat Amphictyonibus, ac circum Pylæam tumultum excitet, in has ipsas res suspicabatur continuo eius

opera ipsis opus fore. Si igitur cum uel aliquis ex Pylagoris, qui ab ipso mittebantur, aut quis ex eius socijs proposuisset, rem suspectã esse putabat, & apud Thebanos, & apud Thessalos, & omnes id animaduersuros esse. sin autem Atheniensis fuerit, & à uobis aduersarijs missus, qui id agat, facilime id posse latere, quod et succesfit. quo igitur pacto ista egit? hunc mercatur, cum nemo eam rem ante, ut puto, uidisset, neq; notasset, sicut eiusmodi apud uos fieri consueuere, propositus iste, cum esset Pylagoras, tribus quatuorúe ipsi suffragantibus electus extitit, ut uero sumpta ciuitatis authoritate ad Amphictyonas peruenit, cæteris rebus omissis, atq; contemptis, ea, pro quibus fuerat mercede conductus, absoluit, & cum uerba lepida & fabulas, quare Cirrhæa regio fuisset consecrata, struxisset, & enarrasset, homines loquendi imperitos, & qui quod esset euenturum non prospicerent, Pylagoras, ut decernerent, inducit qui regionem euaderent, quam Amphisei, cum sua ipsorum esset, se excolere dicebant. is uero consecratam regionem esse criminabatur, cum nullam controuersiam Locri nobis intenderent, neq; ea, quæ iste nunc dicendo causabatur, uera essent. inde enim percipietis, cum non liceret Locris, nisi certe euocarentur, iudicium aliquod aduersus ciuitatem mouere. quis ergo uos euocauit? sub quo magistratu? dic, qui illud resciuerit, ostende, uerum nõ habeas necesse est, at hoc falso cõmento abusus fuit, et mẽdacio. cum igitur ex suasione istius circuirent regionem Amphictyones, Locri dum accurrissent parum abfuit, qn omnes iaculis conficerent, ac quosdam ex Pylagoris corripuerunt. ut uero uel semel ob hæc criminatio, ac bellicus tumultus ad-

uersus Amphiseos cœpit concitari. primum Cottyphus ipso rum Amphictyonum exercitum duxit, ut autem alij non uenere, & qui uenerunt nihil effecere, sequenti in Pylas conuentu ad Philippum è uestigio imperium retulerunt, qui fuerant subornati, quiq; iam diu mali habebantur, Thessali cæteriq; ex reliquis ciuitatibus, idq; pro causa legitima sumpsere, quòd uel eos aiebant contribuere oportere, & externos milites alere, ac eos, qui ista nõ agerent, mulctare, aut eum in Imperatorem delegere. quid pluribus uerbis est opus? electus fuit ex his Imperator, & cum postea copias collegisset & profectus uelut in Cirrhæam, multa paritura minatus et Cirrhæis & Locris, Elatiam apprehendit, & nisi statim Thebani resipuissent, & nobiscum se copulassent, ueluti torrens hoc uniuersum malum in ciuitatem confluxisset, at ipsum derepente illi repressere, id certe potissimum uiri Atheniẽses ob alicuius ex Dijs erga nos beneuolentiam. Deinde, nihilominus & quoad per unum uirum effici potuit, etiam ꝑpter me. Da uero mihi decreta ista, ac tempora, quibus singula quæq; peracta fuere, ut cernatis quantam rerum molem hoc execrandum caput cum permiscuerit, pœnam tamen non luerit. Recita mihi decreta. DECRETVM AMPHICTYONVN. Pontifice Cleuagora in uerno cõuentu in Pylas uisum est Pylagoris & Amphictyonibus assessoribus, quoniam Amphisei uadunt ad regionem consecratam, & eam serunt, ac pecudibus depascunt, ut Pylagoræ eò se conferant Amphictyones & assessores, ac terminos ex columnis deijciant, Amphiseisq; interdicant, ne in posterum eò se conferant. ALTERVM DECRE-

TVM. Pontifice Clenagora in uerno conuentu in Pylas, uisum est Pylagoris, & Amphictyonibus assessoribus, ac ipsi Amphictyonum publico conuentui, quoniam Amphisei regionem consecratam inter se diuisere, eamq; colunt, & pecudibus depascunt, & cum id agere prohiberentur, armis occurrentes, publicum Græciæ conuentum per uim impediuere, quosdam uero uulneribus confecere, Ducemq; præsertim Amphictyonum Cottyphum Arcadem appellatum, legatos mittēdos fore ad Philippum Macedonem, qui petant, ut opem ferat, & Apollini & Amphictyonibus, & ne patiatur ab impijs Amphiseis Deum iniuriose tractari, atq; ob id ipsum in Imperatorem summæ potestatis Græci sibi deligunt, qui consessus Amphictyonum sunt participes. Recita iam & tempora, quibus ista facta fuere. extat enim per quæ tempora iste Pylagoræ munus obierit. Recita. TEMPORA. Dum præsideret Mnesithides XVI. Calendas Decembris. Da mihi epistolam, quam, ut Thebani non paruere, ad socios, qui erant in Peloponēso, misit Philippus, ut & ex hac aperte perspicere possitis, quòd ueram rerum tractationem, dum ista in Græciam & Thebanos ac uos moliretur, celauit, communia autem Amphictyonum dogmata se exequi finxerit, qui uero hæc adminicula & occasiones ipsi præstiterit, is fuit. Recita. EPISTOLA PHILIPPI. Rex Macedonum Philippus, Peloponnensium, qui in societate sunt Tribunis, & assessoribus, ac reliquis omnibus socijs, salutem dicit. Quoniam Locri, Ozolæ appellati, qui Amphisam incolunt, deliquerunt in templum Apollinis Delphici, & regionem consecratam armis aggressi, depopulati fuere, uo-

lo uobiscum Deo opem ferre, & propellere eos, qui id pietatis, quod inter homines uiget, contemnunt, ita, ut eis obuiam eatis cum armis in Phocide uobiscum deferentes commeatum X L. dierum, idq́; aggrediamini præsenti mense Augusti, quem nos Oloon, Athenienses Boedromionem, Corinthij Panemon appellant. his quidem, qui obuiam ire noluerint, passim utemur: consiliarios autem, qui à nobis nō stabūt, dāno afficiemus. Valete. Videtis'ne ut fugit, et ad peculiares causas & Amphictyonicas confugit? quis igitur ista ei præmuniuit? quis est, qui ei has occasiones dediderit? quis est, qui malorum, quæ euenere, fuerit maxime author? non'ne iste? ne igitur dicite uiri Athenienses circumeuntes, quòd ab uno homine istiusmodi Græcia passa fuerit, nō ab uno, sed à multis & nequam hominibus, qui apud quosq; sunt, ô terra & Dij, quorum unus is est, quem, si nihil cauere oporteat, ut ueritas in lucem efferatur, non uererer ego omnium dicere communem perniciem, qui postea periere, hominum, locorum, ciuitatum. qui semen præbuerit, is est, qui succrescētium malorum causa fuit, quem quo'nam pacto iam statim intuentes alio abscedere non feceritis, admiror, nisi, quòd, ut uidetur, tenebræ quædam uos plurimum impediunt ad ueritatem cernendam. Contigit ergo mihi, dum ea attigerim, quæ iste aduersus patriam admisit, ut ad illa deuenerim, quæ, istis dum repugnarem, ipse in Republica gessi, quæ me dicentem multis de causis merito audire debebitis, præsertim uero quia turpe est uiri Athenienses, si ego res quidem uestras laboribus meis sustinuerim, uos'ne ipsarum quidem rerum uerba toleretis. Cum equidem aspicerem, Thebani propemodum &

uos ab his, qui res Philippi gerebant, & apud utrosq; res uestras contaminabant, quod certe ambobus timendum, & multa custodia obseruandum erat, quòd negligenter, sineretis Philippum propagari, & id despiceretis, ac ad nullã rem aduerteretis, cum alioquin ad odia et altercationes inter uos exercendas prompti essetis, quomodo id ne fieret animo in eã rem intenso id ipsum perfeci, non quòd mea solum ipsius sententia ista conferre persuasus essem, sed quòd uiderim Aristophontem, ac rursus Eubulum, qui per omne tempus huic amicitiæ ineundæ studuerunt, ac cum plerunq; inter se cæteris in rebus dissiderent, in eius tamen rei eandem sententiam semper conuenisse, quos dum uiuerent Catamitæ eblandiendo sequebaris, mortuos uero arguere non uerecundaris. in his enim, quæ mihi de Thebanis imponis, illos magis quàm me accusas, qui priores ante me istam societatem laudarunt. sed eò reuertor, quòd cum bellum in Amphisse is gereret, cæteri uero eius adiutores inimicitiam aduersus Thebanos concluderent, accidit, at Philippus in nos proficisceretur, cuius gratia ciuitates isti labefactarant, & nisi parumper præsensissemus, ne facultas quidem nos ipsos redimendi nobis superfuisset, ita eousq; isti rem produxerant, in quo uero statu uicissim reperiamini, hæc decreta & responsa audiendo intelligetis. ac mihi recita, ea in manibus sumendo. DECRETUM. Consule Heropythe VII. Calendas Martij, Tribu Erectheide in Prytaneo præsidente, ex Senatus & Imperatorum sententia, quoniam Philippus aliquas comprehendit ciuitates finitimas, quasdam uero depopulatus fuit, in summaq; ad Atticam aduentare parat, inter nos conuẽta par

uipendendo, & iuramenta soluere conatur, ac pacem, publica fide neglecta, relatum esto ad Senatum & populum, ut ad eum legati mittantur, qui ei comprobent, ipsumq́; maxime hortentur, ut concordiam nobiscum initam obseruet, pariter & conuenta, quòd si id non fecerit, ut de ea re consultari posſit. Tempus ciuitati ut impartiatur, induciasq́; subeat usq; ad mensem Aprilis. Electi fuere ex Senatu Simus Anagyrrhasius, Euthydemus Phlyasius, Bulagoras Alopecethe. ALIVD DECRETVM. *Consule Hero pythe Pridie Calēdas Aprilis ex Polemarchi sentētia, quoniam Philippus solicitat ut Thebani abalienentur à nobis, paratusq́; est uniuerso exercitu ad finitima Atticæ loca peruenire, transgressus, quæ nobis cum eo constant, fœdera. Relatum esto ad Senatum ac populum, ut præco & legati ad eum mittantur, qui petant, & ab eo exorent, ut inducias faciat, ut quoad fieri liceat populus deliberare posſit, cum adhuc non statuerit, an salua modestia auxilium ferre posſit. Electi fuere ex Senatu Nearchus Sosinomi, Polycrates Epiphronis, & præco Eunomus Anaphlystius. ex plebe recitaiam & responsa ipsa.* RESPONSVM AD ATHENIENSES. *Rex Macedonum Philippus Senatui populoq́; Atheniensi salutem. Quam à principio erga nos uoluntatem haberetis, non ignoro, & quod studium adhibueritis, ut Thessalos et Thebanos insuper & Bæotios ad id hortaremini, ipsi cum melius saperent, neq; uellent eorum uoluntatem ponere in uestra potestate, uerum pro corū utilitate subsisterent, nunc cum fallaciter uos ad me miseritis legatos & præcones conuenta ad memoriam reducitis, & in-*

ducias petitis, cum nulla in re à me sitis perculsi. Ego tamen cum legatos audierim, assentior postulatis, & paratus sum inducias facere, si eos, qui uobis non recte consulunt, repuleritis, & dedecore, ut par est, affeceritis. Valete. RESPONSUM AD THEBANOS. Rex Macedonum Philippus Senatui populoq; Thebano salutem. Accepi literas uestras, quibus mihi concordiam & pacem renouare uidemini, audio tamen ad uos propterea Athenienses omnem honorem referre, cum uelint per ipsos postulata à uobis comprobari, prius etenim uos cognoui, cum eorum promissis stare studebatis, ipsorumq; uoluntati obsecundabatis, nunc autem uos intelligere, quæ illi à nobis quæsierint, quodq; potius uobis est pacem habere, quàm aliorum sequi uoluntatem, persensi, & ualde quidem uos laudo, cum ob multa tũ præsertim, quòd his de rebus magis caute consulturi estis, & quòd res uestræ erunt positæ in nostra beneuolentia, quod non mediocris spero uobis futurum momenti, si in ista sententia manseritis. Valete. Ad hunc modum ciuitates cum dispo suisset Philippus inter se istorum opera, & his suspensas teneret decretis & responsis, collecto exercitu peruenit, et Elatiam cepit. quasi si quid fieret, non amplius uos & Thebani essetis conspiraturi. At qui tumultum, qui tunc per urbem fremebat, sensistis omnes, pauca audietis tamen, eaq; summe necessaria. Vesper erat, cum quidam ad Prytaneos uenit nunciauitq; captam Elatiam, hiq; re audita, è uestigio consurrexere, dum interea cœnarent, eosq;, qui erant in tabernaculis, quæ ad forum sunt, concitarunt, tectaq; ipsa castrensia combussere, alij Duces accersiuere, & tibicinem uocarunt,

runt, ac cum trepidatione ciuitas repleta esset, postridie eius diei prima luce præfecti prætorio Senatum in curiam uocabant, uosq; in concionem ibatis, & antequam aliquid cũ populo ageretur, & à Senatu, prius quicquam statueretur, uniuersus populus superiori parte consederat, ac postea ut introiuit Senatus, & retulissent præfecti prætorio, quæ ipsis nunciata fuerant, nunciumq; producerent, & is ea dixisset, interrogabat præco, quis concionem habere uellet, nullusq; prodiret, & sæpenumero præco itidem interrogasset, nihilo magis exurgere aliquis uoluit, cum omnes Imperatores adessent, omnes Oratores, cum publica patriæ uox inuitaret, & aliquis pro eius salute diceret. quam enim præco ex legibus uocem edit, hæc patriæ communis iure putanda est, proinde, si quoscunque prodire oportebat, qui uellent ciuitatem seruari, uos omnes & reliqui Athenienses exurgendo in suggestum conscendere debuissetis. omnes enim probe noui, quòd ipsa seruaretur, uolebatis, idq; facere debuissent, siue ditissimi quique, qui trecenti appellantur, siue hi, qui utroque pollent & beneuolentia erga ciuitatem, & diuitijs, quiq; post hæc, immensa munera Reipublicæ contulerunt, idq; pro charitate erga patriam, & fortunis, quas habent, fecerunt. At ut uidetur illa occasio & dies ille non solum beneuolum & diuitem uirum postulabat, sed & qui rerum ipsarum tractationi principio interfuisset, quiq; recte iudicare posset, cuius rei gratia hæc fecisset Philippus, & quid per ea uellet. qui enim ista non nouerat, & qui de longe accurate rem minime examinasset, neque si beneuolus esset, neque si opulentus, nihilo plus ea sciturus erat, quæ fieri oporteret, neque uobis

poterat consilium præbere. Apparui igitur ipse egomet illa die, & prodiens ad uos dixi, quæ duabus de causis à me audire debetis, mihi mentem adhibendo, rimum quidem, ut cernatis, quòd solus ex Oratoribus, & his, qui Rempublicam administrabant, ego beneuolentiæ aciem in arduis non deserui, sed & dicendo, & decernendo, quæ è re uestra essent, perquisierim in ipsa rerum formidine. Deinde, quòd cum parum temporis sitis deperdituri, multo tamen peritiores ad reliqua totius Reipublicæ capessenda estis euasuri. Dixi igitur, quòd eos, qui, uelut Thebani tanquam eius amici à Philippo starent, ualde trepidarent, præsentem rerum statum ignorare ego putabam. recte enim noui, quoniam si id ita consecutus esset, non ipsum audiremus in Elatia esse, sed in nostris finibus, quòd tamen, ut in promptu haberet res Thebanorum, uenerit, manifesto scio, ut autem ista se habeant, aiebam, me audietis. ille enim, quibus ex Thebanis, uel pecunijs suadere, uel quos fallere licuit, omnes subornauit, quos uero ab initio sibi habuit repugnantes, ac in præsentia aduersarios, eos nunquam poterit pro se inducere. quid ergo uult, & cuius rei gratia Elatiam comprehendit, cum propius copias ostentasset, & arma admouisset, ut id efficeret, quod eius amici illi confiderent, eosq; expelleret, aduersarijs autem terrorem incuteret, ut uel deterriti ea sinerent, quæ in præsentia nolunt, uel ad id cogerentur. si igitur nos, dicebam, præsenti tempore illud potius delogerimus, si quid graue inter uos & Thebanos aliquando intercesſit, ut eius rei meminisse uelimus, & eis fidem non præstare, ueluti his, qui starent ab hostibus nostris. primum ea, pro quibus uota fe-

cit Philippus, faciemus. deinde, uereor, ne si præterea ij se se receperint, qui nunc illi aduersati fuere, & in eandem sententiam omnes pro Philippo conspirauerint, in Atticam ambo proficiscantur. ueruntamen si mihi fidem adhibueritis, & propitij fueritis, ea considerando, non ad contentionem, adducendo quæ dixero, existimo & ea, quæ deceant, me dicere uisum iri, & instans ciuitati periculum soluturum. quid igitur dico. primum oportere præsentem timorem superare, deinde, omnes conuerti, & formidinem pro Thebanis suscipere. multo enim periculis sunt propinquiores, ac ipsis prioribus discrimen imminet. deinde, ut hi, quibus per ætatem licet, ac equites exeant ad Eleusinam, omnibusq; ostendãt uos ipsos in armis esse, ut his, qui apud Thebanos rebus nostris sunt affecti, peræque detur facultas pro iure uestro libere loquendi, cum nouerint, quòd sicuti his, qui Philippo patriam uendiderunt, adest, ut eis opem ferat, exercitus in Elatia, ita illis, qui uelint pro libertate decertare, uos præsto futuri sitis, & auxilium laturi, si quis aduersus eos proficiscatur. postea, creari iubeo X. legatos, eisq; fieri potestatem unà cum prætoribus quousq; opus fuerit, illuc eundi & proficiscendi. cum uero legati Thebas uenerint, quo pacto uobis ea res tractanda fuerit, mihi admodum animum attendite. nulla enim in re Thebanorum opera indigetis. indecora enim esset ea occasio. uerum polli:eri debetis uos opem laturos, si id petierint, utpote, cum illi ad extrema pericula sint redacti, res autem melius quàm ipsi quod euenturum esset, prospiceremus, ita ut si quidem ista admiserint, & uobis fidem præstiterint, & quæ cupimus persequamur, ac ea sub eiusmodi

figura peragamus, quæ ciuitati conueniat. quòd si id contigerit, ut illud non insequatur, illi quidem se ipsos reprehendant pro his, in quibus peccarint, nobis uero, ut id inuri nō possit, quod aliquid indignum, aliquid infame fecerimus, hæc & his similia cum dixissem, descendi, dum omnes me laudassent, & nemo aduersus ea quicquam eiusmodi diceret, non dixi hæc quidem, neque ad Senatum retuli, ne ad Senatum retuli quidem, neque legationem obiui, ne legationem quidem obij, neque Thebanos ad id induxi, uerum ab initio per omnia ad exitum usque permeaui, ac me ipsum pro uobis perspicue impendentibus ciuitati, periculis me commisi. Atque mihi affer decretum, quod tunc latum fuit. Proinde, te, quem uelis Aeschines, & quem illo die me ipsum esse uoluisti, concedam. uis'ne me eiusmodi qualem, cum tu uituperares, & carperes, Batalum uocaueras, te uero non uulgarem quidem heroa, sed quendam ex his, qui à Scena sunt, Cresphontem, aut Creontem, aut quem in Colytthæa Tribu, Oenomaum cum male representaris, inquinasti? Tunc ergo eo tempore ipse Pæanicus Batalus te Oenomao Cothocide magis dignus patriæ uisus fui. Tu quidem nulla in re ex usu fuisse uideris, ego omnia, quæ decent uirum probum, peregi. Recita decretum. DECRETUM DEMOSTHENIS. Consule Nausicleo, Tribu Aeantide præsidente, XVI. Calendas Iunij, Demosthenes Pæanicus Demosthenis filius dixit, Quoniam Philippus Macedonum Rex, & præteritis temporibus transgressus esse uidetur inter eum & populum Atheniensem, conuenta de pace iuramenta contemnens, & ea, quæ apud omnes Græcos iusta esse putantur,

ac ciuitates excerpit, quæ nihil ad eum pertineant, quasdam etiam, cum sint Atheniensium in potestatem suam ui redegit, cum nulla in re à populo Atheniense fuisset iniuriosè lacessitus, præsentiq́; tempore multo maiori & uiolentia & crudelitate prouehitur, Græcasq́; ciuitates, quas immissis præsidijs occupat, ac Respublicas subuertit, nonnullas ductis ex eis captiuis, solo exæquat, in alias quidem, & loco Græcorum, Barbarorum colonias deducit in templa, & sepulchra insultando, nihil faciendo quod sit alienum uel ab eius patria, uel consuetudine, ac ea, quæ illi adest, fortuna, ad satietatem usque abutendo, sui oblitus, quòd ex infimo, & abiecto satis superq́; magnus euasit. ac quousque ciuitates uidebat eum abripere barbaras & priuatas, putabat cõtemnendum esse populus Atheniensis, si in ipsum aliquid delinqueret. nunc autem cum uideat Græcas ciuitates has quidem contumelia affectas, illas autem euersas esse, graue ducit esse, & indignum gloria maiorum, ut Græci respuantur, qui in seruitutem abducuntur. propterea latum esto ad Senatum & populum Atheniensem, cum fuerint id deprecati, ac sacra Dijs, & Heroibus fecerint, qui ciuitatem tuentur, & Atheniensium regionem, & superiorum uirtutem ad memoriam reuocauerint, quòd magis propterea ducebant Græcorum libertatem custodiendam fore quàm propriam ipsorum patriam. Ducentas naues in mare demittendas esse, ipsarumq́; nauium præfectum enauigare intra Pylas usque, Ducemq́; & prætorem pedestres & equestres copias ad Eleusinam adducere debere, mittendosq́; legatos ad cæteros Græcos. primumq́; omnium, ad Thebanos, quoniam eorum re-

gioni finitimus sit Philippus, ipsosq; hortandos esse, ne quoquo pacto præ Philippo trepidarent, suam & Græcorum libertatem retinerent, quodq; populus Atheniensis nihil ueterum iniuriarũ recordatus, si qua in re prioribus temporibus ciuitates inter se dissidissent, est opem laturus & copijs, & opibus, & sagittis, & armis, illud non ignorans, quòd ipsos inter se, ut contendant de Græciæ principatu, Græci cum existant, deceat, hominis alienigenæ dominatu premi, ac principatu expoliari indignum esse & Græcorum gloria, & maiorum uirtute. Hoc amplius neque exterminari esse existimat populus Atheniensis populum Thebanum, uel cognatione, uel uicinitate, commemorent quoque eiusdem populi maiorum erga Thebanorum superiores beneficia, quodq; Herculis liberos ab Peloponnesijs Regno paterno spoliato restituerint, armis eos superando, qui tentassent Herculis posteritati repugnare, ac quòd Oedipum, & eos, qui unà cum eo obuiam facti fuerant, suscceperimus, atque pleraque alia nobis constent perhumana, & laudabilia erga Thebanos, ea propter neque in præsentia temperaturus sit populus Atheniensis ab his, quæ Thebanis, & reliquis Græcis futura sint utilitati, utq; cũ eis societatem contrahãt, & affinitatem ineant, ac iuramenta præstent, & accipiant. Legati Demosthenes Pæanieus Demosthenis, Hyperides Sphetius Cleandri, Mnesithides Phrearrhius Antiphanis, Democrates Phyeus Sophili, Callefchrus Cothocides Diotimi filius. Hoc Thebanarum fuit rerum principium, primusq; status, quæ ista præcesserant, in inimicitiam, & odium, & infidelitatem ciuitatum, quæ ab istis in id inducebantur, deriuabant. hoc decre-

tum impendens, tunc ciuitati periculum, ut euanesceret uelut nebula, effecit. erat igitur æqui ciuis tunc omnibus manifestum facere, si quid his melius haberet, non autem præsenti tempore nos coarguere. Consultor enim, & calumniator, quamuis cæteris in rebus nihil sint inter se pares, in eo tamen plurimum differunt, quòd ille ante rerum euentum, animi sui sententiam palàm faciat, seq́; obnoxium dedat his, qui eius fidem fuerint sequuti pro fortuna, opportunitate, ac re, quæ in consultationem deuenerit, is quidem cum tacuerit, dū dicere oportebat, si quid euenerit aduersi, illud obiectat. erat igitur (ut dixi) tempus illud eius uiri, qui ciuitatem charam haberet, & iusta eloqui uellet. ego certe tantam insuper facio cuique potestatem, ut si quis nunc possit aliquid melius ostendere, aut si quid in summa fieri potuisse præter ea, quæ ego decreueram, uel me deliquisse confitear, quòd si quid est, quod aliquis nunc primum uiderit, quod afferre debuisset, cum illud ageretur. hoc ego dico, me minime latere debuisse. sin neque est, neque fuit, neq; unquam aliquis habuerit, hodiernaq́; die habeat, quod dicere possit, quid consultorem facere oportuit. nonne ut ex his, quæ ab eo cernebantur, quæq; sub luce erant exposita, ea eligeret, quæ potiora uiderentur? id ergo perfeci, præcone rogante Aeschines, quis loqui uellet, non quis præterita accusare, neque quis futurorū sponsor esse uellet. Cum autem tu mutus eo tempore in concionibus sederes, ego prodiens Orationem habui, & cum non tunc, sed in præsentia te ostendas. dic, quæ fuerit ratio, quam inuenire opportebat, uel quæ ex usu oportunitas, quæ per me ciuitati deperierit, quæ certe societas, quæ actio, ad quam

potissimum me istos adducere oportuisset, uerum præteritorum ratio semper apud omnes omissa fuit, neque unquam aliquis de his consilium habēdum proposuit. futura enim, uel præsentia consultoris officium desiderant. tunc igitur quædam periculosa, ut uidebatur, partim futura timebantur, partim iam instabant, in quibus consultationem meam pro Republica perpendas, quæ euenerint, ne calumnieris, exitus ut Deus uoluerit, res omnes consequitur. deliberatio autem ipsa animum consultoris ostendat oportet. ne igitur hoc uelut delictum mihi impingas, quòd Philippo euenerit, ut in pugna superior fuerit, in numine enim eius rei finis non in me positus erat, sed quòd non omnia quæcunque humana ratione fieri poterant, decreuerim, eáq; iuste & accurate peregerim, & laboriosæ ac supra uires meas, uel si quòd non laudabilia & ciuitate digna proposuerim, ac necessaria, hæc mihi ostendito. ac tunc demum me accusa, quòd si fulmen, aut procella, non uos solum, sed & reliquos omnes Græcos multo magis sorte quadam percussit, quid erat agendum? ueluti si quis nauicularium, qui omnia pro salute egisset, & nauigium rebus omnibus aptasset, per quæ illud seruari posse putabat. deinde, tempestate inuasum, eiq; instrumentis omnibus fatiscentibus, uel prorsus cōtritis, naufragij accuset, sed neq; nauē gubernabā, diceret ille, sicut neq; ego exercitū ducebam, neque fortunæ dominus fui, sed illa omnium. uerum illud ratiocinare, & contemplare, si nobis Thebanis, adiunctis decertantibus, sic fata habebant, ut res succederent, quid fuerat sperandum, si istos socios non habuissemus, sed cum Philippo se copulassent, pro qua re tūc ille uni-

uersam uocem consumpsit. Atque si trium dierum itinere ab Attica eiusmodi pugna commissa tantum discriminis & timoris circunstitit ciuitatem, qd diceres, si in regione hæc eadem calamitas contigisset, expectandum fuisse? putatis'ne igitur quòd nunc hoc in loco staretis, conueniretis, respiraretis? multa dies unus, duo, ac treis eorum, quæ ad salutem facerent, ciuitati contulerunt, quæ tunc si quis dixisset, indignum fuisset, quæque ne degustaretis, alicuius ex Dijs beneuolentia effecit, & societas, quæ ciuitati huic propugnaculum se constituit, quam tu accusas, sunt hæc omnia à me multis certe uerbis, ad uos dicta uiri iudices, & ad eos, qui ab hoc iudicio alieni sunt, astantes, & auditores, quoniam, quantum ad hunc ipsum despicatissimum attinet, breuis, eaq; clara sufficit Oratio, si quidem tibi compertum erat, quæ futura essent Aeschines, & soli quidem præ cæteris, cum ciuitas de his in consultatione esset, tuum erat tunc ea prædicere. quòd si ea non præuideras, eadem ignoratione cum cæteris es inuolutus. quare cur magis me tu ob ista accusas, quàm ego te possum. eo enim melior ego quàm tu ciuis fui in hæc ipsa, quæ dico, atque nondum de reliquis edissero, quo magis ego me ipsum in ea immisi, quæ omnibus uiderentur è Republica esse, nullum etiam proprium periculum deuitando nec alicuius rei rationem habendo, tu certe nihil, quod his melius esset, dixisti. neque enim eius, quod dixisses aliquem usum habere uoluissent, neq; si qua in re prodesse potuisses, tui præsentiam fecisses. quod enim nequissimus, & insensissimus homo pro ciuitate egisset, hoc tu ex rerum euentis fecisse deprehensus fuisti. At qui, sicut Aristratus pariter in Naxo

& Aristolaus in Thasso, qui semel iudicati sunt hostes ciuitatis, Atheniensium amicos in iudicium capitis uocant, sic Athenis Aeschines Demosthenem reum facit. Proinde, cui Graeciæ calamitates probare in animo sedeat, hunc magis conuenit de medio tolli, quàm alium accusare, & cui ipsæ conferunt occasiones, quæ & hostibus ciuitatis, fieri nõ potest ut is patriæ sit amicus, te notum facis ex his, quæ per uitam admittis, & agis, & in Republica administranda cõmittis. itemq; dum Rempublicam curare omittis, tractatur quid eorum, quæ Reipublicæ conferre uideantur, mutus est Aeschines, incurrit aliquid, & gestum est, quod minime fieri oporteat, præsto es Aeschines, ueluti partes corporis conuulsæ, & effractæ, si quid corpus ipsum apprehenderit, tunc ipsæ erumpunt. Cum uero in rerum euenta nimium incumbat, uolo quædam incredibilia referre. Atque me, per Iouem, & Deos, nemo, si modum excessero, admiretur, sed beneuolo animo ea, quæ dixero, perspiciat. quamuis enim perspecta fuissent quæ erant euentura, & omnes præuidissent, & tu ea prædixisses Aeschines, & attestatus fuisses, uociferando, & exclamando, qui tum ne uocem quidem emisisti, non ad eum modum ciuitati ab his erat desistendum, si uel gloriæ, uel maiorum, uel futuri seculi rationem habuisset, in præsentia quidem quòd rerum euentu frustrari uideatur, illud omnibus commune est mortalibus, postquam Deo id ita uisum fuerit, per id quidem temporis, cum inter alias, hæc ipsa ciuitas principatum merito teneret, si ab ea prouincia destitisset, culpam sustinuisset, quòd omnes in potestatem Philippi dedidisset, sin ea quidem abijcere grauata fuisset, pro

quibus quoduis periculum maiores subire non refugerunt, quis te contemptui non haberet? non ciuitatem quidem, neque me, quibus oculis, per Iouem, aspiceremus eos, qui ad hanc ciuitatem homines accederent, si res in eo statu manerent, in quo ad præsens existunt. Imperator uero & dominus omnium delectus fuisset Philippus, & ne ea fierent reliqui, præter nos, repugnassent. at qui ista nunquam ciuitas prioribus seculis, uitæ scilicet tranquillitatem, in gloriam magis quàm honestatis causa, discrimen aliquod delegisset. quis enim Græcorum non nouit, quis'ue Barbarorum, quòd & à Thebanis, & ab eis, qui istis antea eo amplius potentes erant, Lacedæmonijs, & ab ipso Rege Persarum, multa cum gratia illud libenter ciuitati concessum fuisset, ut caperet quodcunq; uellet, & sua retineret, si imperata facere uoluisset, ac permisisset, ut alius haberet Græciæ principatum, at iste Atheniensibus mos patrius non fuit, neque eum ferre unquam potuerũt, neque eis à natura ille insitus erat, neque potuit unquam ciuitati aliquis quouis tempore suadere, ut potentibus, non iure agentibus, adiuncta præ uitæ securitate eis inseruiret, uerum, cum dimicasset, ut primas haberet, honorisq; et gloriæ gratia pericula non deuitasset, per omnem ætatem in ea uoluntate perseuerauit. Atque ista ita reuerenda & nostri moris propria uos esse existimabatis, ut maiores, qui ista fecerint, maxime laudetis, & merito. quis enim non admiretur uirorum illorum uirtutem, qui regionem, & ciuitatem deserere uoluerunt, ut triremes conscenderent, ne facerent imperata. Cum Themistoclen, qui illa suaserat, Imperatorem delegissent, & eum, qui mandatis parendum fore statue-

rat Cyrsilum, saxis facta lapidatione, obruissent, non ipsum solum, sed & mulieres uestræ uxorem ipsius. nō enim qui tunc erant Athenienses oratorem perquisiere, non Imperatorem, per quem tranquille in seruitute agerent, uerum ne sibi quidem uiuendum fore existimabant, nisi unà cum libertate ipsis hoc agere licuisset, quisq; enim eorum putabat, non patri matriq; solum se esse natum sed & patriæ, quid uero illud refert? ꝙ is, qui parentibus solum se natum esse putet, fatalem naturalemq; mortem expectet, qui uero & patriæ se genitum ducat, ne eam uidear inseruientem, is ultro mortem appetere nō deuitabit, & magis formidolosam eam contumeliam reputabit, & infamiam, quæ in seruitute ciuitati ferenda esset, quàm mortem. si hoc igitur dicere nitebantur, ꝙ ego uos induxerim ut digna maioribus uestris saperetis, non est, ut aliquis mihi iure succensere possit. Nunc ego animi quidem uestri eiusmodi consilia in apertum profero & palàm facio ꝙ & ante me eam mentem ciuitas habuerit, qui uero in singulas quibusq; rebus gestas fuerit administer, me ipsum fateor earum participem fuisse, is certe ꝙ de omnibus me criminetur, petatq; uos animo in me irato esse, utpote qui formidinum & periculorum ciuitati, author fuerim. id agit, quia præsenti ornamēto me cupit expoliare, & à uobis sempiternam laudem auferre, si quidem uelut ego non optime Rempublicam administrauerim id decreueritis, uos peccasse uidebimini, non iniquitate fortunæ casus pertulisse. At non est, non est, ut dici possit uos deliquisse uiri Athenienses, dum pro omnium libertate et salute pericula subieritis, non per illos maiores, qui pro uobis in Marathone in uitæ discrimen se immisere, & qui in platæis

in acie steterunt, et qui in salamine nauali pugna decertarunt, et q in Artemisio pugnarūt, et plerosq́; alios publicis traditos monumentis uiros fortes, quos omnes cum peræque eodem honore ciuitas decorasset, publica sepultura affecit ô Aeschines, non solos qui prospere egisset, neq; qui uictores fuissent, & merito, quod enim erat muneris fortium uirorū, eo omnes functi fuerunt, fortuna certe, quam Deus cuiq́; tribuisset, ea usi fuere. Deinde ô scelestc & furcifer scriba tu, cum uelles me honore & benignitate, qua hi me ꝓsequuntur, defraudare, Trophæa & pugnas antiquorumq́; facinora commemorabas, quorum uidelicet mentione hæc nostra præsens contentio indigebat. Ego contempte histrio, cum inconsultatione, ut principatum tenerent, ciuitati adessem, cuius nam animum assumere debebam, ut suggestum ascenderem, an eius, qui istis indigna proponeret, iuste enim me interfecissent. at uero neque uos uiri Athenieñ. ab eodem sensu & priuatarum & publicarum actionum iudicium ducere oportet, uerum quotidiana uitæ cōmercia ad priuatas leges et acta illa considerando referre debetis. cōmunia uero ciuitatis consilia ad magnitudinē rerum à superioribus uestris gestarum respiciēdo. atq; præter fasces, & imperij insignia ciuitatis amplitudinem quenq; uestrum par est cogitare debere sibi subeundam fore cum ad res urbis tractandas accesseritis, si illis digna uos putatis facere debere. sed cum inciderim in res gestas à maioribus uestris, fit ut quædam decreta & facta prætermiserim, reuerti igitur uolo eò, unde in hæc ipsa digressus fui, ut igitur Thebas peruenimus, comperimus Philippi & Thessalorum, ac reliquorum sociorum legatos adesse, amicos quidem no-

ſtros timere, illius uero confidere, ꝙ iſta quidem non ad mei ipſius commodum dicam, recita mihi epiſtolam, quam tunc miſimus primo quoq; tempore, cum in legatione eſſemus pro- inde iſte tam uehementi calumnia uſus fuit, ut ſiquid eorum, quibus opus erat, fuerit profectum, tempus non me eius rei cauſam fuiſſe dicat, eorum quidem omnium, quæ ſecus euene re me ſortemq; meam in cauſa fuiſſe. Ac ut uidetur, cum con- ſultor ſim & Orator, eorum, quæ oratione & conſilio facta ſunt nullius unà cum ipſo uideor author fuiſſe illorum uero, quæ in armis & per exercitum infeliciter ſucceſſere, ſolus fuiſ ſe machinator, quo pacto quis inueniri poſſet immanior ca- lumniator aut magis quàm iſte deteſtabilis. recita epiſto- lam. EPISTOLA. Cum igitur concionem aduocaſ- ſent, prius illos induxerunt, quoniam illi ſociorum numero erant, & cum prodijſſent, uerba facere, multum quidem Philippum laudãdo, multum uero uos accuſando, omnia quæ- cunq; aliquando aduerſus Thebanos feciſſetis, ad memoriam reducendo, in ſumma ergo poſtulabant, ut pro his rebus, in quibus Philippus de eis benemeritus eſſet, gratias ipſis redde rent, quibus autem in rebus à uobis male tractati fuiſſent, ut pœnas ſumerent, quoquo pacto poſſent, ſiue ipſi in uos pro- ficiſcerentur, ſeu unà cum eis Atticam adorirentur, atq; oſtẽ derunt, ut exiſtimabant, ex his, quæ ipſi ſuaſerant, ꝙ ex At tica pecudes & mancipia ac alia commoda ad Bœotiam ſint deuentura, ex his quidem, quæ nos dicturi eſſemus aie- bant futurum, ut omnia Bœotiæ bona per bellum diriperen- tur, & multa inſuper alia, quæ tum omnia ad eam rem ꝑtine rent, dixerunt, quæ uero nos ad iſta reſponderimus, ſingula

quæq;, ut referre possem, pluris ego facerem, quàm in hac uita manere uos certe uereor, ne rati præteritorum temporum uelut rerum diluuium fuisse, superuacaneam quandam perturbationem, si de his uerba faciam, id esse putetis, quæ igitur nos suaserimns, ac quæ nobis responderint, audietis. Recita, illud in manibus sumens, RESPONSVM THEBANORVM. Postea igitur uos appellarũt & accersiuerunt, uos exiuistis, & auxilium tulistis, ut quæ in medio sunt, prætermittam, ita familiariter nos susceperunt, ut cum foris pedites & equites essent, intra domos & ciuitatem exercitus fuerit receptus inter liberos & coniuges, cæteraq; charissima porro die illo, tria pulcherrima laudationum genera omnibus hominibus erga uos declarauerunt, unũ fortitudinis, alterum iustitiæ, postremum quidem temperantiæ, & cum pugnam uobis adiunctis non aduersus uos ineundam statuissent, & potiores esse ac magis quàm Philippum uos æqua petere iudicauerunt, & cum ea, quæ apud ipsos apudq; cæteros plurimæ sunt obseruantiæ, liberos scilicet & uxores uobis commendassent, de uobis temperantiæ fiduciam habere præ se tulerunt. quibus omnibus in rebus uiri Athenienses, de uobis recte uisi sunt censuisse, neq; enim cum ciuitatem exercitus introiuisset, aliquis quicquam uel etiam iniuste de uobis conquestus fuit, ita modestos uos ipsos exhibuistis. bis autem cum in acie unà cum eis steteritis illis prioribus pugnis, una circum flumen, alteram ad Chimerinem non reprehensione indignos solum uos ipsos, sed & admirandos ostendistis præ specie exercitus, aciebus, & animorum alacritate. quas ob res apud reliquos quidem uobis laudes eue-

nere, à uobis autem Dijs sacrificia & supplicationes. Atque *ego quidem libenter rogarem* Aeschinem, *cum ista agebantur , & felicitate, ac lætitia,& cantilenis ciuitas redundaret, num unà cum multitudine libauerit, & fuerit congratulatus, an ægræ ferens, & suspirans, ac molestia præ rebus publicis affectus domi manserit . si enim intererat , & cum alijs rem expendebat , quo pacto non indigna facit, multo uero magis quo pacto non impia, si quarum rerũ uelut optimarum ipse testes* Deos *adhibuit, has res uelut non optimas esse nunc à uobis decerni petat, qui iureiurando* Deos *estis obtestati.sin autem non aderat, quo modo non dignus est,ut sæpius fuerit de medio sublatus, si quibus rebus cæteri lætabantur,hæc cum intueretur, odio habuerit.* Recita *mihi ista decreta.* DECRETA SACRIFICIORVM.

*Igitur nos quidem in sacrificijs tunc eramus occupati,*Thebani *uero in eo, ut existimarent se per uos esse seruatos, & eos, qui auxilio indigere uidebantur, illud circumstitit, ut ob ea,quæ isti pro se ipsis fecerant, cæteris opem ferrent,quoniam mihi fidem præstiterunt .* Verum *enim quæ uerba emiserit* Philippus, *et in quibus fuerit perturbationibus ob hæc ipsa ex illius epistolis cognoscetis, quas misit in* Peloponnesum, *ac eas in manibus sumendo mihi recita, ut uideatis quid solicitudo mea & erratio, ac erumnæ, multaq; decreta, quæ nunc iste carpsit,qd effecerint.* At *qui plurimi apud uos uiri* Athenienses *fuere oratores nobiles & magni ante me* Callistratus *ille,* Aristophon,Cephalus, Thrasibulus,*alijq; innumerabiles,ueruntamen nemo ex his se ipsum prorsus tradidit in aliquid, quod ad* Rempublicam *pertineret, sed qui decreta ferebat,*

bat, is utiq; legationem minime obiuisset, & qui legatum age bat, is certe decreta nō tulisset, eorū enim quisq; otiū pariter sibi reseruabat, simulq́; siquid, accideret, subsidium, quid igitur dicat aliquis. tū ne adeo cæteros superasti fortitudine & confidentia, ut omnia tu ipse agas? ista non dico, uerum ita mihi persuaseram, magnum esse discrimen, quod ciuitatem fuerat complexum, ut mihi uideretur, nullum locum, nullamq́; prouidentiam propriæ saluti impendendam fore, sed in id incumbendum, ita quæ oporteret, agi debere, ut nihil esset prætermissum. Mihi de me ipso persuaseram, quamuis forte desiperem, attamen persuaseram neq; decretis scribendis me quenquam melius decreturum, neq; rebus agendis aptius eas tractaturum, neq; legationibus obeundis legatum acturum, uel maiori animi promptitudine uel fide, ea propter in omnia me dedidi. Recita epistolas Philippi. EPISTOLAE. In hæc adduxit Philippū mea Reipublicæ administratio ô Aeschines, hanc uocem ille emisit propter me, cum multa & plena confidentiæ ante ista aduersus ciuitatem uerba iactasset, pro quibus iure ab istis fui corona donatus, ac tu cum præsens esses, nihil dicebas, is uero Diondas cum restitisset, quintam suffragiorum partem non est consecutus. Atq; mihi recita ista decreta, quæ tunc, cum reprehenderentur, admissa fuere, cum tamen ab isto minime fuerint impugnata. DECRETA. Hæc decreta uiri Athenienses easdem syllabas eademq́; uerba continent, quæ prius Aristonicus nunc quidem Ctesiphon iste retulit ad Senatum, & ista Aeschines ipse, neq; est insecutus, neq; ei, qui illa accusauit, unà subscriptor fuit. At qui tunc Demomelem, qui ista decernebat & Hy-

peridem, si nunc uere me accusat, rectius quàm hunc insectarì potuisset. quid ita? quoniam huic sit ad illos redeundum, & ad res iudicatas, quodq́; hic ipse illos non accusauerit, qui eadem, quæ iste ad præsens, decreuerant, ac quia leges non amplius pmittāt de rebus ita tractatis accusationē instituere, et pleraq; alia, tunc enim res ipsa per se in iudicium ueniebat antequam aliquod de his præiudicium acceptum esset, at tunc puto non erat, quod nunc facit, ut is, qui orationem dicturus esset ex antiquis temporibus multisq́; decretis ea, quæ nemo præuiderat, neq; alicui in mentem uenire potuisset, ut illa hodierna die dicerentur, calumniari potuerit, ac tempora transferre, & falsas pro ueris occasiones rebus adiungere, ut aliquid dicere uideretur. Non erat, ut tunc ista fierent, sed cum quasi sub ueritate ipsa, quæ non longe aberat factorum uos recordaremini, & singula quæq; quasi præ manibus haberetis, uerba habenda essent, propterea ne in ipsarum rerum præsentia coargueretur, cum uitasset, tum inde nunc prodit, cum animo concepisset oratorum contentionem, ut mihi uidetur, habendam esse, & non rerum in Republica administratarum inquisitionem uos facturos suspicaretur, uerborumq́; iudicium non de Reipublicæ utilitate futurum esse. Deinde cauillatur, atq; ꝙ deceat, quam de nobis è domo profecti habueritis opinionem, negligatis, ueluti cum ratiocinando putaueritis pecuniam superesse, atq; si liquidæ fuerint rationes, nihilq́; superfit, ceditis, ita & hac in re his esse assentiendum, quæ rationem præ se ferunt. uidebitis ergo quàm infirmum natura existat omne quod non iure factum sit, ex hoc ipso sapienter dicto exemplo confessus est, nunc uos planè compertum habe

re, me quidem propriam ipsum certe pro Philippo oratio-nem habere, non enim uos in aliam inducere opinionem quæreret, nisi eiusmodi de utroq; sententiam ante haberetis. At qui cum non iure agat, cum petit, ut uos hanc opinionem deponatis, ego facilime ostendam, non rationibus subductis, non ita enim rerum habetur ratiocinatio, sed cum singula breuibus commemorauero, uos auditores in ratiocinatores & testes adhibebo, mea nanq; administratio, quam iste perstringit pro eo, ne Thebani unà cum Philippo in regionem contenderent, quod omnes futurum existimabant, nobiscum in aciem redacti ut illi resisterent, effecit, pro eo ne in Attica bellum esset septingenta stadia procul ab urbe, ut in Bœotiæ finibus uersaretur, pro eo, ne prædonum incursum pateremur, & ex Eubœa expellere cogeremur, ut Attica in pace esset, & uniuersum bellum ab ora maris agitaretur, pro eo ne Hellespontum occuparet Philippus Byzantio capto, ut nobiscum aduersus illum unà Byzantij in bello essent. ergo tibi calculis simillima rerum gestarum ratio uidetur, aut contra oportere ut ista deleantur, an non, ut eorum memoria per omne potius tempus celebretur, est cogitandum? Atque illud nondum adijcio, q; immanitatis, quam ex his perspicere licet, quorum uel semel constitutus est dominus Philippus, cæteris contigit, ut experimentum caperent, humanitatis uero, quam, dum reliquas res ille deliniebat, erga uos simulabat, uos cum probe ageretis, fructus decerpsistis. sed ista omitto, attamen illud dicere non uerebor, q; qui oratorem iuste perpendere uoluerit ac non calumniari, non istiusmodi carperet, cuiusmodi tu pauloante dicebas, exempla confingendo, uerbaq; & gestus

corporis imitando, ualde quidem ad id, non uides, q̃ res Græciæ prospiciunt, si hoc uerbum at non illud differendo ego protulerim, ac manum huc non illuc iactauerim. At ipsas res gestas contempletur, quo in statu, quibusq́; uiribus ciuitas esset constituta, cum ad earum rerum administrationem se contulisset, quæq́; illi ego uendicauerim cum postea in illius essem præfectura, ac quo pacto res inimicorum se haberent, q̃ si debiliores eius uires reddidi, à me crimen esse ostẽdere posses, sin multo maiores, non'ne calumniaris? Cum uero illud effugeris ego perficiam, atq; aduertite an iusta utar oratione, copias igitur ciuitas habebat eorum, qui ex insulis erant non omnibus sed leuioribus. Neq; enim Chius, neq; Rhodus, neq; Corcyra nobiscum erat, in tributum autem quinque & quadraginta talenta, atq; ista ante fuerant consumpta, peditum et equitum præter urbanos neminem, quod uero omnium maxime erat formidolosum, & summe faceret pro hostibus, hi sic omnes finitimos subornauerant, ut odio quàm amicitiæ propiores essent, Megarenses, Thebanos, Euaœenses. res quidem ciuitatis ita se habebant, ac nemo haberet aliquid aliud, quod præter ista dicere posset, res uero Philippi, cum quo nobis contentio erat, quo pacto se habuerint, considerabitis, in primis eis dominabatur, qui eum sequebantur, cum omnes, qui in eo bello erant ab eius nutu, quod maximum est, penderent. Deinde hi arma semper præ manibus habebant, postea pecunia ei suppeditabat, ac quæcunq; ei placuissent, agebat, non q̃ per decreta aliquid præfari consueuisset, neq; palàm consuleret, neq; à calumniatoribus in iudicium uocaretur, neque q̃ aduersus illicitæ rogationis delationes se defenderet,

neq; q alicui obnoxius esset, sed in summa, ipse Dominus, Dux, Rex omnium erat, ego uero huic oppositus, atque id inuestigare conuenit, cuius'nam rei dominus eram? nullius, ipsam porro conciones habendi facultatem in primis cuius rei ego ex æquo particeps eram, uos istis proposuistis, qui ab illo fuerant mercede corrupti, & pariter mihi, ac quibuscunque in rebus hi me superiores erant, multa enim huiusmodi accidebant, sicuti res quæque obtendebatur, ea omnia cum p hostibus decreuissetis abibatis, ueruntamen ex huiusmodi ego incommodis socios uobis adiunxi Euboœenses, Achæos, Corinthios, Thebanos, Megarenses, Leucadios, Corcyræos, à quibus quindecim millia militum externorum, duo millia equitum præter urbanas copias coacta fuere, pecuniarũ quidem quot potui ego plurima tributa coegi, si quidem refers uel ea, quæ erant cum Thebanis iura Aeschines, uel cum Byzantijs, aut cum Euboœensibus, siue nunc de æquitate contendas, primum certe ignoras, q & ante cum illi pro Græcis depugnassent, ex triremibus, cum omnes numero trecentæ essent, ducentas ciuitas contribuit, cum ne cedendum quidem putasset, neq; eos qui illa consuluerant, in iudicium uocasset, neq; ob eas res indignata esse uisa fuisset, turpe id quidem extitisset, sed cum Dijs gratias haberet, q communi Græciæ impendente periculo, ipsa duplum præ alijs in omnium contulit salutem. Deinde nouum gratiarum genus his condonas, dum me calumniose insectaris, quid enim nunc ais, quæ me facere oportebat, uerum non tunc cum in ciuitate esses, & interesses, ista ad Senatum referebas, siquidem aliquid præter eas, quæ instabant, occasiones, fuerat admittendum, in quibus non

quas uellemus, ſed quibus opus erat, res ſuſcipi oportebat, qui enim nundinaretur et præſto à nobis refutatos reciperet, ac pecunias inſuper daret promptus aderat. ſed ſi in præſentia pro rebus geſtis accuſationes ſuſtineo, quid putatis, ſi tunc me de his exacte diſceptante ciuitates receſſiſſent, & ſe Philippo iunxiſſent, pariterq; Eubææ & Thebarum, ac Byzantij dominus factus eſſet, quid fuiſſe facturos aut quid dicturos putatis impios hos homines? non'ne q. traditi, q. repulſi fuiſſent, qui nobiſcum eſſe nolebant? deinceps q. Helleſponti per Byzantios potitus fuiſſet, ac frumentariæ tranſuectionis græcorum dominus effectus eſſet, bellum uero finitimum & graue in Atticam per Thebanos eſſet illatum, mare nauigari non poſſet ob piratarum ex Eubœa incurſionem, no'nne iſta dicerent? ac multa inſuper ad hæc alia. Malum uiri Athenien. malum. Perpetuus calumniator, cum omni ex parte acerbitatem redoleat, at ſemper geſtiat obiurgari, idq; licet hominis proprium uideatur, ad uulpeculæ tamen naturam accedit, nihil enim ſalubre hic etiam ab initio cum fecerit, & homine libero dignum, per ſe tragicus eſt, ſimia quædam, ruſticanus Oenomaus, adumbratus orator, in quem enim uſum eloquentia tua patriæ ceſſit? nunc nobis ea commemoras, quæ præteriere? uelut ſi quiſpiam medicus ægrotos febre correptos adiuiſſet, neq; eis dixiſſet, neq; oſtendiſſet ea, per quæ morbum effugere poſſent, ut uero aliquem eis uitam functum, & cui cum iuſta fierent ad ſepulchrum uſq; fuerit comitatus, recenſeat ſi hoc uel illud hic uir feciſſet, utique non periſſet, ſtupide tunc tandem iſta commemoras? non igitur calamitatem, ſi ob eam te immoderate attollis, propter quam te ingemi-

scere ô detestande cõueniret. Aliqua in parte ante ciuitati partam inuenietis, ita uero cogitetis, nusquam quoquo tempore, quo legatus ego à uobis missus fui, inferior recessi legatis Philippi, non ex Thessalia, non ex Ambracia, non ex Illyrijs, non à Thraciæ regibus, non ex Byzantio, non ex alio unquam quouis loco, non postremo hesterna die ex Thebis, sed quibus in rebus uicti fuere ipsius legati oratione, has res armis cum inuasisset, in potestatem redigebat. ista igitur à me postulas? & non uerecundaris quem mollitia notes, hunc ipsum petere, unicus cum sit, Philippi potentia potiorem esse debuisse? & hæc ipsa uerbis contendis, cuius enim alius rei ego dominus eram, non cuiusque animorum, non fortunæ eorum, qui in acie steterunt, non præturæ militaris, cuius me pœnas pendere petis, ita immanis es. at qui quibus rebus Orator obnoxius fuerit earum quamuis disquisitionem aggredere, non enim deuito. quæ igitur ea sunt? Res unde sumant exordium ut prospiciat, & præsentiat, alijsq; prædicat, hæc à me facta sunt, præterea quoque in qualibet re tarditatem, pigritiam, inscitiam, contentionem, quæ ciuilia omnibus ciuitatibus necessario, insunt uitia, hæc ut ad animum redigat, atque contra ut ad concordiam & amicitiam, & incitationem opportuna peragendi inducat, atque hæc omnia à me perfecta fuere, nemóque unquam inueniet aliquid ex his à me fuisse prætermissum si quispiam igitur aliquem interroget, quibus modis res plurimas, quas Philippus peregit, fuerit persecutus, omnes utique dicerent exercitu, & largitione, eorumq; corruptela, qui in rerum tractatione uersabantur. igitur copiarum neq;

Dominus neque Dux ego eram, ita ut ne ratio quidem eorum, quæ per ea gesta sunt, ad me attineat, proinde ne pecunijs corrumperer, hoc Philippum superaui, sicuti enim qui mercari proponit eum uicisse dicitur, qui pecuniam acceperit, si eum mercetur, ita qui pecuniam non accepit, neque corruptus est eum, qui ipsum mercari proposuerat, uicisse dicitur, quamobrem quantum ad me spectat ciuitas inuicta manet, quæ igitur ego præstiti, ut ista de me hic iure scribere posset ultra pleraque alia hæc atque his similia sunt, quæ uero uos omnes nouistis, ista tandem explicabo, post etenim pugnam è uestigio populus cum nouisset, & conspexisset omnia quæcũque ego egeram in ipso rerum discrimine ipsaq; formidine, in quæ me immiseram eo tempore, quo multitudo erga me ingrata non fuerit, mirum quoddam esse uidetur, primum quidem de ciuitatis salute sententias à me dictas suffragijs amplectebatur, & omnia quæcunque custodie causa fiebant excubiarum dispositio. Aggeres, in mœnia pecuniarum impendium per mea decreta efficiebantur. Deinde cum rei frumentariæ prouidere uellet me unum ex omnibus popolus suffragijs suis declarauit, ac postea cum hi instituissent, quibus cura erat me male tractare. Accusationes, referendæ rationis iudicia, delationes, omniaq; ista in me intenderent, non per se ipsos quidem ab exordio, sed per eos maxime, qui se absconditos iri putabant, nostis quippe & recordamini, q; priori tempore, quotidie ego in iudicium uocabar, & neque Sosiclei dementia, neq; calumnia Philocratis, neque Diondæ & Melani furor, neque quicquam aliud his contra me fuit non tentatum. In his igitur omnibus maxime

uero Deorum beneficio, deinde uestro, ac reliquorũ omnium Atheniensium iuste alioquin seruatus fui, idque uerum est, cum & iuramento adacti id egerint, & qui iusta decernere solent iudices illud cognouerint. Ergo cum delatus fui & me absolueritis, ac quintam suffragiorum partem accusatoribus non concesseritis, tunc decreuistis, me optime esse de Republica meritum. Cum uero accusationes effugi, legitima & dicere & scribere præ me tuli, ubi autem rationes relatas populariter probastis, iuste & incorrupte omnia à me gesta esse confessi estis. Hæc igitur cum ita se habeant, quod aptum istum'ue erat rebus à me gestis, à Ctesiphonte nomen imponi, non'ne quod populum aspexerat imposuisse? no'nne quod iudices iuratos? non'ne quod ueritatem ipsam, quæ apud omnes erat inconfesso? ita ait, sed Cephali illud pulcherrimum, nullius accusationis reum fuisse, atque per Iouem beatum, sed quid magis, qui sæpe reus fuerit, & nunquam iniurius fuisse sit euictus, iure propterea crimini dandus est? At qui quoad hunc uiri Athenienses & illud Cephali pulcherrimum mihi dicere licet, nullam unquam aduersus me accusationem hunc instituisse uel persecutum fuisse, ita ut abs te agnoscat nihilo ciuis esse Cephalo deterior, ex multis enim quis notare posset ipsius inscitiam & inuidiam, non minus uero ex his, quæ de fortuna disputauit. Ego quidem in summa, quicunque homo existat, qui homini fortunam exprobret, eum prorsus amentem existimo, quàm enim aliquis, dum se putet secundis rebus agere, beneficentissimam habere existimat, non nouit, an ea ad uesperum usq; sit duratura, quo pacto licet de hac quicquam disserere, uel quo pacto eam alte-

ri obijceret? Quoniam iste præter cæterea eaq; multa & de rebus istis insolenti usus est oratione, considerabitis utri Athenienses, & intuebimini, quanto uerius & humanius ego de istius fortuna edisseram. Ego quidem ciuitatis fortunam bonam esse arbitror, idq; uideo per Dodoneum uobis & ipsum Apollinem Pythium prædixisse, omnium tamen hominum illam, quæ nunc dominatur, molestam & grauem. quis enim Græcorum uel Barbarorum non multis malis præsenti tempore tentatus est? q ergo præclara decreueritis, atq; q cum Græci putarent, si nos desererent, se feliciter acturos, his ipsis nos melius egerimus, ciuitatis bonæ fortunæ illud attribuo, q uero nobis restiterit, ac ne omnia quidem, ut uolebamus, uobis successerint, communis cæterorum hominum fortunæ partem in nos redundantem participasse ciuitatem existimo. Priuatam quidem fortunam meam, & uniuscuiusque uestrum ex priuatis rebus nostris perpendendam fore iure censeo. Ego igitur, ita dignum puto de fortuna disquiri posse recte iustéq;, ut mihi uidetur, idq; uobis pariter placere reor, qui priuatam certe fortunam meam communi illa ciuitatis angustiorem esse ait, paruam & malam bona & magna angustiorem esse dicit, & quomodo id contingere potest? At qui si fortunam meam omnino perquirere Aeschines deliberaueris, ad illam tui ipsius cogitationem dirige, atque si meam tua meliorem inueneris, parce ei maledicere. contemplare igitur quamprimum ab initio, atq; meas per Iouem et Deos, aliquas ineptias nemo reprehendat. Ego quidem, si quis paupertati detrahat, eum mente carere arbitror, neque si quis in diuitijs educatus, ea re gloriari uelit, uerum ab hu

lus Importuni maledictis & calumnijs cogor, ut in hæc uerba prorumpam, quibus pro ueritate modestissime quoad potero utar. Mihi igitur constitit Aeschines, dum puer essem, ut congruentes scholas frequentarem, & ea haberem, quæ cum oporteat, qui præ egestate nihil turpe sit acturus, ut certe ex pueris excessi, ut ea aggrederer, quæ ista consequuntur, choragum, nauarchumq; agerem, in easq; res contribuerer, nulloq; munere priuato uel publico destituerer, sed & ciuitati & amicis usui essem. ut uero ad Rempublicam accessi, mihi uisum fuit eiusmodi munera obire, ob quæ & à patria & à reliqua Græcia sæpe fuerim corona donatus, ac ne uos quidem inimicos, quòd honesta non essent, quæ decreueram, appellare tentauerim. Ego itaq; sub istiusmodi fortuna uixi, multaq; insuper cum ad hæc de ea dicere possem, prætermitto, illud ueritus, ne aliquem molestia afficiam propter istiusmodi iactationem meam. tu uero uir grauis, qui cæteros contemnis ad hanc aspice, qua fueris usus fortuna, propter quam cum puer esses, multa cum inopia educatus fuisti, unà cum patre scholæ incumbendo. Attamen, tum terrendo, subsellia spongia tergendo, & pædagogium uerrendo, seruorum non liberorum puerorum numero habitus. In uirum ut euasisti, matri initianti libros legebas, & reliqua præparabas, per noctem, ut uires adderes fricabas, & uinum infundebas, atq; initiatos expurgabas, luto & furfure eos abstergendo, ac cũ à purgatione cessares, eos dicere iubebas. Malum effugi, melius inueni, qua in re te iactare solebas, neminem unquã tam uehemẽter ululasse, & ego id ipsum existimo, non enim putetis, quòd sic alte ipse pronunciaret, nisi præclare ululasset, interdiu

quidem cum præclaras ageret per uias saltationes, fœniculo Syluestri & populeijs coronis ornatas serpentes pareas appellatas constringebat, ac cum supra caput attolleret, & exclamaret, Euohe sabœ, & saltãdo diceret, yes attes, attes yes, Princeps, dux, Picæ uaniq; portitor & eiusmodi appellationibus à fœminis uetulis uocabatur, cum pro his mercedis loco caperet placẽtas, subcineritios panes, mulsaq; esculenta, quas ob res quis ipsum non uere beatũ appellet, ipsiusq; fortunam? postea uero quàm inter contribules descriptus fuisti, quó nam pacto id factum fuerit, omitto, posteaquam inquam descriptus fuisti, continuo illud præclarissimum munus commemorabo, pro inferiore scriba & ministro pedaneis iudicibus cum deseruieris, ut autem & ab hoc aliquando destitisti, omnia, quæ alijs uitio uertis, ipse cum peregisses, non coinquinasti per Iouem quicquam eorum quæ prius egeras, posteriore uita, sed cum te ipsum locasses raucis illis sic appellatis actoribus Simmyccæ & Socrati, tertias partes agebas, ficus, racemos, ac oliuas colligendo uelut pomorum mercator ex predijs alienis, quas ob res plures plagas accepisti, q̃ in his prælijs, quæ uos pro salute committere solebatis, perpetuum enim uobis bellum erat & implacabile cum spectatoribus, à quibus multa uulnera recepisti, merito huiusmodi periculorum expertes uelut timidos carpis, uerum ut ab his recedam, ex quibus quis posset egestatem tuam reprehendere, ad eas, quæ tui moris sunt, accusationes deuenio, sub ea enim specie regendam Rempublicam desumpseras, quoniam & id ut faceres iam tibi in mentem uenit, sub qua cum patria feliciter ageret, leporis uitam uiuebas timidus, & tremebundus,

ac semper expectans, ne ob ea cædereris in quibus conscius eras, te iniurium fuisse, at quibus in rebus cæteri male egissent, fidens esse ut ab omnibus conspicereris, porro quicunq; millibus ciuium interfectis exultauit, is, iuri conuenit, ut à superstitibus male tractetur, pleraq; igitur alia cum de ipso dicere possim, prætermittam, non enim quæcunq; ostendere possem huic turpia inesse & uituperabilia, omnia opportune dici posse existimo, sed illa, quæ sine meo dedecore dici possunt. Disquire igitur illa inter se conferendo, quæ tibi & mihi in uita constiterunt, æquo alioquin animo & nõ infenso ô Aeschines, deinde hos rogato, cuius nostrum fortunam ipsorum quisq; deligeret, elementa docebas, ego discebam, initiabas, ego initiabar, choream agebas, choreæ impensam ego subministrabam, scriba eras ego concionator, tertias partes agebas, ego spectator eram. cecidisti, ego exsibilaui, pro hostibus omnia in Republica egisti, ego pro patria, reliqua omittam. Verum hodierna die ego quidem, ut corona honester cõtendo, q̃ nullum autem crimen admiserim cõstitutum habeo, tibi quidem illud constat, te manifesto calumniatorem esse, periclitaris enim siue illud adhuc facere cogaris, siue desistas, ne quintam suffragiorum partem reportes, bona nonne uides fortuna cum uixeris, q̃ meam ueluti malam accusas? age iam & munerum testimonia, quæ obiui uobis perlegã omnia. Attexe iam nobis & tu uersus, quos decorasti.

Adsum profectus è profundis manibus
Noctisq; portis,

Atq; me inuitum mala nunciare nosti, teq; malum Dij maxime deinde & hi omnes male perdant, iniquus ciuis cum sis et

proditor, abiectusq́; actor, Recita testimonia. TESTIMONIA. In rebus igitur ciuitatis administrandis talis fui, in priuatis quidem quamuis non omnes noscatis, q, amicis expositus comisq́; fuerim, & egentibus opem tulerim, illud tamen silentio prætereo, neq; aliquid exprimerem, neq; his de rebus aliquam testificationem afferem, neq; etiam si aliquos ab hostibus redemerim, neq; si illorum filias aliquibus in matrimonium collocauerim, neq; si quicquam istiusmodi fecerim, ita enim in animo constitui. Ego existimo eum, qui beneficia acceperit, per omne tempus memorem esse oportere, illum autem, qui beneficia contulerit, quamprimum eius rei obliuisci, si hũc probi uiri, illum non pusilli animi officium oporteat exercere, propria uero benefacta suggerere & commemorare si quis uelit, is parum abest, similisq́; ei est, qui beneficia exprobret, non iam aliquid eiusmodi agam, atq; eo adducar, sed utcunq; de his ante constitui, illud mihi satis est. Volo quippe à priuatis recedendo, hoc amplius pauca quædam de rebus publicis uobis dicere. Siquidem potes Aeschines aliquẽ hominem, qui hanc lucem intuetur, proprio nomine signare, qui damnum non senserit ex Philippi tyrannide prius, deinde Alexãdri, siue is Græcus siue Barbarus existat, do, concedo tibi, meam siue fortunam, siue miseriam mauis appellare, rerũ omniũ causam fuisse, q, si pleriq; ex his, qui me nunq̃ uiderũt, neq; uocẽ meã audierũt, multi et multa grauia passi fuere nõ sigillatim solum, sed & ciuitates generatim ac populi, quanto iustius & uerius omnium, ut uidetur, cõem fortunam, ac quendam rerum euentum difficilem, nec quem oportebat, harum rerum causam fuisse putandum est? tu igitur ista omittas, neq;

de his, quæ in Republica administranda tractaui, apud istos accusa, atq; illud intelligas, quod si non omnia maledicta, at saltem aliqua eorum pars ad omnes pertinet & ad te maxime. Si etenim ego ex me metipso, quasi neminem superiorem haberem, de rebus ipsis consilium cepissem, uobis reliquis oratoribus liceret me reprehendere, ac si in omnibus concionibus aderatis continuo, in publicumq; ciuitas utilitatem suam proposuerat considerandam, omnibusq; ista tunc uidebantur optima esse, tibiq; præsertim, non præ beneuolentia quidem ista mihi concedebas, propter spem, gloriam, et honorem, quæ omnia his inerant, quæ tunc à me gerebantur, sed à ueritate ipsa uidelicet ictus, & cum nihil melius haberes, quod dicere posses. cur non iniustus es accusator, & delinquis, cum istis nunc ea obijcias, quibus tunc non poteras dicere meliora. Apud reliquos igitur ego quidem uideo omnes homines id eiusmodi esse constitutum & definitum, aliquis ex proposito iniuriam infert, in hunc indignatio & uindicta exercetur, quidam peccauit inuitus, pro uindicatione uenia huic conceditur, neq; iniurius aliquis fuit, neq; peccauit, sed in ea se tradidit, quæ omnibus utilia esse uisa sunt, in omnibus non prosperè egit, neq; uituperare neq; contumelia afficere hominem eiusmodi iure conuenit, sed est condolendum. Apparet igitur hæc omnia ita constare non solum ex legibus ipsis, sed & ipsa natura scitis scripto non comprehensis, & humanis moribus ista definiuit. Aeschines itaque cæteros homines usq; adeo superauit immanitate, & calumnia, ut & quas ipse uelut calamitates cõmemorauit, & has ipsas mihi impingere uelit. Ac præter cætera quasi ipse candide & beneuole omnia loqu-

tus esset, me obseruandum, & custodiendum fore praecepit, ne seducam & decipiam, eloquentem & praestigiatorem ac sophisten, alijsq; istiusmodi nominibus me appellando, ueluti si quis alio prior ea dixerit, quae ipsimet insunt, & haec quae ita se habent, ac q non sint praeterea cogitaturi auditores, quis aliquãdo is sit, qui ista dixerit. Ego quidem noui, q omnes istum cognoscitis, atq; huic magis quam mihi ista inesse putatis, illudq; probe scio, q eloquentiam meam, concedo enim id ipsum. Equidem uideo facultatem dicendi magna ex parte in auditorum esse potestate, ut enim uos dicentes admiseritis, ac sicut erga quenq; beneuolo animo fueritis, ita is, qui dicit sapere uidebitur, si igitur aliqua in me est eiusmodi dicendi exercitatio, hanc omnes inuenietis in rebus publicis pro uobis semper fuisse expensam, aduersus uero uos nunq̃, sed ne priuatim quidem, hanc porro istius dicẽdi facultatem contra inuenietis, non solum quia pro hostibus orauit, sed & si quis aliqua in re eũ laesit, aut certe quia in publicarũ rerũ pernitiẽ uos decepit, ipsa enim non iure, neq; in ea, q̃ sint è Republica utitur, neque enim iram, neque odium, neque aliud quicquam istiusmodi honestum probumq; ciuem ab his iudicibus, qui forum pro rebus publicis adeunt, petere conuenit ut sibi adijciant, neque pro his rebus uos adire, sed naturam, ab istis maxime habere alienam, quòd si id necesse est, ut aequum modestumq; se exhibeat. quibus igitur in rebus Reipublicae administratorem & Oratorem uehementem esse oportet? quando de summa rerum agitur, periculumq; immineat ciuitati, & cum aduersus hostes aliquid populo constet, in his inquam. haec enim generosi probiq; ciuis sunt, nullius uero publici unquam

quam criminis, adiungam & id, ne priuati quidem pœnam à me ſumendam fore, qui minime petierit, uel ciuitatis, uel ſui ipſius cauſa. nunc uero ſtruat accuſationem coronæ & præconij, & pro ea re in medium prodeat, ac tot uerba in id cō ſumpſerit, priuatæ cuiuſdam ſimultatis, & inuidiæ, ac puſil li animi exiſtit indicium, & nullius bonæ alioquin rei, quòd certe ipſe mecum contentionem habere noluerit. nunc autem tendat aduerſus iſtum, id omnem ſuperat malignitatem. At mihi q̃dem uideris Aeſchines ex his uerbis iactationem quandam, quòd uocalis eſſes, facere uoluiſſe, proptereaq́; hanc controuerſiam mouiſſe, non ut alicuius delicti pœnam ſumeres. id enim orationis genus non eſt oratore dignum ô Aeſchines, non uocis ſonitus, ſed in idem cum populo conſenſiſſe, illudq́; inſuper, ut eoſdem odio habeat, & amet, quos & patria ipſa, qui eo enim animo fuerit, is omnia cum beneuolentia dicet, ille certe, qui eos, à quibus ciuitas proſpicit aliquod ſibi diſcrimen intendi, reuereatur, cum populo pro patria non conſentit. neque igitur, ut ab ea defendatur, illi ſperandum eſſe neceſſe eſt, ſed uides. Ego illa eadem cum iſtis, quæ conferrent, delegi, ac nihil excepi, etiam pro meo proprio commodo. Igitur neque tu? & quo pacto, qui continuo poſt pugnam legatus proficiſcebaris ad Philippum, qui fuit earum, quæ tunc patriæ contigerunt, calamitatum author, cum tamen iſta negaſſes, te toto priori tempore alicui uſui Philippo fuiſſe, ut omnes nouerunt. Atqui, quis ciuitatem decepit, non'ne, qui ea non dicat, quæ ſentit? non'ne ob rem iure præco tali imprecatur, quod'nam maius quis peccatum aduerſus uirum Oratorem exprimere poſſet, quàm quòd non

eadem & sentiat, & dicat. Tu igitur talis detectus fuisti, deinde tu uociferas, & in istorum ora aspicere audes? An non putas ipsos agnoscere, qui sis? aut credis, quòd sopor, & obliuio tam alte omnes comprehenderit, ut uerborum non recordentur, quæ in conspectu populi pro concione iactabas obtestando, & iurando, nullius rei cum Philippo tibi esse commercium. sed me tibi calumniam istam impingere priuatæ simultatis gratia, cum alioquin uera non esset, postea quàm celerrime pugna renunciata fuit, ad nihil istorum aduertendo quamprimum profitebaris, & uendicabas amicitiam & hospitalitatem tibi cum eo esse, cũ ad eam rem operam tuam locasses, ea uerba transferendo, ex qua porro æqua, aut iusta causa ô Aeschines, Glaucotheæ Psaltriæ filio hospes, uel amicus, aut notus fuerit Philippus. ego quidem non cerno, uerum conductus fueras, ut quæ istis utilia essent, interuerteres, attamen cum ita apertus in ipsis rerum euentis ꝓditor tenearis, & aduersus te ipsum accusator euaseris, mihi maledicis, & ea exprobras, quorum omnes potius quàm me, authores esse inuenies. multis enim in rebus, honestisq; & magnis ciuitas ô Aeschines, & profecit, & ad meliorem conditionem per me deuenit. quas ob res ingrata non extitit, iudicioq; est, quòd cum populus suffragijs creãdum delegisset eum, qui Orationem haberet pro defunctis, prout ipsarũ rerũ euentus tulissent, te ad id nõ designauit, cũ tamen te proposuisses, licet beneuocalis esses, non Demaden, qui pauloante pacem fecerat, non Hegemonem, nec quenquam alium è uobis, sed me. Atque cum tu, & Pythocles unà prodijssetis, & impudentes, ô Iuppiter, & Dij, & ea-

dem mihi uitio uerteretis, quæ & tu ad præsens, ac contumelijs afficeretis, hoc melius me constituit. Causam profecto non ignoras, ueruntamen tibi eam ego explicabo. Vtrunque enim ipsi nouerant, & meam beneuolentiam, ac promptitudinem, qua res tractaueram, & uestram iniquitatem. quæ enim rebus prospere agentibus iureiurando negabatis, ista cum Respublica labefactata fuit, cõfessi estis. eos igitur, qui in communibus calamitatibus ea, quæ sentiebant, impune pponenda sumebant, hostes quidem iam diu, tunc uero ipsis palàm factos esse duxerunt. Deinde, & decere rati sunt eum, qui tunc dicturus pro defunctis, & illorum uirtutem exornaturus esset, neque contubernalem, neque sodalem eorum fuisse, qui aduersus eos in acie stetissent, neque qui illic indecoris saltationibus & cantilenis indulsisset in ipsa Græciæ calamitate unà cum eis, qui proprijs manibus cædem patrauerant, cum huc redijssent, eos honestari debere, neque eos, qui uoce illorum fortunam lugendam esse ficte sumpsissent, sed qui animo condolerent, id in se ipsis ac in me esse aspiciebant, in uobis uero nequaquam, propterea me delegere, & non uos, ac non populus ad eum modum defunctorum uero parentes, & fratres, qui à populo ad sepulchra attollebantur, non eodem modo, sed cum opus esset, ut epulum uelut penes mortuis propinquiorem ipsi peragerent, sicut & reliqua huiusmodi fieri consueuere, illud apud me fecerunt, & merito. quisq; enim alteri genere magis quàm ego propinquus erat, qui uero omnibus cõmuniter, nemo me erat propinquior. cuius enim, ut illi seruarentur, & feliciter agerent, maxime intererat, is, cum illi ea passi fuissent, quæ non de-

buerunt, plurimi mœroris ſupra omnes particeps fuit. Recita ipſi illud Epigramma, quod publice ciuitas ipſis inſcribēdum fore decreuit, ut uideas Aeſchines & in hoc ipſo te ipſum perfidum, & calumniatorem eſſe, ac hominem perditum. Recita.

EPIGRAMMA.

Qui patriæ cauſa pugnas iniere decoras,
Fuderuntq; hoſtis iurgia & arma ſui,
Pugnando ſumma uirtute, & robore belli,
Hi palmam uitæ præpoſuere ſuæ,
Gloria Græcorum, mori uoluere priuſquam
Seruitij duro ſubdere colla iugo.
Ex ſuperum fato, tantos miſerata labores
Accipit en græmio patria grata ſuo.
Nil peccare Dei eſt, felixq; peragere cuncta.
Sed tandem Parcam uincere nemo poteſt.

Audis Aeſchines & in hoc ipſo Epigrammate, quòd in nullo peccare Deorum eſt, & omnia recte agere? Non conſultori præliatores animandi poteſtatem attribuit. quid igitur ô ſceleſte mihi ob iſta maledicis, ac ea dicis, quæ in tuum, tuorumq; caput Dij uertant. Multa igitur, uiri Athenienſes, alia cum ipſe fuerit criminatus, & reprehenderit, unum maxime omnium admiratus fui, quòd cum caſus Reipublicæ cōmemoraret, quòd non beneuolo animo, neque ut iuſtus ciuis commotus fuerit, neq; enim in luctu fuit, neq; quid eiuſmodi animo ſuſtinuit. uerum cum uocem attolleret, & exultaret, ac tremulo gutture geſtiret, exiſtimabat me uidelicet accu-

ſare. indicium uero aduerſus ſe ipſum extulit, quòd in moleſtis Reipublicæ caſibus, nihil item cum cæteris mouebatur. At qui eum, qui legum, & adminiſtrandæ Reipublicæ ſe curam gerere præ ſe fert, uelut nunc iſte, ac ſi nihil aliud, illud certe habere neceſſe eſt, eiſdem de rebus mœrere, ac eiſdem de rebus cum cæteris lætari, & non ſub propoſito adminiſtrandæ Reipublicæ à parte hoſtium ſtare, quod tu præſenti tempore feciſſe conuictus es, cum tamen me omnium cauſam, & propter me in diſcrimina ciuitatem incidiſſe affirmes, cum non tempore, quo ad Rempublicam accesſi, neq; ex conſilio meo uos cœperitis Græciæ auxilia ferre, uerum enim ſi illud mihi à uobis concederetur, uos tantum conſilio meo dominatui, qui aduerſus Græciam ſtruebatur, reſtitiſſe, maiori munere afficiendus eſſem, quàm cæteri omnes, quos decoraſtis. At iſta neq; ego dicerem, uobis enim iniuriam inferrem, neq; uos, probe noui, illud permitteretis, iſteq; ſi iure agere uoluiſſet, ſimultatis gratia, quam in me habet, magnitudini & celſitudini rerum à uobis geſtarum, non detraxiſſet, neq; eas dedecoraſſet. Sed quid iſta redarguo? cũ alia multo indigniora ipſe detulerit, & fuerit ementitus, quippe qui, quòd à Philippo ſtarem, ô tellus, & Dij, criminatur, quid iſte non aſſeuerare? Atqui, per Herculem, & omnes Deos, ſi pro ueritate res conſiderare debemus, neq; mentiri, ac inimico animo aliquid aſſerere, immo iſtud de medio auferendo, quotcunq; reuera ſunt, ad quos iure meritoq; factorum culpam, in eorumq; caput omnes referrent, hos huic perſimiles in qualibet ciuitate quis poſſet reperire, non mihi, qui quãdo infirmæ erant res Philippi, ac modicæ ferè, cũ uos

ſæpe prædiceremus, & moneremus, optimaq́; ſuaderemus, priuati cuiuſdam uilisq́; lucri cauſa, quæ Reipublicæ conferrent, abiecere, cum ſinguli eos, qui ciues habebantur, ſubducerent, & deprauarent, quouſq; in ſeruitutem redegerunt. Theſſalos Daochus, Niceas Thraſydæus, Arcades Cercidas, Hieronymus Eucalpidas, Argiuos Myrtis, Teladamus Mnaſeas, Elienſes Euxitheus, Cleotimus, Ariſthechmius, Meſſenios, filij Philiadæ Deorum hoſtis Neon.ſ. & Thraſylochus. Sicionios Ariſtratus, Epichares. Corinthios Dinarchus , Demaratus. Megarenſes Ptæodorus, Helixus, Perilaus, Thebanos. Timolaus, Theogiton, Anemetas. Eubœenſes, Hipparchus, Clitarchus, Soſiſtratus. Deficiet me dies proditorum nomina recēſentem. Hi omnes ſunt uiri Athenienſes, qui eiſdem decretis in eorum patrijs, quibus et iſti apud uos, homines ſceleſti, aſſentatores, furiæ, ac quorum quiſq; ſuas ipſorum patrias cum mutilas reddidiſſent, libertatem Philippo primum, deinde Alexandro ſuppoſuere, uentre, ac Venere felicitatem dimetiendo, libertatem uero, & quòd neminem in eorum dominum admitterent, quæ apud priores Græcos finitiones quædam beatitudinis & leges habebantur, poſtpoſuere. Huius igitur ita deteſtandæ ac uulgaris coitionis, & peruerſitatis, magis autem, uiri Athenienſes, proditionis . ſi nugandum non eſt, Græcæ libertatis, & ciuitas apud omnes gentes culpa caruit ex meis Reipublicæ adminiſtrationibus, & ego apud uos. Deinde, me rogas pro qua uirtute me petam honeſtari? ego iam tibi id explico, quoniam omnes, qui rebus publicis apud Græcos præſidebant, cum ſubornati fuiſſent, à te exordio ſumpto, prius quidem à

Philippo, nunc uero ab Alexandro, me neq; occasio, neque uerborum comitas, neq; promissionum magnitudo, neq; spes, neq; timor, neq; gratia, neq; quicquam aliud distinuit, neque adduxit, ut quæ iudicarem æqua, & patriæ utilia, aliquo modo traderem, neq; quæcunq; in consilio decreui quoquo tempore; eisdem itidem uobis, uelut in trutina penderem, ad quæstum declinando consului, sed recto æquoq; ac incorrupto animo omnia à me gesta fuere, sed cum res maximas, quantas, qui mecum per ea tempora erant homines, præ manibus haberem, ea omnia recta æquaq; ratione administraui, propte reaq; postulo me honore affici. Muri porro, munitionem istã, quam mihi obiectabas, & exaggerationem dignas certe gratia & laude iudico, qua uero ratione non? Plurimi quamuis, ea, quæ à me ipso in administranda Republica gesta sunt, faciam. Non enim saxis ciuitatem sepsi, neq; lateribus ego, neq; pro his mihi ipsi nimium arrogo, sed si operam meam æquabiliter perpendere uolueris, inuenies arma, & ciuitates, & loca, & portus, & naues, & magnum equorum numerum, ac qui pro his pugnarent. Hæc ita ego obieci ad Atticæ propugnaculum, quoad humana ratione fieri potuit, atq; istis mœnibus regionem muniui, non Pyrei circuitum solum, non ciuitatis. Neq; uictus fui. ego consilijs Philippi, quinimmo id multum abest, neq; belli apparatibus, sed sociorum Duces, & copiæ sorte quadam. Quæ rerum istarum argumẽta existunt? Clara atq; perspicua. Aduertite profecto quid facere oportebat beneuolum ciuem, quid eum, qui omni prouidentia, promptitudineq;, & animi æquitate pro patria Reipublicæ administrandæ incumberet. Non'ne ut ab ora maritima Eu

bœam ante Atticam opponeret. Ex parte quidem mediterranea Bœotiam. A' locis quidem, quæ uergunt in Peloponnesum, huic finitima? non ne ut frumentaria inuectio ut amicissime in Pyræum usq; deferrent, prouideret? ac eorum, qui socij existerent res seruaret, auxilia mittendo, taliaq; dicendo, & decernendo. Proconesus, Cherrhonesus, Tenedus, ut amicæ, sociæq; essent, efficeret? Byzantium, Abydum, Eubœam, ac maximas quasq;, quæ hostibus constarent, potentias abalienaret? & quæ ciuitati deessent, ea adiungeret? Hæc igitur uobis omnia gesta sunt meis decretis, meisq; in Republica gubernationibus, quæ & deliberata, uiri Athenienses, si quis citra inuidiam aduertere uoluerit, recte inueniet, omniq; cum moderatione perfecta, & cuiusq; rei opportunitatem á me non prætermissam, non ignoratã, non traditam, ac nihil eorũ quæ ad unius uiri potestatẽ & ingeniũ ptinere potuerũt, abfuisse. q; si Dei cuiuspiã aut fortunæ uis quædã, siue ducũ nequitia: aut eorũ improbitas, qui ciuitates uestras pdiderũt, aut ista omnia cõiuncta res cũctas uastarũt, quousq; eas subuerterũt. cur Demosthenes iniurius habeatur? siquidẽ qualis ego apud uos fui ex eodẽ met ordine met uel unus ĩ unaquaq; græcarũ ciuitatũ uir extitisset, seu magis si uirũ Thessalia solum, itẽq; alterũ Arcadia habuisset, qui ista, q̃ ego, sapere potuisset, nemo Græcorũ nec intra nec extra Pylas præsentia mala expertus esset, sed omnes cũ libertate gauderent & suæ potestatis essent, omni cum tranquillitate, tuto, feliciter suas ipsorum patrias incolerent, talis tantæq; beatitudinis uobis ac reliquis Atheniensibus propter me gratias habendo, ut cernatis q; factis pauciora uerba facio, ut absit inuidia. Reci-

ta mihi ista, et lege sumēdo numerū auxiliorū missorū ex meis decretis. AVXILIA EX MEIS DECRETIS. Hæc & eiusmodi agere ô Aeschines honestum prob'umque ciuem decet, quibus prospere succedentibus ô terra & Dij inter maximos sine controuersia constitit eum esse, iureq; con uenit. Vt uero aliter euenerint, q̄ itàque probetur, superest, & nulla in re ciuitatem abiecisse, ipsiusq; uoluntatem, sed fortunam esse uituperandam, quæ res ita dijudicat, non per Iouem, q̄ ab his, quæ ciuitati conferrent, refugerit, se ip=sum hostibus diuenendo, opportunitates pro inimicis captaue rit, cum pro patria debuisset, neque q̄ ægre tulerit, dum res ciuitate dignas diceret, & decerneret, in istisq; maneret, suf=ferre, si quis priuatim aliqua in re molestia affecerit, illud re cordetur & memoria seruet, neque quietem agat, dum ue=lit esse iniurius & dolosus, ut tu plerunq; facis, est quidem iu sta quies, ciuitatiq; conferens, quam multi ciues è uestro or dine simpliciter agunt, sed non istam hic agit quietem, immo uero multum abest, ac cum ei uisum fuerit à Republica re=cedit, idq; sæpe ei uidetur, obseruat si quando eius, qui con tinuas conciones habuerit, fastidio estis repleti, uel siquid aduersi à fortuna obuenerit, aut quid aliud molesti obtige=rit, multa enim sunt, quæ humanitus eueniunt deinde in hoc ipso tempore uelut turbo ex quiete prosilit, & agitata uoce, uerbisq; & dictionibus collectis, ea dilucida quadam, & sub uno spiritu expressa oratione connectit, cum nulli alioquin sint usui, nec ullo modo prosint, damnum porro ei ciui, cui sors dederit, communeq; dedecus afferant. Cæte=rum ab hac exercitatione atque studio ô Aeschines, si id ab=

æquitate animi procedebat, & qui publicam utilitatem præscriberet, fructus par erat, generosos, & honestos, ac qui omnibus proficerent, prouenire, societates ciuitatum, copiam rerum, nundinarum constitutionem, legum legitimarum lationes, aduersus eos, qui hostes detecti essent, impedimenta, harum rerum omnium superioribus tpibus quæstio desiderabatur, ac dedit præteritum tempus quam plurimos usus uiro honesto & probo, in quibus cum tu nusquam conspici potueris non primus, non .II. non. III. non. IIII. nō V. nō VI. non quotus quisq́; , quoniam neque id egisti cum patria creuit, quæ enim societas te administro iuncta est ciuitati, quod auxilium, quæ beneuolentiæ accessio uel authoritatis, quæ legatio, quæ gubernatio, per quam ciuitas honoratior euaserit, quæ res ciuiles, uel græcæ, aut externæ, quibus præfueris, prospere per te successere, quæ triremes, quæ tela, quæ naualia, quæ murorum refectio, qui equitatus, quem omnibus in rebus de te usum prabes, quid pecuniarum opis uel opulentis, uel indigentibus ciuilis & communis à te fuit? Nihil, sed ô amice si nil horum adfuit, beneuolentia & promptitudo ubi, quando, quænam ô omnium nequissime, non enim quando omnes, qui quoquo tempore in suggestu sermonem habuere, salutis causa contulerunt. Ac postremo cum Aristonicus coactum habuit argentum ob publicum honorem, non tunc quidem non prodiisti, neq; aliquid contribuisti, cum alioquin, non indigeres. At quo pacto? utpote qui ex hæreditate Philonis soceri maiorem summam quinque talentis nactus fueras, binaq́; talenta gratis remunerationis loco à classium præfectis fueris consecutus ob id, ut naualem legem, exter-

minares, sed ne uerba uerbis addam, utq; à re proposita diuertam, isthæc omittam, uerum ꝙ non propter paupertatem non condonaueris, ex his palàm fiet, quoniam illud obseruabas, ne quid aduersus eos à te fieret, pro quibus omnia in Republica agebas. In quibus igitur tu eras audax, & quando illustris? cum quid aduersus istos dicendum esset, in his eras clarissimæ uocis, amplissimæ memoriæ, optimus histrio, tragicus, theocrines. Cæterum ꝙ proborum uirorum, qui superiori ætate fuerunt, memineris, recte agis. ueruntamen iniquum est uiri Athenienses, eum qui uestram beneuolentiam aucupari uelit, quam adhuc cum defunctis habetis, ad illos me conferre, & comparare, utpote qui uobiscum uiuam, quis enim ex omnium numero non nouit, ꝙ omnibus uiuentibus inest quoddam uel maius minusúe inuidiæ studium. Mortuos porro aliquis ne inimicus quidem præterea odit cum hæc igitur natura sint comparata, cum eis, qui ante me ipsum fuere nunc ego dijudicer, atque dispiciar? nequaquam, neque enim iustum, neque æquum est ô Aschines, sed tecum et cum quouis alio illorum, qui eadem, quæ tu, ante dixerunt, & ad præsens uiuant, illudq; dispice, utrum honestius meliusq; sit ciuitati ob superiorum præclara benefacta, nequaquam ut aliquis explicet, quãta sint & ea, quæ præsenti seculo gesta fuere, sicque ad ingratitudinem & uituperationem eam reuocet, an omnibus concedat, qui aliquid cũ beneuolẽtia agũt ut istorum honoris & humanitatis participes existant. porro si id quidem mihi dicere licet, meum in Republica studium, & uoluntas, si quis recte considerauerit, cum illis laudatorum tunc uirorum consonare & ad idem tendere uidebuntur,

tuum uero illis persimile est, qui tunc uiros huiusmodi calumniabantur patet enim, q & per ea tempora quidam erant, qui illius ætatis hominibus detrahebant, eos uero, qui superiori tempore fuerant, commendabant, inuidiosam rem alioquin, ac idem quod tu, faciendo, post hæc ais, q nulla in re illis ego similis existo? tu uero similis es Aeschines? frater tuus? quiuis alius ex his, qui uiuunt, oratoribus? ego certe neminem aio. sed tum uiuentibus uir optime uiuentem compara coæuos, sicut reliquis omnibus in rebus, ut in poetis, saltatoribus, gladiatoribus, Philamon non q Glauco Caristio & quibusdam alijs, qui ante eum fuerant, athletis imbecillior esset, corona indotatus abijt ex olympia, sed q cum his, qui in pugnam cum eo prodierant, fortiter decertauerat, coronæ munere fuit honoratus, & uictor prædicatus. Et tu me cum illis, qui in præsenti sunt, oratoribus, perspice, cum te ipso, cum quo uelis ex omnibus, nemini locum do, quibus enim ex rebus dum ciuitati optima decernere licebat, quippe q certatim omnibus palàm proposita erat facultas suam erga patriam beneuolentiam ostendendi, in his ego optime dixisse uisus fui, atque meis decretis, & legibus, & legationibus omnia gerebantur, uestrum quidem nemo alicubi aderat, nisi si quid istis nocendum esset, postea uero quàm, ea, quæ nunquam debebant, cõtigere, & non amplius consultorũ, sed eorum, qui mandata exequerentur, & aduersus patriam alacri animo operam suam locarent, & qui nossent alteri adulati, comparatio habebatur, eo tempore tu, & horum quisq; in ordinem censebamini, & magnus ac præclarus equorum educator existimabaris, ego fateor imbecillus eram, sed uobis

magis erga istos beneuolus. Hæc duo uiri Athenienses *ciuis natura modestus habere debet, ita enim à me de me ipso dicente q̃ remotissime ab inuidia narrabitur. In magistratu ut generosi, & Principis uiri uoluntatem erga ciuitatem retineat, reliquis uero temporibus, & actionibus beneuolentiam, huius enim rei natura domina est; ꝙ autem quis potentiam habeat & uires. ab alijs rebus est. hanc igitur apud me in summa remansisse inuenietis. Videte quæso, non cum reus postulatus fui, non cum* Amphyctionica *iudicia in me intenderunt, non cum minis insecuti fuere, non cum detulere, non cum hos detestandos ueluti feras bestias in me impulerunt, ullo modo beneuolentiam erga uos deserui, ab initio enim quam primum rectam iustamq́; Reipublicæ administrandæ uiam delegi, honorem, potentiam, gloriam patriæ excolendo, ea augendo, & cum ipsis manendo, nõ enim ob quorũdam secundam fortunam alacer ego & exultans forum circumeo, dexteram protendendo, nuncium illis dicendo, quos illuc putẽ esse renunciaturos, prosperos ciuitatis euentus cũ horrore non audio, & suspirando, ac oculos ad terram demittendo, quemadmodum hi impij faciunt, qui ciuitatem quidem carpunt, ueluti seipsos non carpant cum id agunt, foras aspiciunt, & si* Græciæ *calamitate illata alter feliciter agat, ista laudanda putant, & quo pacto per omne æuum ea durẽt, procurandum esse censent.* Ne Dij *omnes, quisq̃ uestrum ad hæc annumerat, sed illud potius animũ meliorem & mentem illis immitti te. ꝙ si ita sint insanabiles, hos ipsos ex se detestabiles & execrandos terra mariq́; reddite. Hos certe, reliquos ab impẽdenti timore, liberate certãq́; salutem concedite.*

FINIS.

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V
X Y Z AA BB CC DD EE.

Omnes quaterniones.



Venetijs apud Hieronymum Scotum.
M D XXXXV.

Libro di sc[illegible] maravigliarsi di tal [illegible]
stato felice e beato
che è stato sempre amato
da tutti ingegni in questo mondo

Finis al presente

Molto mi sono maravigliato

[illegible]

[illegible]issimus ista moderna

omni [illegible]

quidam [illegible]

Non nihil in [illegible]

[illegible]

ut ex[illegible] [illegible]

Beatus in [illegible]

[illegible]

[illegible]

Al mag.co s.or Don Cristo[illegible]

226

m[illegible] onr mi s.r

[illegible]

[illegible]

A [illegible] me hacomendado de

mo[illegible]

N... pessum facere